


LA VERTUE EST
LA
SEULE
NOBLESSE

D. ISIDORI TERRANA

J. C. SICULI PANORMITANI, JAM REGII CONSILIARII,

DISCURSUS

SUPER SUCCESSIONE COMITATÛS CALTANISSETTÆ, Comitatùs Adernionis, Principatùs Paternionis, Baroniæ Hyblæ majoris seu Melilli, Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ, Comitatùs Caltabillottæ, Ducatùs Bisbonæ, Comitatùs Sclafani, Caltavuturi & Scillati, Comitatùs Collesani, & aliorum feudorum, titulorum & bonorum illis adhærentium & aggregatorum, atque bonorum omnium allodialium, quæ in Regno possidebat Dominus D. Ferdinandus Aragona & Moncada Dux Montisalti ultimus moriens.

HABITI

IN MAGNA REGIA CURIA, ATQUE IN PLENO SENATU Anno 1715. sedentibus D. Antonino Citraro seniore Aulæ Criminalis, D. Francisco Maria Longo Barone feudi della Corte de Aula Civili, D. Francisco Gastone ex Marchionibus Ingenii Aulæ Criminalis (qui Authoris vice in causa suspecti in feudalibus ad formam pragmaticæ, & in allodialibus ex decreto E. S. subrogatus est) & D. Antonio Marchese Regio Pauperum Advocato de Aula Civili, Authoris Collegis amantissimis, atque Illustri D. Casimiro Drago Præside Tribunalis Regii Patrimonii, Illustri D. Antonino Negri Præside Tribunalis Consistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, & Illustri D. Francisco Antonio de Nicolis Comite Rubilant E. S. Consultore, Judicibus adjunctis benemerentissimis.

PRO

DOMINA D. CATHARINA

DE MONCADA, ARAGONA, ET TOLEDO,


Marchionissa Villæfrancæ, Ducissa Fernandinæ &c.

CONTRA

DOM. D. ALOYSIUM GUGLIELMUM

DE MONCADA, ET ARAGONA,

Ducem Sancti Joannis, Comitem Cammaratæ &c.



PANORMI, Typis Joannis Baptistæ Aiccardo, MDCCXX.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILL. DOMINO

D. DOMINICO
DE ALMARZA

SACRI REGII NEAPOLITANI CONSILII
SUPREMO CONSILIARIO,

Ac Exc. Dominorum Siciliæ Proregum pro Sua S. C. C. Majeſtate integerrimo Conſultori,

D. ISIDORUS TERRANA
JURISCONSULTUS SICULUS PANORMITANUS.





Nvictiſsimus CAROLUS Cæſar Rex noſter potentiſſimus ſemper Auguſtus cùm primùm hoc ſuum fideliſsimum Siciliæ Regnum ſibi repetere decreverit, æqui juſtique amantiſsimus, ut ſuorum populorum incolumitati conſuleret; Excellentiſsimum Dominum Ducem Montisleonis, ex Magna-

tibus Hispaniarum, ac utriusque Siciliæ ex Proceribus antiquissimis, ad suas hic vices gerendas velut ex industria præfecit. Id unum nobis satis superque fuerat, cùm in hoc uno Cæsaris animum, virtutesque Cæsaris velut in imagine quoquomodo conspicere, ac prægustare potuissemus. At non satis Cæsari, munificentiæ suæ & amoris ergà subditos effusissimo. Te, Ill. Domine, generis nobilitate, morum suavitate, ac juris & literarum apprimè conspicuum selectum voluit, quem tanto Proregi suo Consultorem, nobisque alterum omnino Mæcenatem adjiceret. Nil ergo magis nos decet, quàm te obsequentissimè colere, utpotè integerrimum nostri Cæsaris Ministrum, nilque nobis præstat, quàm te vindicem, ac perpetuum propugnatorem habere. Duo hæc, ut pariter unàque assequar, juridicos hosce meos discursus, quos veluti raptim ob temporis, animique mei angustias conscripsi, tibi statuo, tuo-

que

que nomini nuncupo veſtigales. Maximum obſequendi genus ſit, me, meoſque labores tibi deſpondere; unicum Patrocinii meritum, tibi Patrono deſpondiſſe quod tuearis. Me itaque, meumque librum excipe ea, qua polles, benignitate; quodque tam tenue munus de legali noſtra ſcientia tibi lucidiſsimo juriſprudentiæ lumini offerre, atque obſcurum opus clariſsimis tuis oculis ſiſtere non dubitarim, vel tuæ tribuas humanitati, vel certè meæ non vertas audaciæ: cùm præſertim quod potui, nempe partum meum, qualis qualis ille fuerit, tibi ex integro devoverim.



AD LECTOREM.



Apientissimis Siculis Jurisprudentibus parùm adeò solemne fuit, suas elucubrationes, nostrorumque Tribunalium placita typis committere, ut si quando hujusmodi aliquid lectum sit, res nova visa fuerit, ob id potissimùm, quia una, eademque hora ad binos sectandos lepores sufficiens non judicatur. Profectò tempus, quod vel jus dicendum, vel causarum patrocinium exposcit, operam omnem insumit, ac proinde ad aliud explendum opus integrum animum non relinquit. Si tamen aliquando eorum quosdam ad hæc vulganda necessitas impulit, eà elegantià, eàque profunditate rem ipsi administrarunt, ut sibi omnium eruditorum admirationem conciliaverint. Hinc, ubi in mei hujusce libri fronte (benignissime lector) Authorem Siculum notaveris, eumque me inscriptum legeris, de Feudis & Fideicommissis (secundùm tamen causæ indigentiam) quasdam tanquam theses sumpserim pertractandas; ità de me fore eximandum ratus es, ac de reliquis Siculis, qui multa quidem venustate, & omni sale, de hac re perscripserunt.

Expectabas proinde vel celeberrimos Justificantes in causa successionis Statùs & Principatùs Buteræ: aut D. Joseph Xibecca, qui, uti Advocatus, scripsit in eadem causa: vel Illustrem Præsidem D. Casimirum Drago, qui prælo mandavit suum patrocinium in causa successionis Statùs & Marchionatùs Hyeracis: aut D. Nicolaum Jacobum Salvago, qui in eadem causa suas impressit allegationes: vel Illustrem D. Jacobum Longo Judicem Tribunalis Regiæ Monarchiæ Præceptorem meum veneratissimum, qui in nova causa successionis Statùs & Principatùs Buteræ suum & Collegarum votum justificavit: aut D. Michaelem Perremuto, qui in eadem causa suum patrocinium typis concessit: vel alios, quos memoria non sugerit. Ii enim omnes

(pri-

(primis exceptis) noſtra tempeſtate eruditiſſimè ſcripſerunt.

Sed aliter res cadet, quam opinatus es : id enim inter me, atque eximios hoſce viros intereſt, quod Herculem inter, & Pumilionem : quòd tamen is non ſim, de quo optimè exiſtimes, non cauſæ merito, ſed Dominæ Clientis malo fato vertas. Ipſa enim ſua ſponte, ſuoque nutu me ad id muneris, & ad ſui patrocinium erexit, cùm innumeros ferè alios conſulere potuiſſet, juriſprudentiâ, dicendi facultate, cæteriſque ornamentis Oratori neceſſariis ornatiſſimos. At quid, ſi vel Accurſius alter fuiſſem, vel Tullius? nec ità quidem provinciam hanc pro dignitate, ac merito adminiſtrandam mihi ſumere potuiſſem. Ex-tempore dicendum potiùs, & ſcribendum mihi fuit, quam tempori. Judex eram Supremi Tribunalis M. R. C. quodque majus, in Aula Civili, in qua omnia propemodum totius Regni negotia exagitantur. Hæc totum hominem ſibi adeo vindicabant, ut ne parvam quidem exigui temporis uſuram mihi, aut me temporis veſtigio relinquerent. Ut ut tamen potui, raptim lucubrata conſcripſi. Utinam conſcripta limatiùs aliquantulum typographo (ità enim in hujuſmodi cauſis ſervatum eſt) committere potuiſſem : ſed ut optatum opus texere incæperim, præter mentem, ac votum illud mihi triſtiſſimum accidit.

Dum enim mea hæc, quæquæ ſint, publici juris facere cogebar, dum libri hujus editionem maturare feſtinabam en me æſtu, febrique correptum, atque acerbiſſimis reumatiſmi doloribus, aliiſque ſymptomatis multos menſes jactatum. Quid tunc ſatiùs mihi erat, quàm ſi quid opis, ſi quid artis in medicis eſt, vel in libris ipſis perquirere? Ex Juriſconſulto Empiricus ab experientia, uſuque doctus, novi aliquid, ne dicam multum, ad hiſtoriam medicam D. Dominici Bottone Patritii Meſſanenſis lubentiùs adjungere potuiſſem : cùm majora ſim paſſus ſymptomata, quam eximius ille vir, ac perilluſtris in ſuo Eminentiſſimo Domino Raymundo de Perellos Magno Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ Magiſtro, inſpexiſſe teſtatur.

Quæ

Quæ cùm ità fuerint, atque cùm nondum me priſtinæ valetudini reſtitutum viderim, ut in præſentiarum experior, manum, animumque ab hoc opere omnino retraxiſſem (ingenuè fateor) ſi alterius rationis, ac eruditiſſimus ex adverſo in cauſa Patronus, editis aliquando orationibus ſuis, me ad certamen non revocaſſet. Quamobrem, amice lector, hæc perlege, & me omnino excuſatum velis, ſi nimis juſtus non es: non enim, ut vidiſti, ſola confluxit Authoris inutilitas, ſed tot infauſta cumulata ſunt, ut me demum hæc conſcripſiſſe, portento veniat adſcribendum. Ego itidem te libentiſſimè patiar, nec iraſcar, ubi minùs ſecundis admurmurationibus me tibi parùm placere audiam. Vale, diuque vale.



IN-

INDEX ARGUMENTORUM.



DI-

DISCURSUS II.

Super succesſione Comitatùs Adernionis & Centurpii.

PARS PRIMA.

De exequutione ſecundi teſtamenti Comitis Matthæi de Sclafano, vel tranſactionis ſtipulatæ ſub anno 1397. ac de non exequendo pro præſenti ſucceſſione teſtamento Comitis Matthæi I. de Montecateno, etiam quòd adeſſet, & Comes Matthæus ab inteſtato non deceſſiſſet.

PARS SECUNDA.

De non attendendo, ex defectu poteſtatis, fideicommiſſo Comitis Antonii de Montecateno: ac de eo obſervando veluti fœminarum admiſſivo, quatenus Comes Antonius diſponendi facultatem habuerit.

PARS TERTIA ET ULTIMA.

De obſervantia in familia poſt obitum Comitis Antonii, nempe a Comite Joanne uſque ad Comitem Ferdinandum ultimum Comitatùs poſſeſſorem: ac de ſcripturarum qualitate in proceſſu ab utraque parte productarum.

DISCURSUS III.

Super ſucceſſione Statùs & Principatùs Paternionis, atque Statùs & Baroniæ Hyblæ majoris, ſeu Melilli.

PARS PRIMA.

De exequendo in præſenti ſucceſſione, tanquam fœminarum admiſſivo in defectu maſculorum ejuſdem lineæ & gradùs, fideicommiſſo Comitis Guglielmi Raymundi IV. de Montecateno Comitis Adernionis, primi Statùs Paternionis acquiſitoris.

PARS SECUNDA.

De non exequendo in ſucceſſione Statùs Paternionis fideicommiſſo condito per Comitem Joannem Thomam de Montecateno in ſuo teſtamento, etiam quòd jus luendi Paternionum acquiſierit, & de ejuſdem teſtamenti legali non exiſtentia.

PARS TERTIA ET ULTIMA.

De celebri titulo Principis Paternionis: de obſervantia clauſulæ juris francorum in familia tam quoad Statum, quàm quoad Titulum Principis: & de ſucceſſione Statùs & Baroniæ Hyblæ majoris, ſeu Melilli.

DI-

DISCURSUS IV.

Super successione Status & Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ, atque Gabellæ vini Civitatis Catinæ, redditus unciarum centum sexaginta quatuor anno quolibet debitarum super extractionibus frumentorum a Regno, & grani unius super qualibet salma frumentorum, quæ a Regno pariter extrahitur.

PARS PRIMA.

De acquisitione juris luendi Statum & Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ facta per Comitem Antonium de Montecateno hujus nominis Secundum, nomine proprio, non autem pro successoribus in Statu & Baronia Paternionis.

PARS SECUNDA ET ULTIMA.

De acquisitione Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ facta per Comitem Antonium II. ac de ejus prætensa subrogatione locò Comitatùs Caltanissettæ, vel Comitatùs Augustæ, vel aggregatione ad Statum Paternionis: ac de successione gabellæ vini Civitatis Catinæ, redditus unciarum centum sexaginta quatuor anno quolibet debitarum super extractionibus frumentorum a Regno, & grani unius super qualibet salma frumentorum, quæ a Regno pariter extrahitur.

DISCURSUS V. ET ULTIMUS.

De successione Comitatùs Caltabillottæ, Ducatùs Bissonæ, Comitatùs Sclafani, Caltavuturi, & Scillati, Comitatùs Collesani, Palatii vulgò dicti de Ajutamicristo, redditus unc. 81. 8. 12. anno quolibet debitorum super Statu & Marchionatu Hyeracis, Gabellæ olei Statùs Paternionis, redditus unc. 61. 18. 15. anno quolibet debitorum per nonnullos de Asaro, atque aliorum bonorum cùm feudalium, tum allodialium, quæ ab Illustri Deputato administrantur.



PROE-

PROOEMIUM.



Ill. & admodum Spectabiles Domini



MONTECATENORUM familia semper excelsa, ab augustissimis Bavariæ Ducibus ortum habens, cùm ad Regnum sublevandum decorandumve cum Petro Aragonum antea, & deinde etiam Siciliæ Rege (cui sanguinis vinculo adstricta reperiebatur) post Gallos superatos, usque ab anno 1282. e Principatu Cataloniæ in hanc Insulam transmigrasset; plures quæsivit status, feuda, titulos, dignitates & bona: vel ex conjugiis, cùm ea in Regno, ut par erat, alta & opulentissima celebraverit: vel ex Principum largitionibus & proprio patrimonio, cùm, divitiis abundans, Serenissimis Regibus fuerit obsequentissima.

Cùmque eorum omnium, ex suorum antecessorum legitima successione, ultimus possessor extiterit Dominus Ferdinandus de Moncada (quod idem est, ac Montecatenus) & Aragona Dux Montisalti, & sine prole masculina decesserit anno 1713. die undecimà Novembris, relictà tantùm Dominà Catharinà de Moncada & Toledo Marchionissa Villæfrancæ unicà filià & hærede, & Do-

 mino

mino Federico de Toledo & Moncada Duce Fernandinæ ex prædicta Domina Marchionissa unigenita nepote; acerrima orta est contentio, non quidem inter generosissimam matrem & obedientissimum filium, sed eos inter & Dominum Aloysium Guglielmum de Moncada Ducem Sancti Joannis Agnatum remotiorem; quisnam eorum esset in prædictorum bonorum possessione manutenendus? hic autumans, status, feuda, titulos, dignitates & bona omnia per ultimò defunctum possessa strictissimo agnationis vinculo, illi verò vel regulari primogenio ex clausula juris francorum, vel legibus puræ masculinitatis, obnoxia esse firmantes.

Ego itaque, qui cum sapientissimis Collegis in hoc supremo Magnæ Regiæ Curiæ Senatu controversiæ Judex esse debebam, cùm multis ab hinc annis, causis hujus magnificentissimæ domus operam dederim; mutatà vice, per obtentam dispensationem, utì Advocatus pro Domina Marchionissa ad causæ patrocinium accedo. Et quamvis impar meis humeris labor sit (ingenio enim, doctrinà, elegantià & lepore, quæ forent ad opus subeundum necessaria, me spoliatum fateor;) adhuc tamen hoc, Dominæ Clientis est favorabile fatum: ut, Judices nacta doctissimos & integerrimos, etsì ineptè dicam, victoriam consequetur. meam enim imbecillitatem vestrum supplebit, Optimi Patres, ingenium ornatissimum.

Omnes ergo status, quos ultimò defunctus possedit, hi sunt: COMITATUS CALTANISSETTÆ, COMITATUS ADERNIONIS, PRINCIPATUS PATERNIONIS, BARONIA MELILLI, BARONIA MOTTÆ SANCTÆ ANASTASIÆ, DUCATUS BISBONÆ, COMITATUS CALTABILLOTTÆ, COMITATUS COLLESANI, COMITATUS SCLAFANI, CALTAVUTURII & SCILLATI. Atque alia pariter adsunt bona cùm feudalia tum allodialia meliùs in libello petitæ manutentionis possessionis adnotata, de quibus infra erit ser-

ſermo. Verùm de ſtatibus prædictis primus, qui Montecatenorum familiam ſalutavit, Comitatus fuit Inſularum Melitæ & Gaudiſii, cujus loco fuit poſtea ſubrogatus Comitatus Auguſtæ, Altævillæ & Melilli, & deinde Comitatus Caltaniſſettæ, qui uſque in hodiernum diem, ut dictum eſt, in familia conſervatur. Hinc priori loco de Comitatu Caltaniſſettæ, & ſubſequenter de aliis, juxtà eorum acquiſitionis tempora, diſcurſus inſtituam: & in eis omnibus oſtendam apertiſſimè, bonorum omnium ſucceſſionem ad Dominam Clientem pertinere. Quidquid in contrarium per Dominum Agnatum prætendatur: illæ enim, quæ proponuntur difficultates, etsì plus ſolito exaggeratæ, non obſtant, & levi brachio reſolvuntur.



COMITATUS MELITÆ & GAUDISII,
Deinde
COMITATUS AUGUSTÆ ex permutatione facta cum Rege Federico II.
Hodie
COMITATUS CALTANISSETTÆ ex permutatione facta cum Rege Martino juniore.

Luchina de Alagona Comitissa Melitæ & Gaudisii.

I. C. Guglielmus Raymundus de Montecateno vir Luchinæ. Permutavit cum Rege Federico II. Melitam & Gaudisium pro Terra & Castro Augustæ.

II. C. Guglielmus Raymundus vir Margaritæ de Sclafano.

I. C. Matthæus vir primo loco Joannæ Peralta, & secundo loco Allegrantiæ Abbati.

Antonius C. Adernionis.

Petrus.

Constantia uxor magnifici Blasci de Alagona.

Joanna uxor Dñi Hiaymi de Prades.

Elvira uxor Dñi C. Antonii de Vigintimilliis.

III. C. Guglielmus Raymundus solus ex primo matrimonio patris, vir primo loco Beatricis Alagona, & secundo Stephaniæ Carròz.

Guglielmus Raymundus solus ex secundo matrimonio.

Simon dictus *il Bastardo.*

Joannes Dñus Ferulæ & Comes Adernionis.

Eleonora.

Isabella.

II. Matthæus permutavit cum Rege Martino juniore Comitatum Augustæ pro Comitatu Caltanissettæ anno 1407. die 25. Junii.

Antonius Perius Dominus Ferulæ.

Antonius Perius Ambrosius.

Guglielmus Raymundus C. Adernionis.

C. Joannes Thomas transegit cum C. Antonio.

V. Guglielmus Raymundus vir Contissellæ.

I. Antonius antea religiosus in Ord. Præd. transegit cũ C. Joanne Thoma.

C. Contissella.

Gastonus Baro Castrinovi.

IV. Guglielmus Raymundus C. Augustæ.

Antonellus filius naturalis.

II. C. Antonius.

I. C. Franciscus.

I. C. Cæsar.

II. C. Franciscus.

III. C. Antonius.

I. C. Aloysius S.R.E. Cardinalis.

I. C. Ferdinandus ultimus moriens.

I. C. Catharina Cliens.

Federicus Dux Fernandinæ Contendens.

Ignatius.

Ferdinandus.

Aloysius Guglielmus Dux Sancti Joannis Contendens.

DISCURSUS PRIMUS
SUPER SUCCESSIONE
COMITATUS CALTANISSETTÆ.



SUMMARIUM.

Facti hiſtoria n. 1.

Fœminæ excluſio debet eſſe clara & evidens per inſtrumenta & circumſtantias, ut agnatus admittatur. n. 2. *Adeout in dubio veniat ſemper pro filia ultimi poſſeſſoris pronunciandum. num.* 3. *&* 4.

Diviſio totius Diſcurſus a n. 5. *uſque ad n.* 9.



1 Oncordes ſunt cùm antiqui tum recentiores ſiculæ hiſtoriæ ſcriptores, † inſulas Melitam & Gaudiſium a Rege Carolo Andegavenſi anno 1265. quo ipſe Regnum habuerat, uſque ad annum 1282. quo Reges Aragonenſes in Siciliam venerunt, fuiſſe poſſeſſas: quòdque tanto amore illarum incolæ Andegavenſes fuerint proſequuti; ut, Gallis ipſis etiam devictis, in partes Caroli fideles extiterint. Unde neceſſum fuit Regi Petro Aragonenſi, poſt duos ſuæ coronationis annos, nempe anno 1284. illas per navale bellum acquirere ſub egregio claſſis aragonenſis Præfecto Rogerio de Laurìa & Manfredo Lancea: cujus quidem Rogerii manu Guglielmus Cornelius, qui Melitam cum Caroli claſſe tuebatur, in prætoria Aragonenſium navi confoſſus eſt. Et tanti ponderis fuit apud omnes habita hujuſmodi victoria, atque ea, quam ipſemet Rogerius obtinuerat, alterâ Caroli claſſe ante Meſſanam diſſipatâ; ut manaverit communis opinio, eas Regi Petro Siciliæ Regnum tribuiſſe.

Regi Petro, ut compertum eſt, anno 1285. ex paterno teſtamento quoad Regnum Aragoniæ ſucceſſit Alphonſus ſuus primogenitus, quò verò ad Regnum Siciliæ noſtraſque Inſulas, Jacobus ſecundogenitus.

Atque vitâ functo Alphonſo Rege Aragonum, Regique Jacobo Aragoniæ coronâ, juxta patris votum, delatâ: Siciliam habuit Rex Federicus Regis Petri tertiogenitus, qui coronam ſuſcepit Panormi die 26. Martii 1296. & dictus eſt Federicus II.

Quo Rege Federico regnante: inſulas prædictas Melitæ & Gaudiſii poſſidebat Comes Guglielmus Raymundus de Montecateno, hujus nominis Primus, qui eas in dotis cauſam a nobili Luchina conjuge habuerat. Sed Lu-

chinæ

chinæ progenitoribus incertum est; utrùm a Rege Jacobo, an ab ipsomet Rege Federico, & quonam tempore insularum concessio facta fuerit: cùm certum sit, eas Regem Petrum non concessisse, quoniam, post ipsius mortem, in illis successit easque possedit Rex Jacobus.

Unde inter Regem prædictum Federicum (cujus dominium constitit, ut omnes scimus, a dicto anno 1296. usq; ad annum 1336.) dictûque Comitem Guglielmum Raymundum I. quædam (quo tamen anno pariter nescimus) inita est permutatio, ut in regiis rescriptis manifestum apparet. Ad cujus tenorem, Comes Guglielmus Raymundus, dicto Regi Federico, insulas Melitæ & Gaudisii pro regio demanio relaxavit.

Et versâ vice, Rex ipse, in illarum excambium, Augustæ Terram & Castrum dicto Comiti Guglielmo Raymundo & suis heredibus & successoribus in perpetuùm concessit, & cum clausula juris francorum: ut Joannes Lucas Barberius affirmat *in Capibrevio Comitatus Augustæ*.

Mortuo dicto Comite Guglielmo Raymundo I. successit in Castro & Terra Augustæ Comes Guglielmus Raymundus II. ejus filius & hæres, qui uxorem habuit Margaritam de Sclafano primogenitam Matthæi de Sclafano Comitis Adernionis & Centurpii: atque inde permutationem ac concessionem prædictam a Rege Federico confirmatam obtinuit.

Sicuti etiam a Rege Petro II. Regis Federici filio & successore (qui regnavit usque ad annum 1342.) concessionem & permutationem supradictam habuit ratificatam, & erectam Terram prædictam Augustæ in titulum Comitatùs.

Comiti Guglielmo Raymundo II. successit Comes Matthæus hujus nominis Primus ejus filius: qui primò nupsit Joannæ Peralta, ex qua solùm habuit Comitem Guglielmum Raymundum III. suum primogenitum, secundò verò Allegrantiæ Abbati, cum qua alios filios inferiùs nominandos procreavit.

Anno 1354. Obiit Comes Matthæus de Sclafano, & per ultimum suum testamentum tam Comitatum Adernionis & Centurpii, quàm alia Castra, Terras & bona reliquit filiis Comitissæ Aloysiæ Peralta suæ filiæ secundogenitæ, quæ Guglielmo Peralta Comiti Caltabillottæ nupta reperiebatur.

Unde non levis orta est controversia inter Peraltas prædictos utì hæredes Comitis Matthæi de Sclafano, inter Comitissam Margaritam uxorem, ut dictum est, Comitis Guglielmi Raymundi II. de Montecateno utì primogenitam ex pacto & providentia Principis universam successionem prætendentem, atque inter Comitem Matthæum de Montecateno dictæ Comitissæ filium, qui ex antecedentibus ipsius Comitis Matthæi de Sclafano testamentariis tabulis, quibus Comitatu Ader-

Adernionis & Centurpii Matthæus ipse honorabatur, successionem quoque prætendebat.

Anno 1358. 7. Januarii. Idem Comes Matthæus volens, quòd filii ex se nasciturí & ex supradicta Allegrantia secunda uxore, essent aliquâ dignitate insigniti; filiis masculis ex dicto matrimonio procreandis donationem fecit Comitatùs Adernionis & Centurpii.

Anno 1359. die 29. Novembris. Idem C. Matthæus (ut ex adversò prætenditur) eundem Comitem Guglielmum Raymundum hujus nominis Tertium filium suum primogenitum, ex se susceptum & ex quondam Joanna Peralta prima uxore, per suum testamentum hæredem sibi scripsit universalem, præterquàm in Comitatu Adernionis & Centurpii, in quo hæredem particularem instituit posthumum tunc nasciturum ex ventre prægnante Allegrantiæ Abbati secundæ uxoris; atque ipse Com. Guglielmus fuit sequenti fideicommisso gravatus.

Item si contigerit, eundem Dominum Guglielmum Raymundum mori superstitibus sibi filio vel filia, filiis vel filiabus ex legitimo matrimonio procreatis; substituit sibi primogenitum ex eo descendentem: ità quòd natu major præferatur minori, servatà sexus prærogativà, & si masculus ex eo non supervixerit; substituit sibi dictum posthumum: &, si non supervixerit, masculum ex eo procreatum: &, si non vixerit, filiam procreatam ex dicto Guglielmo Raymundo, &, ejus defectu, dictorum posthumi vel posthumæ: ità tamen quòd filius, qui ex dicta filia procreabitur, vocetur de Montecateno, & deferat arma ipsius sine aliqua mixtura aliquorum aliorum armorum, & sic de singulis: aliàs quòd cadant a dicta hæreditate.

Item si contingat, dictum Dominum Guglielmum Raymundum posthumum vel posthumam mori, liberis legitimis non relictis; substituit sibi magnificum Dominum Rogerium de Montecateno filium quondam magnifici Domini Petri de Montecateno Serenissimi Domini Regis Aragonum Admirati: &, si non supervixerit, substituit sibi magnificum Dominum Gastonum de Montecateno filium dicti quondam Domini Petri: &, si non supervixerit, substituit sibi magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno Dominum Aytonæ & Mechinensę.

Item voluit, quòd, si contigerit dictum Dominum Guglielmum Raymundum filium suum mori in ætate perfecta, filio vel filià legitimis ex eo minimè superstite; quòd in eo casu dictus hæres de dictis bonis, de unceis auri mille possit testari & facere velle suum.

Anno 1365. die 4. Aprilis. Post mortem ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi II. in Comitatu prædicto successit Comes Matthæus I. ejus filius & hæres, ut dictum est, eique tanquam vero rei Domino, de Regis mandato, fuit facta Comitatùs restitutio. Unde cùm ipse Comes Matthæus confirmationem privilegiorum, de permutatione insularum Melitæ & Gaudisii, & de concessione Comi-

mitatùs Augustæ desideraffet; Regi Federico III. Regis Petri II. filio exposuit, quòd Comes Guglielmus Raymundus I. avus suus easdem Insulas habuerat a nobili Luchina suâ uxore, cui (ut in privilegio legitur) illæ *ex successione suorum progenitorum de jure spectabant*: quòdque omnia privilegia & instrumenta de præmissis confecta (absque diei & anni adnotatione relata) ac registra Curiæ illorum temporum fuerant casualiter belli occasione deperdita & devastata.

Quapropter, cùm nec originalia nec eorum copiæ exhiberi potuerint, ut illorum tenor more solito seriatim insereretur; eidem Regi Comes ipse Matthæus humiliter supplicavit, ut, eorum non obstante defectu, prædictam permutationem, ac Terræ Augustæ concessionem factas tempore Regis Federici II. acceptare, ratificare & confirmare, & sibi suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm eundem Comitatum Augustæ de novo concedere dignaretur.

Unde, per Regem hujusmodi supplicatione benignè admissâ: cùm ipse de concessione Terræ & Castri Augustæ facta Comiti Guglielmo Raymundo I. de successione Comitis Guglielmi Raymundi II. de erectione in Comitatum, & pariter de prædicti Comitis Matthæi successione non dubitaret, imò certus esset; Comiti Matthæo & suis hæredibus & successoribus in perpetuùm, non obstante quòd privilegia & instrumenta de prędictis non appareret, præfatum Augustæ Comitatum de benignitate regia confirmavit, ac etiam de mera liberalitate, speciali gratiâ & ex certa scientia de novo concessit & donavit. *Ità tamen quòd*, sunt verba privilegii, *dictus Comes Matthæus & hæredes sui prædictum Comitatum Augustæ in capite a Curia nostra sub debito militari servitio teneant & cognoscant: & exinde servire dictæ nostræ Curiæ teneantur: & vivant inde jure francorum, videlicet, quòd major natu minoribus, & masculus fœminis præferatur: ac sint Incolæ Regni nostri Siciliæ, & in eodem Regno sub nostro & hæredum & successorum nostrorum dominio habitent & morentur: fidelitate nostrâ, ac dictorum hæredum & successorum nostrorum debito militari servitio, & cujuslibet alterius juribus semper salvis*.

Atque ad hæc deveniffe Rex ipse protestatus est, considerans fidem puram & devotionem sinceram, quam idem Comes Matthæus, more majorum suorum, erga suam regiam Majestatem gessit & gerit, ac non minùs grandia, notabilia & accepta servitia non solùm per avum & patrem suum aliosque atavos Principibus progenitoribus; verùm etiam per eundem Comitem Matthæum successivè domino Regi Ludovico fratri dicti Regis Federici, & ipsimet Regi Federico præstita, tam in Regno Siciliæ, quàm in Ducatibus Athenarum & Neopatriæ, pacis tempore atque arcta necessitate guerrarum.

An-

Anno 1367. Occasione matrimonii contracti inter Beatricem de Alagona & Comitem Guglielmum Raymundum hujus nominis Tertium, Comes Matthæus I. dicitur suo eidem filio propter nuptias donasse Comitatum Augustæ, eo pacto, ut, natis ex dicto matrimonio filiis masculis, ipsi succedere in eodem Comitatu deberent juxtà capitulorum Regni dispositionem: si autem dictus Comes Guglielmus moreretur, filiis fœminis relictis; quòd Comitatus ad ipsum Comitem Matthæum iterum veniret, seu ad quem ipse disposuisset: solutis, iisdem filiis fœminis Comitis Guglielmi, dotibus de paragio.

Anno 1373. die 27. Januarii. Idem Rex Federicus, memoratum privilegium de confirmatione concessionis Comitatùs Augustæ, favore Comitis Matthæi anno 1365. emanatum, cum inserto tenore comprobavit.

Anno 1378. Obiit Comes Matthæus I. relictis ex primo matrimonio Comite Guglielmo Raymundo III. ut dictum est, & ex secundis nuptiis Antonio, Petro, Constantiâ, Joannâ & Elvirâ.

Jam verò Comes Guglielmus Raymundus, ad iram effugiendam Artalis de Alagona Mistrettæ Comitis ejusque studiosorum, hac tempestate in Civitate Barchinonæ cum universa familia, ac fratribus, sororibus & matertera morabatur. A cujus Artalis posse, non obstante quòd esset Regni Vicarius & Reginæ tutor, Comes Guglielmus Reginam Mariam Regis Federici III. filiam, post patris mortem, e Castro Ursino Catinensi noctu rapuerat. Unde

Anno 1390. die 26. Septembris. In eadem Civitate Barchinonæ iidem Antonius, Petrus, Constantia, Joanna & Elvira, necnon & Comitissa Allegrantia ipsorum omnium mater, donarunt Comitissæ Stephaniæ secundæ uxori Comitis Guglielmi Raymundi III. omnia bona mobilia in regno Siciliæ existentia, & quæ ad semetipsos spectarent ex successione tam quondam Comitis Matthæi communis patris, quàm aliorum quorumcumque filiorum tam ab intestato, quàm ex testamento: reservatis tantùm substitutionibus earum favore factis in testamento ejusdem Comitis Matthæi sui quondam genitoris, & aliarum quarumcumque personarum.

Eodem anno 1390. die 23. Martii in dicta Civitate Barchinonæ Comes Matthæus, morte præventus, non potuerat per scripturam publicam seu authenticam, aut per aliud legitimum documentum validare dispositionem, quam condere incæperat, & volebat a propriis filiis observatam: adeout secundùm jus & consuetudinem regni Siciliæ eidem Comiti Matthæo dictus Comes Guglielmus Raymundus III. tanquam primogenitus & natu major ab intestato successerit.

Unde volens dictus Comes Guglielmus nonnulla facere & adimplere in exequutionem eorum, quæ super ipsa dispositione fa-

cienda idem Comes Matthæus suus genitor secum fuerat, dum in humanis ageret, colloquutus; (nullo penitus facto verbo de testamento suprà supposito anni 1359.) donavit irrevocabiliter inter vivos Joannæ, Elviræ & Constantiæ sororibus suis super omnibus & singulis redditibus & proventibus castrorum & locorum, quæ fuerunt sui communis patris, unciarum auri 3500. quæ pro earum dotibus tempore matrimonii solvi debuissent.

Præterea eodem die & per acta ejusdem Notarii, idem Comes Guglielmus Raymundus III. dedit & concessit Comiti Antonio fratri suo jus quodcumque sibimet ipsi donanti competens super dicto Comitatu Adernionis & Centurpii, ac super omnibus & singulis castris & locis, quæ fuerunt egregii Domini Comitis Matthæi de Sclafano avi ejusdem Comitis Matthæi, & eorum proavi: sub obligatione, quòd ipsemet Comes Guglielmus Raymundus, pro his, quæ de bonis & juribus paternis possidebat, de memoratis unciis 3500. binas tertias partes solvere teneretur, & aliam tertiam solvere deberet ipse Comes Antonius, quatenus quomodocumque dicti Comitatùs Adernionis possessionem fuerit assequutus.

Quapropter pacto processit, quòd si tempore dictarum nuptiarum idem Comes Antonius bona prædicta adeptus non esset; integras easdem uncias 3500. solvere deberet Comes Guglielmus, sub conditione, quòd summas solutas posset a Comite Antonio recuperare, quando ipse Comitatùs Adernionis possessionem habuisset.

Anno 1394. mense Januarii absque diei & loci, ubi confectum est, adnotatione, quoddam apparet solemne, sed non publicatum testamentum Comitis Guglielmi Raymundi III. qui jam in Siciliam reversus erat, & Regibus quidem (a quibus Comes Artalis Alagona ejusdemque Artalis studiosi debellati fuerant) longè charissimus. Atque in eo testamento videtur institutus hæres universalis Guglielmus Raymundus ejus primogenitus ex Comitissa Stephania Carròz secunda uxore, hæres verò particularis in Comitatu Augustæ & aliis Terris, feudis & bonis Comes Matthæus hujus nominis Secundus ex primis nuptiis primò etiam genitus, sub fideicommisso, quod legitur in hæc verba ordinatum.

Item volumus & mandamus, quòd si fortè (quod absit) præfatus Matthæus primogenitus noster mori contigerit sine liberis masculis de suo corpore legitimè descendentibus, & filii filiorum suorum usque in infinitum; succedat sibi super omnibus Baroniis, Terris & Castris, juribus & pertinentiis eorundem præfatus Joannes frater suus alter hæres noster, seu ejus filii masculi de ejus corpore legitimè descendentes: & e contra, eodem Joanne decedente sine filiis masculis de suo corpore legitimè descendentibus, & filiis filiorum suorum

rum usque in infinitùm; succedat eidem præfatus Matthæus alter hæredum nostrorum. Quòd si ambo decedant, ut supra; succedat eidem prædicta Domina Isabella filia nostra super Comitatu, Baroniis & aliis bonis, quæ fuerunt magnificorum de Palicio: quà decedente sine liberis, succedat Domina Joanna altera filia nostra: quà similiter decedente sine liberis, succedat Domina Aleonora altera filia nostra: quà similiter decedente sine liberis, bona prædicta pervenire debeant ad omnes, ad quos de jure pervenire debent. In aliis verò bonis per nos relictis eisdem, succedat præfatus Guglielmus Raymundus filius & hæres noster universalis, sive filii masculi descendentes ex eodem: qui, si in rerum natura non essent tempore decessùs eorundem, nec filii ejus masculi reperirentur; substituimus eidem Matthæo & Joanni & eorum filiis, prædictum posthumum seu posthumos filios & hæredes nostros, ac filios masculos legitimos & naturales descendentes ex eisdem.

Item volumus & mandamus, quòd si fortè (quòd absit) contingat, quòd Guglielmus Raymundus filius & hæres noster universalis decedat sine filiis masculis de suo corpore legitimè descendentibus, & filii filiorum suorum usque in infinitùm; succedat eidem, super omnibus bonis sibi relictis, posthumus seu posthumi filii & hæredes nostri, seu filii masculi descendentes legitimè ex eodem: & e contra, in casu, quo dictus posthumus seu posthumi decedant sine filiis masculis, seu filii filiorum suorum in infinitùm; succedat eisdem præfatus Guglielmus Raymundus frater suus, seu filii masculi descendentes ex eodem. Quòd si ambo decedant sine filiis masculis de eorum corporibus legitimè descendentibus, seu filii filiorum suorum sic decedant; succedat eisdem dictus Matthæus alter filiorum & hæredum nostrorum, seu filii masculi descendentes ex eodem: qui Matthæus si in rerum natura non esset, nec filii ejus masculi reperirentur tempore mortis præfatorum Guglielmi Raymundi, & posthumi, & filiorum suorum masculorum; succedat eisdem præfatus Joannes alter filius & hæres noster, seu filii masculi descendentes ex eodem, & filii filiorum usque in infinitùm. Quòd si omnes (quòd absit) decederent sine filiis masculis; succedat posthumus seu posthumi ex nobis forsitan nascituri, & filii masculi descendentes ex eodem: filiæ verò posthumæ fœminæ, quocunque casu, ad paragium maritentur.

Item si aliquis dictorum filiorum nostrorum, seu forsitan masculi descendentes ex eisdem decedant sine filiis masculis, habeant tamen filias legitimas & naturales; dictæ filiæ fœminæ debeant, super bonis parentum suorum gravatorum ut supra, ad paragium maritari.

Item volumus & mandamus, quòd si omnes filii nostri prædicti masculi, seu filii filiorum suorum masculini sexùs, usque in infinitùm, decedant; substituimus magnificum Comitem Antonium de Sclafano Comitem Adernionis legitimum fratrem nostrum, seu filios masculos ex eodem legitimè descendentes, super omnibus bonis per nos relictis magnificis

Matthæo & Guglielmo Raymundo filiis & hæredibus nostris alio particulari, alio verò universali, ut supra, & magnificum Dominum Petrum de Montecateno alterum fratrem nostrum legitimum, seu filios masculos descendentes legitimè ex eodem, super omnibus bonis per nos relictis prædictis magnificis Joanni & posthumo filiis & hæredibus nostris particularibus, ut supra, & filiis masculis descendentibus ex eisdem: in omnibus tamen substitutionibus, volumus & mandamus, graduum prærogativam servari.

Item volumus & mandamus, quòd, decedentibus præfato Comite Antonio & Domino Petro, charissimis fratribus nostris, sine filiis masculis de eorum corporibus legitimè descendentibus, & filiorum filiis masculis; omnia bona nostra perveniant & pervenire debeant ad filias nostras fœminas, seu ad descendentes ex eisdem, cum conditionibus infrascriptis: videlicet, quòd mariti filiarum nostrarum & descendentium fœminarum ex eisdem tunc præsentes seu futuri, cognominentur cognomine de Montecateno, & deferant arma præfatæ domùs nostræ: & si dictæ filię nostrę seu descendentes ex eisdem habeant tantummodo filios masculos; quòd dicti filii masculi fœminis præferantur, & deferant & apportent arma præfatæ domùs nostræ, & cognominentur cognomine de Montecateno.

Item volumus & mandamus, quòd si contigeret aliquo tempore, mortuis omnibus filiis nostris prædictis, & filiorum filiis masculini generis, reperiri filias fœminas descendentes ex dictis filiis nostris, inter quos, & filios masculos descendentes ex præfatis Comite Antonio & Domino Petro fratribus nostris charissimis (ad quos in casu deficientium masculorum ex nobis descendentium, bona nostra volumus pervenire, ut supra) possit matrimonium celebrari, etiam si requireretur dispensatio Sacrosanctæ Romanę Ecclesię; quòd tales ex nobis & ex eisdem descendentes, debeant matrimonio copulari.

Item volumus & mandamus, quòd si (quòd absit) contingat, quòd filii nostri masculi decedant sine descendentibus masculis legitimis & naturalibus, & similiter filii nostri masculi decedant sine descendentibus generis fœminini, & quartò locò filię nostrę fœminę decedant sine liberis usque in infinitùm, secundùm quòd supra in substitutionibus disposuimus; si magnifica Domina Joanna de Prades, & Domina Constantia, & Domina Elvira de Montecateno sorores nostrę charissimę reperiantur in rerum natura, omnia bona nostra prȩfatis hȩredibus nostris tam particularibus quàm universalibus ad easdem nostras sorores jure institutionis perveniant. Si verò in rerum natura non essent, sed tunc temporis superessent filii descendentes ex eisdem, & filię fœminę descendentes usque in infinitùm ex prȩdictis nostris fratribus; volumus & mandamus, filias prȩdictorum fratrum nostrorum seu descendentes ex eisdem, prȩferri filiis prȩdictarum sororum nostrarum seu descendentibus ex eisdem: ità quòd hoc casu, volumus, quòd prȩdicta omnia bona no-

nostra ad filias fœminas prędicto- rum fratrum nostrorum perveniant, jure substitutionis.

Et tandem declaratur in hujusmodi testamento, quòd debita forsan a Comite Matthæo I. testatoris genitore contracta, solvi deberent super bonis, quæ ad ipsum testatorem, ex successione vel ex donatione ab illo sibi facta, pervenerunt.

Anno 1396. die 18. Novembris. Reges Martinus senior & junior ac Regina Maria omnes in uno eodemque solio confidentes, ob servitia a Comite Guglielmo Raymundo III. præstita (præsertim Reginæ Mariæ, quam a Castro Ursino Catinensi, quasi captivam, liberaverat) volentes, Comitatum Augustæ ab eodem Comite Guglielmo Raymundo possessum ampliare; illi adjunxerunt Castrum & Terram Sortini, Castrum & Terram Ferulæ, Castrum & Terram Montis Climaci, necnon & uncias auri 500. quolibet anno consequendas ex primis introitibus tractarum ipsius Civitatis Augustæ: & de tribus hisce Castris, unà cum jure tareni unius debiti super Portu Bruculæ, atque antecessoribus ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi a Retroregibus concessi, unum fecerunt Comitatum.

Quem sic ampliatum, & prout prædecessores Comitis Guglielmi Raymundi, & possessores aliorum bonorum aggregatorum tenuerunt & possederunt, eidem Comiti Guglielmo Raymundo & suis hæredibus & successoribus in perpetuùm ipsi Reges concesserunt, & de novo donarunt.

Anno 1397. die 18. Julii. Apparet, Comitem Guglielmum Raymundum III. ob novas concessiones sibi a Regibus collatas (præsertim insularum Melitæ & Gaudisii, quarum Marchio electus fuerat) quosdam condidisse codicillos, in quibus propriam testamentariam dispositionem confirmavit, fecitque inter filios novam bonorum divisionem. totusque codicillorum tenor videtur a Dominis Regibus obsignatus.

Anno 1397. die 16. Novembris in Civitate Catanæ, ut in infrascriptis privilegiis enunciatur, servatis servandis, per M. R. C. in præsentia Domini Regis Martini junioris & Sacri Regii Consilii, copiosâ intercedente populi multitudine, fulminata est sententia contra Comitem Guglielmum Raymundum III. Comitem Antonium & Petrum ejus fratres, Comitem Matthæum ejus filium primogenitum, ac Joannem ejus secundogenitum: qua declaratum est, eos fuisse Regi infideles, eorumque status, feuda, bona, titulos & dignitates esse publicata.

Et defactò status omnes, feuda, tituli & dignitates fuerunt inter Regni Proceres, Regi fideles, distributa: præter Augustam, quam, ut infra narrabitur, clementissimus Princeps restituit eidem Comiti Matthæo, quem absolvit, & præter Ferulam, quam concessit Joanni, cujus misertus est.

Quid

Quid autem fecerit Comes Guglielmus Raymundus III. quodve damnum Regi regnoque paraverit, me dicere non oportet: bene adnotat ipse Rex Martinus (ultra innumera privilegia, in quibus hoc dicit, & quæ infra enunciantur) in quadam epistola a se cum conscientia, & matura deliberatione totius Sacri Consilii, conscripta Comiti Mileti in Regno Neapolis. Cùm enim hic revolutionum, quæ in Regno evenerant, notitiam habuisset; se promptum Regi obtulit, ad proprias expensas per quatuor menses mittere tercentum equites Regis favore militaturos. Unde Rex, hac sumptâ occasione, pro eo, quòd attinet ad factum nostrum, ità respondit.

Anno 1397. die 19. Decembris. *Ad tertium super proferta dictorum equitum, quam pro recepta & servitio maximo reputamus, dicimus, quòd (ut vos, credimus, non ignorare) dictum nostrum Regnum ob ęmulorum calumniantium rebellionem & nequitiam extitit retroactis temporibus adeò conquassatum & lacessitum; quòd illis omnibus eget ad pręsens, in quibus copiosiùs hactenus abundabat: ità quòd incolę & habitatores civitatum & locorum dicti nostri Regni, simul cum gente nostra armigera, vix eorum necessaria vitę solùm victualia possunt invenire. Et pro tantò, facere dictos equites vestros ad pręsens huc venire, esset, gravare eos & nostros ratione pręditta &c.*

Notificantes vobis, quòd, post revolutionem pręditam, Guglielmus Raymundus de Montecateno (qui fuit totius ejusdem revolutionis caput, & cęteris principalior) videns se deperditum, & ejus iniquum propositum ad effectum perducere non posse; ex timore potiùs quàm infirmitate, infra triduum in ejus rebellionis perfidià fuit defunctus: & sex loca, quę ad falsas suggestiones ejus & quorundam aliorum rebellium, se rebellaverant contra nos, per Dei gratiam (qui miraculosè fovet justam causam nostram, & verè pugnat pro nobis) ad nos spontaneè se reduxerunt: &, secundùm successùs, quos quotidie videmus, totum dictum nostrum Regnum ad debitum & naturale dominium, & statum pacificum universalem reducere speramus in brevi.

Nec, quòd patri similes fuere, inficiati sunt ipsimet Matthæus & Joannes, filii ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi III. Siquidem Anno 1398. die 10. Junii, cùm ipsi post patris mortem, ac postquam nonnullos ex Regi fidelibus vitâ & bonis spoliari permiserint, & Augustam, Agrigentum, Leontinum, Minæum, Sortinum & Ferulam in sua potestate detinuerint, atque in eorum Castris quamplures Regi fideles captivos habuerint; pœnitentiâ ducti, regiam implorarunt clementiam, quam sub certis capitulis (ubi de terrarum earundem, & aliorum bonorum restitutione Regi facienda, ac de eorum absolutione tractatur) obtinuisse videntur.

Et quoad Comitatum Augustæ, favore Matthæi, sequens capitulum adnotatur.

Item

Item la ditta Regia Majestati si contenta e voli, chi lu prefatu Matteu di Muncata baja lu Cuntatu di Augusta, cù quilli conditioni, clausuli e raxiuni, cù li quali l'appi, tinni e possediu sò Proavu ed Avu.

Anno 1404. die 20. Octobris. Instante apud eundem Serenissimum Dominum Regem Martinum, Comite Matthæo hujus nominis Secundo, ut privilegium confirmationis de permutatione Augustæ, quondam Comiti Matthæo avo suo per Dominum Regem Federicum III. annis 1365. & 1373. concessum, sibi tanquam illius vero nepoti, suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta prædicti privilegii continentiam & tenorem, & proinde sub clausula juris francorum (in dictis privilegiis expresse contentâ ac per ejus effectus explanatâ) confirmare, ac de novò concedere dignaretur; clementissimus Rex privilegia de permutatione Terræ & Castri Augustæ, Altævillæ & Melilli, in excambium insularum Melitæ & Gaudisii, concessa sub annis prædictis 1365. & 1373. & cum eorum inserto tenore, ratificavit, & de novò concessit.

Eidem nobili Matthæo de Montecateno, sunt verba privilegii, *& ejus hæredibus & successoribus suis in perpetuùm, confirmationem prædictam de permutatione, traditione, & assignatione & nova concessione prædistinctis, ipsi quondam nobili Avo suo factam, ac privilegium præinsertum, & omnia & singula in eodem privilegio contenta, juxta dicti privilegii continentiam & tenorem, de benignitate regia, largitate munifica, & speciali gratia, ac ex certa nostra scientia, sub conditionibus, capitulis, clausulis & reservationibus in dicto privilegio contentis, acceptamus, ratificamus, & pleno favore regio confirmamus, & de novò concedimus & donamus.*

Anno 1407. die 25. Junii. Comes Matthæus II. de Montecateno, per quendam permutationis actum, assignavit Serenissimo Domino Regi Martino Comitatum prædictum Augustæ, cum juribus & pertinentiis suis universis, sicuti Comes ipse tenebat & sui antecessores, ac potissimùm uti quondam magnificus Comes Matthæus de Montecateno avus suus prædictum Comitatum possedit. In cujus excambium Dominus Rex assignavit eidem Comiti Matthæo, *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*, Comitatum Caltanissettæ, atque assignare promisit, infra annum, Castrum & Terram Cammaratæ cum toto ejus Comitatu.

Quòd si illud infra annum prædictum Rex non assignaret; voluit Rex, quòd ipsemet ad certos fructus ibi conventos teneretur, quòdque infra alium annum florenorum 15000. solvere deberet. Quo secundo anno, & dum non fieret prædicta solutio; voluit Princeps, quòd idem C. Matthæus, Castrumnovum & floren. 10000. habere debuisset. Quibus annis duobus elapsis, quòd Dominus Rex præcisè teneretur solvere Comiti Matthæo in Castro Calta-

nis-

nissettæ eosdem florenos 15000. & Comes Matthæus Castrumnovum restituere.

Hoc tamen adjicitur, quòd valeat Dominus Rex infra alium tertium annum assignare eidem Comiti Matthæo Baroniam Cammaratæ, & ipse teneatur eosdem florenos 15000. statim restituere.

Prædictamque Baroniam & Comitatum Cammaratæ, promisit Dominus Rex eidem Comiti dare cum omnimoda jurisdictione civili & criminali, usque ad ultimum supplicium, inclusivè: atque eò maximè, quia Comes ipse suique prædecessores (nempe avus suus & proavus) cum iisdem præeminentiis Comitatum Augustæ possederant.

Anno 1410. die 31. Maii. Rex Martinus senior in ultimis constitutus, & qui eodem die mortuus est, Comitem Guglielmum Raymundum III. instante Comitissâ Stephaniâ uxore & Guglielmo Raymundo ejus filio, innocentem declarasse dicitur: assertum tamen, quod exhibetur, hujusmodi declarationis privilegium, a Rege signatum non est, neque a Protonotarii & Cancellariæ officialibus, qui forsitan illud registrari curassent, ut in omnibus penitus privilegiis, etiam ipsius Regis Martini senioris, servatum erat.

Sicuti etiam exequutoriatum in Regno non videtur, nec exequutioni mandatum; cùm nec insulæ Melitæ & Gaudisii, neque alia feuda fuerint restituta, quamvis ex eis adhuc plura sub regio demanio perseveraverint, ut perseverant.

Anno 1421. mense Januarii. Idem Guglielmus Raymundus donavit Comiti Matthæo II. fratri suo omnia jura sibi competentia super Comitatu Augustæ, qui ab ipso Comite Matthæo possidebatur, cui quidem legatus fuerat a quondam Comite Guglielmo Raymundo de Montecateno olim eorum communi genitore. Atque in hujusmodi donatione Comes Guglielmus Raymundus III. inclytus & egregius nuncupatur, & regni Siciliæ olim Magister Justitiarius, Magnus Comestabilis, ac Marchio Meliveti. eaque donatio, die penultimo dicti mensis Januarii, fuit in actis Ill. Panormitani Senatûs insinuata.

Eodem anno 1421. die 17. Decembris. Comes Matthæus de Montecateno hujus nominis Secundus, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem Comitem Guglielmum Raymundum de Montecateno suum primogenitum hujus nominis Quartum, sub infrascripto fideicommisso.

Et si dictus magnificus Dominus Guglielmus Raymundus, ejusdem magnifici testatoris hæres, mori contigerit sine filiis masculis legitimis & naturalibus de suo corpore legitimè descendentibus, aut ipsius filii & filiorum filii in infinitùm; tunc & eo casu instituit & substituit heredem universalem magnificum virum Gastonum de Montecateno ejusdem magnifici testatoris & dicta magnifica ejus uxoris filium legitimum & naturalem, & filios legitimos & naturales ejusdem magnifici Gastonis

ex

ex suo corpore descendentes: adeout, in successione prædicta, ordo servetur genituræ, ut omnibus præferatur primogenitus. Et si dictus Gastonus decesserit sine filiis masculis legitimis & naturalibus de suo corpore descendentibus, & ejus filii & filiorum filii in infinitùm; tunc substituit hæredem posthumum filium ex se nasciturum, si quem habere contigerit: & si duos, tunc primogenitum: quo deficiente, secundogenitus succedat. Et si primogenitus posthumus, aut secundogenitus non superessent; tunc substituit & instituit magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno ejusdem testatoris fratrem charissimum, & ipsius fratris filios masculos legitimos & naturales: ut primogenitus præferatur omnibus aliis in successione prædicta, & masculus fœminæ.

Et si dictus Dominus Guglielmus Raymundus filius testatoris decederet, non superstite aliquo alio filio masculo legitimo & naturali superstite ex se, nec dicto Gastono aut ejus filiis legitimis & naturalibus masculis, aut non superstite dicto magnifico Domino Guglielmo Raymundo ipsius testatoris fratre, nec suis filiis masculis legitimis & naturalibus; eo casu substituit & hæredem fecit magnificum Dominum Petrum de Montecateno patruum ipsius magnifici testatoris, & ipsius Domini Petri filios legitimos & naturales: & in casu, quo non superessent præfatus Dominus Petrus, aut ejus filii legitimi & naturales; tunc substituit & hæredem fecit magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno consanguineum ipsius magnifici testatoris, Dominum Aytonæ & Melitense, & ipsius filios masculos legitimos & naturales. Et si dictus magnificus Dominus Guglielmus Raymundus, aut ejus filii non superessent; tunc instituit & hæredem fecit magnificum Dominum Petrum de Montecateno ipsius Domini Guglielmi Raymundi fratrem, & ipsius Domini Petri filios legitimos & naturales. Et omnibus supra nominatis, aut eorum filiis masculis legitimis & naturalibus non superviventibus; tunc instituit, substituit & hæredem fecit magnificum Dominum Joannem de Montecateno fratrem charissimum ipsius magnifici testatoris, & ipsius Domini Joannis filios legitimos & naturales: intelligendo semper ut in dicta successione vivatur jure francorum, ut videlicet primogenitus masculus aliis & fœminæ præferatur. Et si (quòd absit) omnes decederent sine filiis masculis legitimis & naturalibus; tunc instituit, substituit & hæredem fecit magnificam Dominam Beatricem ipsius testatoris filiam legitimam & naturalem, & ipsius Dominæ Beatricis filios legitimos & naturales: & voluit & mandavit ipse magnificus testator, quòd ille, ad quem pervenerit ejus hæreditas, vocetur de cognomine de Montecateno, & deferat arma domùs de Montecateno, sine aliquo alio signo mixto in dictis armis.

Instituit quoque Matthæus II. testator hæredem suum particularem Dominum Gastonum filium, in illis florenis auri 15000. sibi a Rege Martino debitis ex causa permutationis Comitatùs Augu-

ſtæ cum Comitatu Caltaniſſettæ. Cum hac tamen conditione: quòd, ſi Dominus Rex pro ſatisfactione dictorum 15000. florenorum vellet tradere & aſſignare Caſtrum & Terram Cammaratæ, vel aliam Terram; quòd tunc & eo caſu dicti ſtatus aſſignandi, eſſe deberent Comitis Guglielmi Raymundi IV. hæredis univerſalis, qui teneretur ſolvere Gaſtono fratri memoratos florenos 15000. ad effectum emendi pro eodem Gaſtono aliquod feudum ſive Baroniam: in quo feudo vel Baronia emenda, quòd ſuccederent filii, & filii filiorũ maſculi legitimi & naturales ejuſdem Gaſtoni, & quòd feudum vel Baroniam emendam tenerent tanquam feudum antiquum, & non novum. Et ſi dictus Gaſtonus deceſſerit abſque filiis legitimis & naturalibus, & filiis filiorum in infinitùm; voluit teſtator, quòd ſuccederet Guglielmus hæres univerſalis, ejuſque filii, & filiorum filii in infinitùm: adeò quòd primogenitus & maſculus fœminæ præferretur. Et tandem inſtituit hæredem particularem Dominum Antonium filium ſuum Fratrem Ordinis Prædicatorum in florenis 4000. pro ſtudio.

Anno 1423. die 20. Septembris. Comes Matthæus II. quoſdam condidit codicillos, in quibus expreſſam fecit mentionem, quòd ipſe codicillator de bonis ſuis per teſtamentum diſpoſuerat. Atque ubi dixerat, *quòd in caſu, quo omnes ſui deſcendentes, & etiam Dominus Guglielmus Raymundus frater præfati teſtatoris non extarent ac ſupereſſent, quòd eo caſu ſuccederet Dominus Petrus de Montecateno ejus patruus, & ſi dictus Petrus non ſupereſſet, quòd ſuccederet Dominus Joannes de Montecateno alter ejus frater; voluit ipſe codicillator, modificando ſupradictam diſpoſitionem, quòd primò locò ſuccedat dictus magnificus Dominus Joannes, & ſecundò locò dictus Dominus Petrus de Montecateno, & tertiò & quartò locò ſuccedat Dominus Guglielmus Raymundus de Montecateno Dominus Aytonæ, & poſtea Petrus de Montecateno ejus frater.*

Sicuti etiam, quia Caſtrumnovum poſt teſtamentum acquiſierat (compenſato per Regem reſiduo pretii Comitatùs Auguſtæ, quod uſque ad ea tempora ſolutum non erat) dictumque Caſtrumnovum cuidam de Abbatellis pignori dederat; in eo Gaſtonum ſecundogenitum inſtituit eo modo, quo ipſum inſtituerat in illis florenis 15000. in teſtamento contentis, & ſub nonnullis clauſulis illius expignorationem & pretii diviſionem reſpicientibus. prædictumque teſtamentum & codicilli fuerunt a Comite Guglielmo Raymundo & Gaſtono, tam in eorum confeſſione, quàm per actum ſeparatum, mortuo patre, approbata.

Dicto anno 1423. die 20. Novembris. Comes Guglielmus Raymundus IV. literas obtinuit a Reverendiſſimo Epiſcopo Agrigentino directas Rev. Provicario Caltaniſſettæ, ut per hujuſmodi delegatum Comes ipſe abſolveretur a ju-

juramento, quod in actis interpositum erat, in quibus, ut dictum est, paternum testamentum & codicillum ratificaverat.

Anno 1424. die 29. Maii in Civitate Caltanissettæ. Inter prædictos Comitem Guglielmum & Gastonum de Montecateno fratres, quædam est publicata transactio, ad cujus tenorem, Castrumnovum Gastono per Comitem Guglielmum assignatum est, non obstante quòd, hoc per Comitem Matthæum eorum genitorem mandari non potuerit, quoniam in eo, utì subrogato in locùm Comitatùs Augustæ, solus ipse Comes Guglielmus ex clausula juris francorum successisse prætendebat. Atque in ea transactione præventum est, quòd in casu mortis sine filiis masculis ejusdem Gastoni, in Castronovo C. Guglielmus succedere deberet: sicuti etiam, mortuo sine filiis masculis eodem Comite Guglielmo, quòd Comitatum Caltanissettæ Gastonus consequeretur, fœminis in utraq; successione penitus exclusis. Actusque prædictus, in quo mentio fit testamenti Comitis Guglielmi Raymundi III. & in quo ipse nobilis dicitur & Marchio Meliveti, in præsentia Illustrissimi Domini Proregis & Sacri Consilii fuit insinuatus.

Anno 1444. die 24. Novembris. Per privilegium datum in Castronovo Neapolis: Dominus Rex Alphonsus, instante Comite Guglielmo Raymundo hujus nominis Quarto, filio Comitis Matthæi in ordine Secundi, contractum permutationis factæ de Comitatu Caltanissettæ cum Comitatu Augustæ inter Dominum Regem &. Matthæum de Montecateno ejus patrem, cum illius inserto tenore confirmavit, iterumque concessit Comitatum eundem Comiti Guglielmo Raymundo pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, & sub clausulis in permutatione contentis.

Anno 1448. die 12. Septembris. Guglielmus Raymundus filius Comitis Guglielmi Raymundi III. (qui Barchinonæ paternæ innocentiæ declarationem obtinuisse dicitur) per testamentum, sub quo humana reliquit, Isabellam uxorem suam (quam voluit Barchinonæ tumulatam) hæredem instituit universalem, particularem verò Gastonum nepotem suum ejusque filios, & subsequenter C. Guglielmum Raymundum Comitem Adernionis in bonis ad se perventis, & in juribus omnibus ad se spectantibus ex quondam Comite Guglielmo Raymundo de Montecateno: atque in eo testamento idem Comes, Magnificus Dominus appellatur, atque olim Marchio Meliveti. Sicuti etiam particulares scripsit hęredes quoslibet nepotes suos, natos videlicet ex suis fratribus & sororibus, in florenis centum pro quolibet de bonis ad se perventis atque ex juribus & actionibus sibi competentibus ex dicto quondam magnifico Domino Marchione Meliveti, & non de bonis per semetipsum testatorem acquisitis.

Anno 1453. die 10. Augusti. Comes Guglielmus Raymundus

IV. aliam obtinuit a Sereniſſimo Rege Alphonſo confirmationem de permutatione ejuſdem Comitatùs Caltaniſſettæ *pro ſe ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus in perpetuùm*, & ſub eiſdem clauſulis & conditionibus in eadem permutatione, atque in privilegiis aliàs conceſſis, latiùs adnotatis.

Anno 1465. die 26. Aprilis. Humana reliquit Comes Guglielmus Raymundus IV. abſque legitima prole, inſtituto hærede univerſali Antonello filio ſuo naturali legitimato per reſcriptum Principis, atque in Comitatu Caltaniſſettæ Antonio fratre ſuo & Comitis Matthæi II. altero filio tempore mortis patris in Ordine Divi Dominici adſcripto.

Voluit tamen, quòd caſu, quo dictus Antonius moreretur ſine filiis, & ejus filii ſine filiis in infinitùm; ſuccederet Dominus Comes Adernionis & ejus filii maſculi: quibus deficientibus, quòd ſuccederet Antonius Perius de Moncada Dominus Ferulæ, & ejus filii maſculi: quibus omnibus deficientibus, quòd ſuccederent in eodem Comitatu omnes perſonæ ſubſtitutæ & vocatæ in teſtamento & codicillis quondam illuſtris Domini Comitis Matthæi ſui genitoris.

Inſtituit etiam idem C. Guglielmus Raymundus eundem Antonium fratrem ſuum hæredem particularem in illis ducatis 10600. de ſumma illorum floren. 15000. qui fuerunt quondam Gaſtono altero fratri per quondam eorum patrem ſub vinculo relicti, tanquam de pretio Auguſtæ.

Ac voluit etiam teſtator, quòd, ſi Comitatus Caltaniſſettæ eademque ſcuta 10600. a poſſe & tenuta ejuſdem Antonii evincerentur; Antonellus hæres ſuus univerſalis ad nihilum teneretur. Siquidem ipſe teſtator eundem Comitatum & pecuniarum quantitatem ad dictum Antonium poſt mortem ſuam pertinere exiſtimavit, tanquam ad proximiorem agnatum: adeout, ſi ad eum non ſpectarent; voluit, quòd ad nihilum teneretur Antonellus hæres ſuus univerſalis: mandavitque dictas pecunias converti debere in emptionem cujuſdam Terræ, ad formam in teſtamento quondam illuſtris Comitis Matthæi patris ſui adnotatam.

Anno 1466. die 11. Novembris. Ob mortem ſine filiis legitimis & naturalibus ejuſdem Comitis Guglielmi Raymundi IV. magna agitata eſt controverſia, ſuper ſucceſſione ſtatùs & Comitatùs Caltaniſſettæ, inter dictum Antonium de Montecateno Comitem Caltaniſſettæ hæredem ſcriptum ultimi morientis, ac filium quondam Comitis Matthæi, & Joannem Thomam de Montecateno Comitem Adernionis. Siquidem ipſe Joannes Thomas vigore teſtamenti & codicilli Comitis Matthæi II. in caſu mortis ſine filiis legitimis & naturalibus ejuſdem Comitis Guglielmi Raymundi, utì filius Comitis Joannis primò ſubſtituti, atque ex aliis juribus fuerat ad ſucceſſionem invitatus: non autem Antonius illius filius, qui

qui tunc erat, ut dictum est, frater Ordinis Prædicatorum, de qua re pendebat quæstio in M. R. C.

Quapropter de mandato Proregis, ipsoque etiam interveniente, ut lites inter personas sanguine conjunctas evitarentur; ad solemnissimam transactionem deventum est. Cujus tenore fuit concordatum, quòd Guglielmus Raymundus hujus nominis Quintus, Comitisque Joannis Thomæ filius, contrahere deberet matrimonium (obtentâ prius Pontificiâ dispensatione) cum Contissella de Montecateno filia ejusdem Comitis Antonii. & contemplatione ejusdem matrimonii fuit Comitatus in dotem constitutus Contissellæ tam ex voluntate Comitis Joannis Thomæ patris sponsi, quàm Comitis Antonii patris sponsæ.

Sub pacto, quòd natis jam ex dicto matrimonio filiis, dictus Comitatus ad filios ex iisdem jugalibus nascituros pertineret: dummodo quòd in vita Comitis Joannis Thomæ & post mortem Comitis Antonii, Comitatus prædictus esset ipsius Comitis Joannis Thomæ, & post ejus mortem, filiorum suorum & descendentium in perpetuùm.

Sub pacto etiam, quòd casu, quo eadem sponsa, cùm pervenisset ad ætatem annorum duodecim, sponsalia non ratificasset; eo casu promisit Antonius pater sponsæ Comitatûs possessionem tradere Comiti Joanni Thomæ si in humanis fuisset, &, in casu deficientiæ, ejus filiis legitimis & naturalibus: quandoquidem, eo casu prædicto adveniente, Comitatum ipsum pervenire voluerunt ad ipsum Comitem Joannem Thomam ejusque filios, ex causa memoratæ transactionis. Si verò eadem sponsa ratificaret; quòd esset & intelligeretur Comitatus Caltanissettæ dotatus tam per Comitem Joannem Thomam, quàm per Comitem Antonium contemplatione ejusdem matrimonii.

Verùm quòd, durante vitâ Comitis Antonii, possessio ejusdem Comitatûs esse deberet ipsius Comitis Antonii: eo verò mortuo, quòd esse deberet Comitis Joannis Thomæ ejus vita durante, &, post mortem suam, ejusdem Contissellæ & Guglielmi Raymundi jugalium (uti eis donata contemplatione dicti matrimonii) & eorum filiorum & descendentium in perpetuùm. Et e contra, casu, quo dictus sponsus, cùm pervenisset ad ætatem annorum quatuordecim, sponsalia prædicta ratificare noluisset; quòd eo casu possessio Comitatus esse deberet ejusdem Contissellæ, & aliorum filiorum Comitis Antonii, tanquam si recensita concordia facta non fuisset.

Sub pacto etiam, quòd, si ex Comite Antonio ejusque uxore nasceretur filius masculus, ipse consequi deberet ex pretio Castrinovi scutorum 10600. quæ fuerant Gastoni. Et ultra, quòd filius ex Comite Antonio nasciturus habere deberet a Comite Joanne Thoma & ejus filiis florenorum 10000. infra sex menses

post

post mortem ipsius C. Antonii, & habitâ jam possessione ejusdem Comitatùs. Eo adjecto, quòd casu, quo non fuissent hujusmodi filio masculo ex Comite Antonio nascituro, solutæ pecuniæ prædictæ; eo casu talis filius haberet possessionem Comitatus Caltanissettæ, & in ea persisteret, donec ei fuissent floreni 12000. satisfacti.

Sub pacto etiam, quòd si Contissella ab humanis decessisset antequam ad nubilem ætatem pervenisset, vel postea quandocumque antequam matrimonium cum Guglielmo Raymundo consumasset, & nata fuisset altera filia Comitis Antonii;quòd eo casu deberet quoque matrimonium contrahi inter aliam Antonii filiam, filiumque primogenitum Comitis Joannis Thomæ.

Et eodem modo, si decederet Guglielmus Raymundus filius Comitis Joannis Thomæ, & nasceretur alius filius; quòd inter alium filium ipsius Comitis Joannis Thomæ & Contissellam matrimonium pariter contrahi deberet: &, si ambo decederent; quòd contrahi deberet matrimonium inter alios filios nascituros. Si verò, matrimonio contracto & consumato, moreretur dictus sponsus vivente Contissellâ;quòd eo casu, post mortem Comitis Antonii, Comitatus esset Comitis Joannis Thomæ ejusdemque filiorum: & quòd Contissella maritari deberet cum dote de paragio scutorum 800. si extitisset filius masculus Comitis Antonii; si verò non extitisset, consequi deberet, pro dote de paragio, florenorum 8000. dummodo quòd una tantùm ex filiis Comitis Antonii conjugio adstringeretur.

Pacto demum, pro totali prædicta successione regulanda, processit, quòd in casu mortis Comitis Antonii quandocumque cum filiis vel sine filiis; idem Comitatus esset Comitis Joannis Thomæ ejusque filiorum & descendentium masculorum & fœminarum, in perpetuùm: quibus omnibus deficientibus absque filiis, nepotibus, aliisque legitimis descendentibus in perpetuùm; quòd Comitatus ipsò factò redire deberet ad filios, nepotes, pronepotes & descendentes legitimos & naturales in infinitùm ejusdem Antonii Comitis Caltanissettæ.

Et tandem pacto processit, quòd illi floreni 10000. de pretio Castrinovi (qui debebantur Comiti Antonio per Antonellum de Moncateno filium naturalem Comitis Guglielmi Raymundi IV.) essent ejusdem Comitis Joannis Thomæ: cum hoc, quòd, nato filio masculo dicti Comitis Antonii, illi deberent per Comitem Joannem Thomam restitui, ultra prædictos florenos 12000. ut supra conventos. Adeout, quòd in totùm Comes Joannes Thomas solvere teneretur floren. 22000. si filius prædictus nasceretur: sin autem; quòd C. Joannes Thomas memoratos 10000. florenos restituere non teneretur.

Eodem anno 1466. die 14. Novembris. Idem Comes Antonius de

de Montecateno cæpit de Comitatu Caltanisfettæ investituram, ob mortem sine filiis Comitis Guglielmi Raymundi IV. atque uti ejus frater.

Anno 1479. Decessit Comes Antonius, & in Comitatu Caltanisfettæ successit Comes Joannes Thomas, qui cæpit investituram *sub forma expressata in contractu permutationis olim facta de dicto Comitatu, seu Comitatu Augustæ cum Serenissimo bonæ memoriæ Rege Martino, celebrato Catanæ in actis* Notarii Laurentii de Noto *olim die 25. Junii* 1407.

Anno 1501. Obiit idem Comes Joannes Thomas, & in Comitatu prædicto successit Comes Guglielmus Raymundus V. vir Contisfellæ, uti filius primogenitus & hæres ejusdem Comitis Joannis Thomæ sui genitoris: qui quidem nihil de Comitatu Caltanisfettæ disposuit, ubi dixit, de bonis illis disponere intellexisse, in quibus potestatem habebat hæredem nominandi.

Anno 1510. Mortuus est Comes Guglielmus Raymundus V. instituto Antonio filio suo primogenito in Comitatu Caltanisfettæ, pro quo id observandum esse mandavit, quòd fuit accordatum cum quondam Contisfella sua uxore.

Anno 1511. Fuit per Comitem Antonium hujus nominis Secundum de Comitatu Caltanisfettæ & de aliis statibus capta investitura, ob mortem ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi V. ejus Patris, *juxta formam suorum privilegiorum*: naturâ & formâ feudi in aliquo non mutatâ, ac juribus Regiæ Curiæ & alterius cujuscumque semper salvis.

Anno 1517. die 2. Martii. Ob mortem Serenissimi Regis Ferdinandi, & successionem Reginæ Joannæ Regisque ejus viri, fuit iterum per dictum Comitem Antonium capta investitura prædicta, & eodem modo, quo in alia de anno 1511. *juxta formam suorum privilegiorum*, ut dictum est.

Anno 1549. Decessit ab intestato idem Comes Antonius, eique successit D. Franciscus filius suus primogenitus, qui fuit primus Princeps Paternionis.

Anno 1550. & 1557. Idem Comes D. Franciscus de Comitatu Caltanisfettæ & aliis statibus cæpit investituram *pro se, suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1566. die 24. Februarii. Idem Comes D. Franciscus Moncada primus Princeps Paternionis, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem D. Cæsarem Moncada filium suum legitimum & naturalem atque indubitatum successorem, qui fuit vir D. Aloysiæ de Luna Comitissæ Caltabillottæ.

Anno 1568. die 29. Martii. Comes D. Cæsar, patris hæres, cæpit omnium statuum investituram *pro se, suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1571. Decessit ab intestato Comes D. Cæsar, eiq; successit D. Fran-

D. Franciscus primogenitus, qui Anno 1572. sub die 13. Februarii 15. indict. cæpit investituram de Comitatu Caltanisettæ *pro se, suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1584. die 15. Martii. Contracto matrimonio inter dictum Comitem D. Franciscum Moncada hujus nominis Secundum filium Comitis D. Cæsaris, & D. Mariam Aragona & la Cerda, plura fuere inter conjuges (usquequo contractus matrimonialis non extenderetur) accordata capitula, inter quæ unum adest hujusmodi tenoris.

Item processit ex pacto juramento vallato, quòd filii & filiæ utriusque sexùs nascituri & nascituræ ex præsenti matrimonio, succedant & succedere debeant tam in Principatu Paternionis, Caltanissettæ, Adernionis, Centurpium & Mottæ Sanctæ Anastasiæ, quàm in Ducatu Montisalti, Comitatu Collesani & aliorum: ità quòd filius masculus præferatur fæminis, & major natu minoribus in perpetuùm & in infinitùm: & ille seu illa, qui seu quæ succederet in dictis statibus, servare debeat alternativam titulorum, cognominum & armorum ipsorum contrahentium: cum hoc, quòd primogenitus seu primogenita, qui seu quæ succederet in dictis statibus, prout superiùs dictum est, nominari & vocari debeat Dux Montisalti seu Ducissa Montisalti, & suscipere arma & cognomina de Aragona, & nepos seu neptis dictorum Excel. Dominorum jugalium vocari debeat Princeps seu Principissa Paternionis, & suscipere arma & cognomina de Moncada: & sic servetur ordo in dictis & aliis genitis usque in infinitùm, quoad arma & cognomina. Ex pacto.

Anno 1585. die 18. Julii. Fuit a sponsis prædictis stipulatus contractus matrimonialis, in quo sequens legitur pactum.

Item processit ex pacto juramento vallato, quòd filii & filiæ utriusque sexùs nascituri & nascituræ ex præsenti matrimonio (Deo dante) qui succedent tam in Principatu Paternionis, Centurpium, Caltanissettæ, Melilli, Adernionis, Collesani & aliorum, in quibus ex forma privilegiorum dispositionum succedere debent in dictis statibus, servare debeant alternativam titulorum, cognominum & armorum ipsorum contrahentium: hoc est, quòd primogenitus seu primogenita primus nasciturus seu prima nascitura, qui seu quæ succederet in dictis statibus, prout superiùs dictum est, nominari & vocari debeat D. Antonius Aragona Dux Montisalti, seu D. Antonia Aragona Ducissa Montisalti, & suscipere arma & cognomina de Aragona: & nepos seu neptis dictorum jugalium, qui vel quæ in posterùm in dictis statibus successerit, vocari debeat D. Franciscus Moncada Princeps Paternionis, & suscipere arma & cognomen de Moncada: & sic servetur ordo prædictus in omnibus & quibuscumque successionibus dictorum statuum, usque in infinitùm.

Anno 1592. Obiit Comes D. Franciscus ab intestato, atque in statibus succesit D. Antonius, (qui

(qui vocatus est de Aragona) uti succesfor indubitatus. Hic Anno 1600. die 23. Septembris cæpit, inter alia, investituram de Comitatu Caltanisfettæ *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Anno 1626. 20. Junii. Prædictus Comes D. Antonius de Aragona & Moncada, refutavit per se & suos succesfores in perpetuùm, D. Aloysio de Moncada filio suo primogenito & indubitato succesfori, omnes status, Principatus, Comitatus & alia, *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Anno 1627. die 9. Junii. Comes D. Antonius de Moncada, tanquam pater & administrator Comitis D. Aloysii filii, cæpit investituram de Comitatu Caltanisfettæ *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Anno 1631. 3. Aprilis. Comes D. Antonius de Aragona, per testamentum, sub quo decesfit, hæredem sibi scripsit universalem Comitem D. Aloysium de Moncada proprium filium.

Anno 1672. die nono Aprilis in Villa Matriti. Comes D. Aloysius de Moncada Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in suo, sub quo decesfit, testamento hęredem universalem instituit D. Ferdinandum, qui vocatus est de Aragona, suum unicum filium, a quo Dicto anno 1672. fuit capta investitura juxta formam quoque suorum privilegiorum.

Anno 1713. die 11. Novembris. Comes D. Ferdinandus de Aragona mortuus est, & per suum testamentum hæredem sibi scripsit universalem D. Catharinam de Toledo, Aragona & Moncada, uxorem D. Joseph Toledo Ducis Fernandinæ & Marchionis Villæfrancæ, suam unicam filiam. Quapropter ad ejus instantiam fuerunt impetratæ ab hoc amplissimo M. R. C. Tribunali, sede plenâ, literæ manutentionis possessionis. Unde ipsas esse sigillandas, non autem alias ad instantiam Domini Ducis Sancti Joannis etiam emanatas, in controversiam deduci non potest: illa enim filia est ultimi possessoris, & hæres scripta, atque in prædicto Caltanissettæ Comitatu ex regiis concessionibus & privilegiis, & suorum progenitorum dispositionibus, videtur ad successionem invitata.

Sed nos omittimus longum conclusionum apparatum, quo communiter nostri Oratores in judiciis possessoriis summariissimis, super continuatione possessionis in hæredem scriptum, solent mordicus insistere, cùm ex jure communi tum ad tenorem capituli 43. Regis Ferdinandi. Omittimus, quòd in illis ultimus status omnino attendi debeat: siquidem filia ultimi possessoris, etiam quòd nihil ultra concludat, debet in possessione manuteneri, Agnato rejecto (etsì de eo lex investituræ loquatur) quoniam agnatorum jura debent ad judicium petitorium reservari.

D Et

Et genio Partis indulgendo, ultro concedimus, quòd Agnatus etiam concurrere valeat cum filia ultimi possessoris & cum hærede scripto: vel ex jure communi per titulum, quem Agnatus habere prætendit ex antecessorum investituris & testamentis, ac per civilem possessionem, quam animo retinere contendit: vel ex capitulis novissimis, quæ licèt expressè fuerint pro certis casibus edita; solent tamen etiam in favorem Agnatorum accommodari: vel demum ex regiis literis, sub diversis annis, per laudabilissimum supremi hujusce Tribunalis stylum exequutis, per quas merita etiam petitorii in possessoriis summariissimis deguſtantur.

Hoc tamen constantissimum apud omnes est (quod in sequentibus orationibus repetitum vo-
2 lumus) † talia esse debere favore Agnatorum instrumenta, talesque circumstantias adesse opus est; ut de exclusione fœminarum & de Agnatorum inclusione dubitari non valeat, nempe quin concessio vel substitutio de Agnato clarè loquatur, & fœminas apertissimè excludat. Textus est in *l.* 1. *C. de condit. insert. l. Lucius Titius* 91. §. *quæsitum ff. de legat.* 3. Molin. *de primogen. lib.* 3. *cap.* 40. *a n.* 32. *vers. ex eisdem cum seq.*

Sicuti etiam id solidissimè pro-
3 pugnatur, quòd, † in casu dubio, semper favore filiæ ultimi possessoris & hæredis scripti pronunciandum est. Castil. *lib.* 5. *cap.* 180. *n.* 16. Balducc. ad Ramon. *tom.* 4. *decis.* 82. *n.* 33. Cammar. *tom.* 2. *resp.* 4. *n.* 9.

Adeout si, ut versamur in claris (quoniam Domini Ducis Sancti Joannis prætensio nedum turbida, sed omni prorsus ratione spoliata videtur) † in dubiis versare- 4
mur; Domina Cliens filia ultimi possessoris & hæres scripta, semper esset manutenenda. Ultra citatos, Posth. *de manut. observat.* 42. *n.* 68.

Discursum igitur, facilioris declarationis gratiâ, in quinque partes dividendo: in Prima, † suc- 5
cessionem Comitatûs Caltanissettæ per ascriptam clausulam juris francorum metiendam esse, probabitur, ex forma præsumpta nedum in concessione Comitatûs Melitæ & Gaudisii, per quam ipsarum successio ad Luchinam de jure pervenit; verùm etiam ex ea, quæ a Regibus datur in concessione Comitatûs Augustæ vel favore Luchinæ, vel Comitis Guglielmi Raymundi I. ejus viri, & eorum descendentium: quæ quidem clausula, per mortem concessionarii ab intestato, fuit etiam perpetuò introducta.

In Secunda probabitur, † clau- 6
sulam juris francorum nostram regere successionem, ex confirmatione concessionis Comitatûs Augustæ a Rege Federico III. expressè facta cum eadem clausula Comiti Matthæo I. annis 1365. & 1373. Et deinceps fundabitur, quòd Comes Matthæus I. ab intestato decessit: & si cum testamento; quòd novam dare formam non potuit: quæ quidem forma, si assertum Matthæi testamentum attendi deberet, ea quidem

dem esset, quòd per clausulam juris francorum foret in casu præsenti succedendum. Vel demum, si per possibile C. Matthæus I. primus esset quæsitor ex donatione anni 1367. Comes Guglielmus Raymundus III. ejus primogenitus successisset.

7 In Tertia suadebitur, † Comitem Raymundum III. non reputandum primum Comitatùs Augustæ quæsitorem, & non potuisse neque per indulta Principum de illo ad sui libitum disponere in præjudicium contemplatorum in primis investituris: proindeque ejus dispositionem, quæ favore masculorum non verò agnatorum concepta est, non esse attendendam, etiam quia, ut in privilegiis affirmatur, in delicto decessit, & Comitatus Augustæ fuit publicatus.

8 In Quarta ostendetur, † dictum Comitem Guglielmum Raymundum III. non fuisse innocentem a Rege Martino seniore declaratum. Et quatenus contrarium diceretur; nil hoc influeret pro exequutione suæ testamentariæ dispositionis, nec in præsenti nec in quovis alio altiori judicio: quoniam Augustæ Comitatus a Regibus Comiti Matthæo II. ejus filio (fortè sub antiqua clausula juris francorum in prioribus concessionibus adnotata) donatus fuit.

Et demum in Quinta & ultima
9 concludendum erit, quòd † Comitatus Augustæ tanquam feudum novum, & sub nova clausula juris francorum fuit Comiti Matthæo II. habitus pro restituto. Adeout in præsenti judicio, atque ·· successione ipsius Comitis Matthæi II. fideicommissum attendendum sit cum expressa clausula juris francorum ordinatum, & ad unguem exequenda transactio super ipso stipulata sub anno 1466. inter Comitem Antonium I. & Comitem Joannem Thomam.

Qua quidem transactione ad evidentiam convincitur, tam antiqua quàm recentiora privilegia & testamenta, juris francorum clausulam continere: quippe Comes Antonius, qui a Comite Matthæo II. suo genitore ad successionem non invitatus in antiquis se fundabat investituris & testamentis, fœminarum successionem non negavit: sicuti nec Comes Joannes Thomas, qui fœminas pariter admisit, & ex novis privilegiis C. Matthæo II. concessis, atque ex ipsius testamento successionem prætenderat.

Conclusum deinde remanebit, quòd exequendi etiam veniant sequentium possessorum usque ad ultimum defunctum actus, investituræ & ultimæ voluntates: ea enim testamento & transactioni satis consona videntur. Et demum qualitas instrumentorum, quæ in processu edita sunt, examinabitur.



DISCURSUS PRIMI
PARS PRIMA.

De Forma Præsumpta in concessionibus factis Luchinæ Progenitoribus & Comiti Guglielmo Raymundo I. ac de Successione ab intestato Comitis Guglielmi Raymundi II. & Comitis Matthæi I.

SUMMARIUM.

Forma feudi præsumitur stricta & sub clausula juris francorum, ubi de concessionis privilegio non constat, vel si doceatur de possessione Baronis per 30. *annos ex* Cap. 456. *&* 458. Regis Alphonsi. *n.* 1.

Vel si de certa forma non constet in prima investitura ex Cap. 246. Regis Caroli. *n.*2. *&* 3. *Fortiùs in magno Comitatu. n.* 4.

U. J. D. D. Franciscus Salomone ex adversò in causa Patronus laudatur, ejusque objectum proponitur, quòd scilicet Insula Melita & Gaudisii fuerint Luchinæ progenitoribus concessa, antequam jus francorum fuisset plenè in Regno introductum. n. 5. *&* 6.

Jus francorum ex Regni Constit.In aliquibus *&* Ut de successionibus *remansit speciale & ab allegante probandum. n.* 7.

Capitula Regis Alphonsi & Regis Caroli loquuntur indistinctè in quibuscumque feudis, etiam antiquissimis. n. 8.

*Affertur vera Luchinæ genealogia, atque Illustris Marchio de Mondèjar laudatur: ejus tamen dictum erroneum detegitur per monumenta Abbatis D.Rocchi Pirro, Vicecancellarii de Abela, aliorumque historicorum, latè n.*9. *& seq.*

*Historicis venit deferendum quatenus antiqui sint, & probatæ authoritatis, & quatenus eorum dicta typis mandata fuerint.n.*10.

Jus francorum speciale probatur in familia, si constet, fœminam fuisse ad successionem admissam. n. 11.

*Agnatio tempore, quo pervenit successio ad fœminam ob defectum masculorum, quodammodo dormit, excitatur tamen post masculorum nativitatem. n.*12. *Intellige si speciali lege in investitura fuerit conventum. n.* 13.

Duo specialia non sunt præsumenda in perniciem descendentium fœminarum. n. 14.

Expenduntur verba Constit.In aliquibus *&* Ut de successionibus *ad probandum jus francorum in feudis, in quibus fœmina admissa sunt. n.* 15.

Clausula juris francorum adjecta in concessione, sicuti certum est, quòd ad-



D indagandam formam, ſub qua feudi conceſſio facta eſt, ubi de illius ſcriptura non conſtat, parum venit elaborandum, Sapientiſſimi Judices. Jura enim Regni noſtri clariſſimè
1 decernunt, † quòd, ſi de conceſſionis privilegio non conſtet, vel ſi doceatur, Baronem abſque privilegio feudum per annos triginta poſſediſſe; quòd illud in forma ſtricta fuerit conceſſum & ſub clauſula juris francorum, quę Dominam Clientem, excluſo agnato remotiore, ad ſucceſſionem admittit. Ita ſancitum legitur in *Capit. 456. Regis Alphonſi condito ſub anno* 1452.

Item (ſunt verba capituli) *ſia ſua mercè etiam rimettere ogni ragiuni ſpettanti alla Regia Corte contra tutti Prelati & Eccleſiaſtici Perſuni, Marchiſi, Conti, Viſconti, Baroni e Feudatarii, per alienationi di Marcheſati, Contati, Baronii e feudi quaternati ò plani, quomodocumque alienati uſque in hodiernum diem, ſub alia forma, quàm in eorum privilegiis continetur, propter quam formæ mutationem, dicta bona alienata, Curiæ aperiri debeant, vel aperta eſſent. Ità quòd de cætero li detti Marcheſati, Contati, Baronie e Feudi alienati, remaneant ſub forma, in qua alienatio facta fuit, non obſtante mutatione formæ, ut ſupra: attentò maximè, quòd per* Capit. Volentes *data eſt libera facultas alienandi.*

Placet Regiæ Majeſtati, quòd propter mutationem formæ in alienationibus feudorum hactenus factis, per ſententiam non deciſis, & exequutioni mandatis, feuda ipſa non cenſeantur Regiæ Curiæ aperta, remaneant tamen ſub forma earum conceſſionum, ſi de illis authenticè conſtiterit: alioquin, cenſeantur & intelligantur eſſe conceſſa ſub forma juris francorum.

Ità etiam ſancitum legitur in alio *Capitulo* 458. *ejuſdem Regis Alphonſi edito eodem anno* 1452. *Item* (ſunt verba capituli) *ſia ſua mercè confermare e di nuovo concedere a tutti Prelati, Eccleſiaſtici Perſuni, Marcheſi, Conti, Baroni e Feudatarii del detto Regno, cujuſcumque ſtatùs & conditionis exiſtant, qui ab annis triginta uſque ad præſentem diem, ipſi vel eorum prædeceſſores habbiano tenuto e poſſeduto loro Marcheſati, Contati, Baronii, Terri, Caſtelli e Feudi cum juribus ſuis &c.*

Placet Regiæ Majeſtati confirmare & de novò concedere eiſdem Prælatis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & Feudatariis, eorum Marchionatus, Comitatus, Baronias & Feuda: hoc eſt, habentibus de eis privilegia ſeu contractus; ſecundùm formam eorum privilegiorum ſeu contractuum: & non habentibus privilegia; de novò concedere pro ſe & ſuis hæredibus ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus: ità tamen quòd vivant jure francorum.

Et ne unquam dubitaretur, quin omnibus in caſibus, ſub jure francorum, debeant fideles feudorum ſucceſſione gaudere; aliud extat in Regno decretum, ad cujus tenorem, † feudatarii, poſſidentes 2

dentes quæcunque feuda in prima investitura certam formam non habentia, jure francorum vivere intelliguntur, ut legi potest in *Capit.* 246. *Regis Caroli edito anno* 1550.

Della conservatione delle primogeniture (sunt verba capituli) *nelli stati, baronie e fegbi, ne risulta non poco servizio à vostra Cesarea e Cattolica Maestà, e beneficio al Regno. Al che havendo rispetto, supplicò altra volta, che quelli, de' quali non apparesse la forma, s'intendessero cum clausula juris francorum; e non di manco s'hà visto &c.*

Placet Cæsareæ & Catholicæ Majestati, quòd feudatarii possidentes quæcumque feuda, in eorum prima investitura certam feudi formam non habentia, jure francorum vivere intelligantur.

Unde est, quòd, cùm nec de concessione Insularum Melitæ & Gaudisii, nec de ipsarum permutatione cum Terra & Castro Augustæ (in qua forsan forma antiqua enunciaretur, vel nova data esset) privilegia appareant; rectè
3 sequitur, † illarum concessionem in forma stricta & cum clausula juris francorum, ad præscriptum dictarum legum a Rege Alphonso conditarum, esse præsumendam, ut, eis attentis, concludunt Mastrill. ad Gregor. *de feud. p.* 3. *quæst.* 3. *in fine.* Muta *in Capit. Si aliquem* 33. *Regis Jacobi a n.* 203. *ad* 217. *& in Capit.* 456. *Regis Alphonsi a n.* 15. Giurba *de feud. prælud.* 6. *n.* 40. Ill. Præses Gaston. *discept.* 24. *n.* 10. *& discept.* 25. *n.* 4.

Quod eò magis nostro in casu locum habere debet, quò de magno agitur Comitatu (scilicet de Comitatu Melitæ & Gaudisii, & de Terra & Castro Augustæ, quibus maxima erat annexa dignitas atque amplissima jurisdictio) † qui 4
quidem suâpte naturâ insitam habet clausulam juris francorum. *Decisio Sicula apud* Lucam *de feudis, seu Justificationes in causa Buteræ publicata* ab Ill. Præside de Giusino *artic.* 1. *n.* 29.

Plura tamen adducit in contrarium † eruditissimus ex adversò 5
in causa Patronus U.J.D. D.Franciscus Salomone, magnus nostri ævi Advocatus, cujus merita omnia nostri Regni Tribunalia posteris dicent, ubi illum, quòd jam sustinuit Panormi in Regia Prætoriana Curia judicandi officium, in suis sedibus meritò jusdicentem videbunt.

Et quidem opponit primò, quòd
† capitula prædicta non procedunt in feudis, quorum concessiones, tanquam antiquissimæ, fieri debuerunt antequam fuisset in Regno introductum jus francorum omni ex sui parte perfectum. Tali enim casu concessio eo modo facta præsumi debet, quo Reges concessionis tempore concedere, & Vasalli feuda recipere solebant, & eo quidem jure, quo vivere videbantur. Atqui concessio Insularum Melitæ & Gaudisii facta est ante perfectam juris francorum introductionem, & eo quidem tempore, quo, præter feudi & possessoris individuitatem (quod tantùm juri francorum ascribebatur) Jus Longobardorum & Commune 6

mune

mune Feudorum in Regno vigebar. Consequens ergo, quòd concessio præsumi debeat sub jure prædicto, quod quidem fœminas a feudorum successione penitus excludit.

Idque probare prætendit Adversarius ex eo, quòd concessio Comitatùs Melitæ & Gaudisii, facta Luchinæ Progenitoribus, sequuta est satis ante annum 1193. quo Melitam possidebat quidam Magnus Regni Admiratus Margaritus de Brundusio, cujus descendens erat Luchina tanquam filia cujusdam Nicolai. Quidam enim Henricus de Pistòr fuit hujus Nicolai pater, & vir cujusdam filiæ Guglielmi de Grosso, qui filius erat Margariti. Hujusmodi genealogiam arbor inscripta demonstrat.

MARGARITUS DE BRUNDUSIO

GUGLIELMUS DE GROSSO

FILIA GUGLIELMI
UXOR HENRICI DE PISTOR

NICOLAUS

LUCHINA

Atque etiam subjungit, quòd ab hujusmodi Progenitoribus Insulas habuerit Luchina, nupta, ut in facto dictum est, Comiti Guglielmo Raymundo Primo. Quod, quamvis regia privilegia non affirment, sustinet Adversarius ex copia cujusdam manuscripti genealogici præclarissimæ familiæ de Moncada, hispano idiomate conscripti ab Ill. Marchione de Mondèjar, ex Proceribus Hispaniarum, de familia Mendoza, non vulgaris, ut ipse ait, eruditionis Chronologistâ. Sicuti etiam quòd Luchina ex dicto Margarito descendat, sustinet ex quadam enunciatione apud Lengueglia *loco infra citando*.

Hinc proinde infert Adversarius, quòd præsens successio per agnationem regulari debeat. Quippe concessio Luchinæ Progenitoribus facta ante annum 1193. eo tempore dici debet impartita, quo jus Longobardorum in Regno servabatur. Quamvis enim jus francorum usq; ab anno 1071. quo cæperunt regnare Nortmanni, fuerit in Regno introductum; cognitum tamen erat quoad effectum dumtaxat, ut feuda individua conservarentur, atque ut unus esset possessor (sicuti etiam jus Longobardorum in feudo dignitatis concedebat) non autem quoad fœminarum admissionem, quas nonnisi post annum 1221. ad feudalem succesionem invitavit, siquidem prædicto anno sub Imperatore Federico fuerunt publicatæ Constitutiones *In aliquibus* & *Ut de successionibus*. Jus autem francorum † speciale remansit, & 7
ab allegante probandum, ut summâ eruditione confirmat Ill. Præses de Drago *in celebri causa successionis Statùs & Marchionatùs Hyeracis* §. 3. *n*. 181. & 182.

Dupliciter tamen confutatur objectum, & quidem primò, quoniam † in allegatis legibus, ipsis 8
etiam Prælatis, Marchionibus,

E Co-

Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus & Feudatariis, qui privilegia non habebant, concessio facta est cum clausula juris francorum quoad omnes ejus effectus: nullâ penitus factâ distinctione, an antecedentes concessiones, de quarum privilegiis non constabat, fieri potuerint eo tempore, quo jus francorum in Regno non erat introductum; an verò post juris francorum introductionem, quoad omnes ejus effectus. Quapropter quòd capitula prædicta locum habere debeant in omnibus feudis antiquissimis, quocumque modo a Baronibus possessis, tanquam pro regula firmarunt Gregor. *de concess. feud. p. 3. quæst. 3. n. 17.* Cumia *de feud. vers. antiquis n. 16.* Corsett. *cons. feud. 29. n. 7.* Muta *in Cap. 456. Regis Alphonsi a n. 27. ad 31.*

Secunda responsio est, quòd
9 † etiamsì capitula locum non haberent in successione feudorum, quæ fuerunt ante Constitutiones concessa, & Constitutiones allegatum jus Longobardorum juri francorum innodatum supponerent (quod mihi satis difficile est) adhuc tamen concessio semper præsumenda esset cum clausula juris francorum quoad omnes ejus effectus. Siquidem erronea est Luchinæ genealogia, & proinde tempus concessionis ab Adversario suppositum non probatur: atque idem præsumendum est, etiamsì illa erronea non esset, & tempus concessionis illud foret, quod a Parte proponitur.

Erronea quidem est Luchinæ genealogia, quoniam Ill. Marchio de Mondèjar, ad eam probandam allegatus, eam minimè concludit, etsì ex Magnatibus sit Hispaniarum & magni nominis Chronologista, ut fuit ex adversò ponderatum. Mori autem scribentium non repugnat quid contra Ill. Marchionem proponere: unde nos tantum virum obsequentissimè colimus; ejus tamen eruditio eximiaque nobilitas nihil impedit, quò minùs ejus dicta super rebus ad causam facientibus in examen revocare possimus.

Asserit itaque Illustris de Mondèjar, quòd Guglielmus Grosso fuit Margariti filius. Dicit enim: *Mas de que fue su bijo Guillermo Groso llamado Porzo. Sucedìo al Principe Margarito su Padre en el Condado de Malta. Assì lo asegura Pirro por escrituras de la yglesia de Siracusa, bablando del mismo Margarito muerto en tiempo del Emperador Enrique. T le sucedìo en el Condado Guillermo Groso Almirante del Reyno, en tiempo de Federico: y casi con las mismas palabras el Comendador Abèla. Pues escrive, tratando de Enrique en tiempo de su Reyno:* Pasò desta vida el sobredicho Margarito Conde de Malta, aquien sucedìo en el estado y dignidad Guillermo Groso tambien Almirante del Reyno. *Pirro en la serie de los Almirantes lo llama Guillermo Groso o Porzo. D. Antonio de Amico, solamente Guillermo Porzo: como se nombra tambien en una escritura del año 1219. de que baremos memoria despues. Viviendo su Padre ofendido contra la Casa de* Sue-

Suebia por la injuria recivida del Emperador Enrique, ſiguio el partido de Marqualdo ò Menardo Marques de la Marca de Ancona, Conde de Romania y gran Seneſcal del Imperio, que ſe opuſo à la tutela, que bavia dejado la Emperatriz Doña Conſtanza al Pontifice Inocenzio III. de la perſona y Reynos de Federico II. ſu bijo. Por cuya alianza fue deſcomulgado immediatamente del miſmo Pontifice tan ofendido en la ſolebacion: como parece de una Carta ſuya eſcrita a los Prelados y Varones de Sicilia, en que les dice. Procuramos enlazar con el vinculo de la excomunion a Marqualdo con todos ſus ſeguaces, y eſpecialmente Dupoldo y ſus hermanos Othon de Lavian y Guillermo Groſo con ſus dependientes y favorecedores. *Y que eſte Guillermo Groſo ſea nueſtro Conde de Malta, ſe reconoce de las palabras, con que expreſa ſu profeſion y forma de vida ſemejante, a la que exercio el Principe Margarito ſu Padre, continuando el curſo, que tanto credito le grangeò en Europa, y aſſi dice pues, ponderando ſus coſtumbres, como las, de quienes tenia por enemigos.* El ſobredicho Marqualdo ſolicitando auxilio de otro ſemejante ſuio Pirata Coſſario, imbaſor (no ya ratero) ſino ladron famoſo; ſe unio con Guillermo Groſo, que le ygualava en la pena, como en el delito.

De que ſe puede inferir, procedieron las Correrias de Guillermo a la ſolevacion de Marqualdo ſucedida el año 1199. y que en ſatisfacion de las injurias hechas a ſu Padre Margarito de orden del Emperador Enrique el de 1197. como vimos, ſe declarò immediatamente ſu enemigo para vengar por ſus manos la ofenſa.

Aunque, durò poco en ſu enquietud. Porque, muerto Marqualdo el año 1202. no ſolo ſe redujo a la obediencia del Rey; ſino tomò por ſu quenta la protecion y defenſa de ſu perſona y Eſtados: como aſeguran las actas de Inocencio III. que publicò Borquèt con las palabras ſiguientes. Muerto Marqualdo: recivio Guillermo en ſu proteccion a Palermo, al Palacio y al Rey, y deſde entonces empezò a llamarſe defenſor del Rey y Maeſtre Capitan de Sicilia, que es lo miſmo, que gran Capitan ò Capitan general, de la manera, que en Sicilia decian Maeſtre Juſticier, al que en Napoles gran Juſticier.

En atencion a eſtos ſervicios, ſe le reſtituyò deſpues à nueſtro Guillermo la dignidad de Almirante, que avia ſido ſu padre y majores, aunque no antes del año 1203. En el qual por el mes de Agoſto, Guillermo Malcovenàt, llamandoſe Conde y gran Almirante, hace donacion al Hoſpidal de San Juan de Mezina de dos Caſales y de ſus Caſas de Palermo. Però es cierto, lo era el de 1219. ſegun parece de una eſcritura de ſentencia, que ſe conſerba en el Monaſterio de San Salvador de Monjas Griegas de Mezina, cuja copia ſe ofrèce en los Inſtrumentos Mezineſes, que recopiò D. Antonio de Amico, lo que original me participò el Reverendo Padre Joſeph Eſpuches, honor iluſtre de ſu patria Palermo y de la eſclarecida Compañia de ſu Religion. En

naio Instrumento dice: Se pronunciò de orden de Guillermo Porzo, por la gracia de Dios y del Rey, Almirante de la victoriosissima Armada Real, y familiar del Señor Rey. *No tengo mas que decir de este Cavallero, si no es, que dejò una hija heredera y sucesora de la manera, que aora veremos, aunque no hemos podido describir su nombre.*

Quod insubsistens apertè videtur ex pluribus, & quidem primò, quia Abbas D. Rocchus Pirrus, & novissimè Vicecancellarius de Abèla Melitensis (quos ad intentum citat Illustris de Mondèjar) nullibi affirmant, Guglielmum fuisse Margariti filium. Non quidem Pirrus, quia *in notitia Ecclesiæ Melitensis titulo Direptis Aracenis num.* 5. hæc dicit. *Decedenti Margarito, sub Henrico Imperatore, successit in Comitatu Guglielmus Grossus Regni Admiratus.* Et citatus de Abèla, loquens de Rege Henrico in suo opere, quod inscribitur *Malta illustrata lib.* 2. *not.* 11. *fol. mihi* 269. ad Pirrum se referens, hæc adnotavit. *Come anche nel tempo del suo reame uscì di vita il sudetto Margarito Conte di Malta, à cui succeße nello stato della Contea Guglielmo Grosso, anch' egli Ammiraglio del Regno.* Id enim, quod Pirrus non affirmavit, postquàm tabulas legerat Ecclesiæ Melitensis & Syracusanæ, ac Messanensis Archimandritatùs, divinare non poterat Illustris de Mondèjar exterus, qui proprias assertiones, nisi ex Authoribus a se relatis, haurire non potuit.

Quod eò magis venit attendendum, quia citati Authores, siquando successio Comitatùs in sequentes gradus jure sanguinis progressa est, consanguinitatem enunciant; ubi verò succesor antecedentis posseßoris consanguineus non fuit, de illa ne verbum quidem ullum. Si autem Guglielmus fuisset Margariti filius, utique dixissent: cùm ergo non dicant, frustra Guglielmi filiatio prætenditur. Et quidem Abbas D. Rocchus Pirrus, *loco citato*, in successione Henrici, generi hujus Guglielmi de Grosso, hæc tantùm affirmat. *Tempore Federici Secundi, post obitum Guglielmi, fit hæres ejus gener Henricus ..... jure uxoris.* Et Vicecancellarius Abèla *loco citato f. m.* 270. loquens de Imperatore Federico, hæc solùm affirmat. *Similmente leggiamo, esser morto in tempo del suo reame il nostro Conte di Malta Guglielmo, di cui resta herede un certo Henrico suo genero per ragion della moglie.*

Nec prodest replicare (prout ratiocinatur Illustris Marchio de Mondejar) quòd si post Margariti mortem Guglielmus succesit, ut dicunt memorati Authores, debebat ergo Guglielmus esse Margariti filius. Succesio enim non ad personam antecedentis posseßoris, sed ad Comitatum refertur. Unde æquè benè stare potest, quòd Guglielmus in Insulis succeßerit; & nihilominus quòd defuncti possessoris nequidem filius, imò verò extraneus fuerit: cùm id potuerit ex nova conceßione obvenire.

Se-

Secundò, videtur insubsistens Guglielmi filiatio, quia Guglielmus, dictus est de Grosso, non autem de Brundusio. Si enim fuisset filius Margariti, ejus cognomine appellatus esset: quo si non fuit insignitus, ipsius filiatio præsumenda non est.

Neque etiam prodest replicare, quòd forsan Comes Guglielmus ex rebus præclarè gestis diversum cognomen assumere potuerit: ut multa exempla ab Adversario eruditissimè allegata sunt. Id enim locum habere posset, si aliundè doceretur, verè Guglielmum Margariti filium fuisse, & a nobis filiatio ex cognominis diversitate impugnaretur. Quia tamen in casu nostro aliunde de filiatione non constat, cum nonnisi ex conjecturis sustineatur; rectè opponimus, filiationem ex diversitate cognominis non esse præsumendam.

Et tertiò Guglielmi filiatio insubsistens videtur, quia Margaritus, ut ipsemet Illustris de Mondejar affirmat, ab Imperatore Henrico in Germaniam relegatus oculis & testiculis orbatus, a Rege defecit, & in delicto defunctus est: quapropter Melitæ Comitatum in ejus filiis perseverasse, haud unquam credendum est. Verba Ill. Marchionis hæc sunt. *El mismo año Enrique Emperador de los Romanos se apoderò de los magnates de Sicilia, prendiendo a unos, y dando la muerte a otros, despues de haverlos atormentado con diversas penas. A Margarito su Almirante, aquien el mismo avia dado el Ducado de Durazo, el Principado de Taranto, y hecho Principe de la mar, sacados los ojos, y cortados los testiculos; le dejò ciego y mutilado. Sin embargo de cuyo estrago, conserbando ardiente el valor Margarito, no le estorbaron tan capitales impedimentos para solicitar nuebos empleos gloriosos, que purgasen tan indecente injuria. Para lo qual se fue el año siguiente* 1200. *à Paris, à ofrecer à Phelipe Augusto Rey de Francia su poder y consejo, excitandole, aque emprendiese ceñir sus augustas sienes con la imperial corona. Dictamen que abrazò luego, fiado en la intrepidez de Margarito, disponiendose à la tornada, que malogrò la alebosa muerte de su promotor, sucedida en Roma à manos de un Criado suio, segun refiere el mismo Roger de Houden con las palabras siguientes.* El mismo año 1200. Margarito General de los Piratas, aquien havia hecho aajèr y mutilar Enrique Emperador de los Romanos, vino à Paris à veerse con Phelipe Rey de Francia, y le offrecio, que si seguia su consejo, le haria Emperador de los Romanos ò de Constantinopla, segun eligiese. Y dandole prompto consentimiento, dispuso lo necessario para su viage assi de cavallos y armas, como de gente y de vittuallas. Margarito saliendo primero, que el Rey de Francia, para cumplir lo prometido, mandò en todos los Puertos de sus Estados, se juntasen sus Galeras en Brindis, donde las iria à encontrar. Però viniendo à Roma, fue muerto por un Criado suyo, aquien avia tratado mal.

Este

Este fue el fin de nuestro Principe Margarito de Brindis primer Conde de Malta, de los que tenemos noticia, cuyo poder, grandeza y valor se reconocen bastantemente de las palabras, con que lo expresa Roger de Houden, reconviniendo el engaño, de los que terminan su vida en la del Emperador Enrique. Pues dice Pirro: Margarito de Brindis, Conde de Malta, Duque de Durazo y Principe de Taranto, murio en tiempo del Emperador Enrique el año 1197. *Como asseguran Arnaldo Lubense, la Cronica de Fosanova, que imprimio Ugnelio, y de que tanto se vale el Cardenal Baronio, y el mismo Roger de Houden. Y que no mataron à Margarito, basta tres años despues el de* 1200. *en el Reyno de Federico II. su hijo, como se hà visto, y de quien no se me ofrece otra cosa particular, que añadir, aviendo reconocido se llamò Matina la Condessa su muger.*

Replicat tamen Adversarius, quòd forsan Insulæ vel ex declarata Margariti innocentia, vel ex clementia Regis, Guglielmo, non obstante Patris delicto, restitutæ sunt: ut, antiquis temporibus, ità servatum esse, confirmant nostræ Regiæ Cancellariæ monumenta, præsertim quia, de Comitatùs incorporatione, non constat. Aliud autem est, quòd feudum dicatur restitutum, quia fortè apud filios ipsius delinquentis remansit, aliud tamen quòd hic dici debeat delinquentis filius, quia feudum post delinquentis mortem possedisse videatur; cùm argumentum in primo casu forsan procedat, non autem in secundo, in quo, contrarium locum habere debere, evidentissimum est.

Ultimum Ill. Marchionis argumentum illud est, quòd scilicet Guglielmus fuit Margariti filius, quia etiam ipse fuit Regis inimicus: quasi quòd, ad vindicandam Patris injuriam hoc evenire debuisset. Infirmum tamen est hujusmodi argumentum, neque unquam attendendum, quippe Guglielmi infidelitas ortum habuit ex propriis particulariter gestis, & quæ nullam prorsùs habebant cum Margarito relationem, ut superiùs visum est. Sicuti etiam ex eomet, quòd Guglielmus fuit infidelis, & deinde, fidelis factus, nonnulla Regi servitia præstitit; ex eo, inquam, confirmatur assumptum novæ concessionis factæ Guglielmo uti extraneo, qui pariter, utì Margaritus, Regni Admiratus electus erat.

Asserit ulteriùs Illustris Marchio de Mondèjar, quòd Luchina fuerit filia quondam Nicolai de Pistòr, & ad eum finem citat Vicecancellarium de Abèla.

Impugnatur tamen assertio, & quidem primò, quia hoc ipsum Vicecancellarius de Abèla scriptum non tradidit, unde nec potuit asserere Illustris de Mondèjar. Ille enim Author, etsì recitet seriem eorum, qui Melitam possederunt, & recenseat Margaritum, Guglielmum, Henricum & Nicolaum, atque hunc dicat Henrici filium, ut supra ponderatum est; adhuc tamen, cùm ipse postmodùm affirmet, Comitem Gugliel-

glielmum Raymundum I. ex Luchinæ nuptiis possedisse, haud sanè declarat, Luchinam fuisse Nicolai filiam. Et sanè Vicecancellarius de Abèla *in notitia* 11. nempe in successione Nicolai *f.m.*271. hoc primùm dixit. *E nell' anno precedente al* 1265. *leggiamo, essere succeduto nella Contèa di Malta Nicolò à suo Padre, che si nominava Errigo, di cui sopra habbiamo fatto menzione: come ce ne fà fede ben certa l'Abbate Pirri nel luogo da noi citato*. Deinde verò in successione Luchinæ, nempe *in notitia* 13. *fol. mihi* 282. loquendo de tempore dominii Regis Federici, ità subjunxit. *In questo tempo, ritrovandosi l'Isola di Malta con quella del Gozzo in potere e nel dominio di D. Lucina moglie del primo D. Guglielmo Raimondo di Moncada, le fù tolta dal Rè Federico, dandole in ricompensa la Contea d'Augusta in Sicilia*.

Impugnatur secundò Luchinæ filiatio, quia, ut visum est, neque a Pirro dicitur, neque a Vicecancellario de Abèla, Luchinam Nicolao in Insulis successisse. Affirmat equidem citatus de Abèla, quòd anno 1264. Henrico successerit Nicolaus, ac quòd deinde in Insulis prædictis dominatus sit Rex Carolus Andegavensis, Manfredo Imperatoris Federici secundogenito è solio expulso & interfecto: & subsequenter quòd, Gallis devictis, Rex Petrus Aragonensis & Rex Jacobus ejus secundogenitus simul cum Regno Siciliæ memoratas Insulas possederint, ac quòd evecto postmodùm Rege Jacobo ad thronum aragonensem ob mortem Regis Alphonsi primogeniti Regis Petri, successerit Rex Federicus, Regis Petri tertiogenitus: quòdque Rex Federicus Regis Jacobi frater Regni coronam susceperit Panormi anno 1296. Sed cùm hæc omnia circa Regni & Insularum successionem affirment; ubi de Luchina sermonem instituunt, nullâ factâ declaratione circa Luchinæ successionem, hoc tantùm asserunt, quòd per hæc tempora Insulæ Melitæ & Gaudisii in potestate & sub dominio Luchinæ reperiebantur. Si ergo Luchina, etiam quòd Nicolai filia non esset, Nicolao successisset; utique citati authores eam successionem retulissent: quia tamen Nicolao Luchina non successit; Luchinæ successionem ex Nicolao probatissimi authores referre non potuerunt.

Et tertiò impugnatur Luchinæ filiatio, quia ipsa non de Brundusio, nec de Pistòr, sed de Alagona dicta est, ut optimè affirmat D. Philadelphus Mugnos *in suo Theatro genealogico & in discursu familiæ de Moncada*. Quod mirificè consonat assumpto: infra enim ad evidentiam probandum erit, hujusmodi concessionem nonnisi post adventum Aragonensium fuisse factam. Quippe familia de Alagona ex regia stirpe procedens, simul cum Rege Petro in Siciliam venit, & contra ejus hostes sic fortè dimicavit; ut forsitan inter omnes familias, quæ Regem Petrum comitarunt, primàs obtinuerit: adeout Insularum concess-

cessionem meritò reportaverit.

In contrariùm tamen ex adversò replicatur, quòd rescripto Viceregio cautum fuit, ne hujusmodi auctori fides adhibeatur. Sed actus prædictus conditionalis est, nempe si aliundè auctor propriam attestationem aliis documentis non comprobaverit. Cùm igitur, in casu nostro Mugnos a semetipso hoc non affirmet, sed antiquis instrumentis comprobet, huic omnino fides concedenda est.

Quot autem arbores genealogicæ in domùs Archivio formatæ leguntur, tot testantur, Luchinam, uxorem Comitis Guglielmi Raymundi Primi, de Alagona dictam esse, & nullibi de Pistòr vel Brundusio nuncupatam. Et ultra cùm D. Philadelphus Mugnos Eminentissimum Cardinalem D. Aloysium de Moncada certiorem fecisset, se de Montecatenorum genealogia scripturum esse; eruditissimus ille Princeps, progenitorum propriæ domus optimè instructus, Don Philadelpho avita domùs monumenta remisit, eumque summoperè commendavit in epistola ab authore in principio operis inserta, cujus tenor talis est.

D. Luis de Moncada. Al Señor D. Filadelfo Muños. *Agradesco infinito à v. m. el afecto, que me insinua con carta de* 11. *del corriente, donde me embia las noticias de la origen de mi casa Moncada, que me fue mucho grata. Embio a v. m. por este efecto, todos los papeles necessarios, paraque v. m. se sirva dellos, para atestarlo en la descrition, que está haziendo de dicha mi casa en su Teatro Genealogico: y de su notable pluma y erudito ingenio, me prometo cada justa y veridica relacion, como es su costumbre. En tanto me ofrezco si quisiere valerse de mi persona. Guarde Dios. Terminis* 15. *de Agosto* 1649.

Secundò ex adversò replicatur, quòd erravit Mugnos, ubi asseruit, Alagonæ familiam Insularum dominium nonnisi ante annum 1392. habuisse: cùm Regia Cancellaria ab eo dumtaxat tempore illius ditionem supponat, non autem ante annum 1296. quo prætenditur Luchinæ successio in Comitatu. Nequicquam tamen fit replicatio: compatibile est enim, quòd Alagonæ semel atque iterum Melitam & Gaudisium possederint, nempe ante annum 1296. & post annum 1392. utroque enim tempore feudum a Rege possidebatur, scilicet, post Gallos devictos, a Rege Petro ejusque filiis per acquisitionem ex bello, & a Rege Federico II. ex permutatione Comitatùs Augustæ facta cum Comite Guglielmo Raymundo I. Et quidem Rex Federicus, etsì pro regio demanio Insulas recuperasset; nihilominus & ipse & Reges successores illas nedum Alagonis, verùm etiam aliis Baronibus concessisse videntur, ut in Regia Cancellaria, & apud allegatum Abèla legi possunt ulteriorum concessionum privilegia. Cæterùm Abbas Pirrus enunciat, quòd adhuc anno 1380. Alagonæ insularum possessores extiterint: unde ex hoc illos

illos etiam ante annum 1392. Melitæ dominos fuisse non ambigendum.

Et demum ex adversò replicatur, quòd inverisimile sit, Luchinam dictam esse de Alagona: cùm post adventum Aragonensium, sequurum anno 1282. quo familia Alagona in Regnum venit, usque ad annum 1296. quo prætendimus, Luchinam in insulis successisse, tantum temporis intercedere non potuerit, ut rectè dici valeat, Luchinam ex successione suorum progenitorum insulas habuisse, ut in regiis privilegiis affirmatur. Eo enim brevissimo temporis intervallo, tot esse non potuerunt Comitatûs possessores, ut ii non potuerint in individuo referri, sed potiùs in obscuro inter privilegia adnotari. Quod nedum concludit, Luchinam dictam non esse de Alagona, imò verò indicat, Luchinæ progenitores fuisse illos de Pistòr, antecedentes, ut visum est insularum possessores, proindeque satis ante adventum Aragonensium: vel saltem indicare videtur, quòd concessio jam fuit facta Luchinæ progenitoribus, qui, quomodocumque appellentur, de familia Alagona nec erant, nec esse poterant.

Sed neque postrema hæc replicatio venit attendenda, quoniam, quicquid sit de tempore successionis Luchinæ, (quod nec citati, nec alii referunt, quos viderim, authores) a prædicta temporis brevitate argui rectè non potest, quòd Luchina dicta non sit de Alagona, & quòd Alagonis ab Aragonensibus concessio facta non fuerit; cùm ad verificandum, quòd insularum possessio Luchinæ ex successione suorum progenitorum spectaverit, sufficiens sit, quòd post mortem ejus patris & avi, ea successio eidem Luchinæ delata sit. Quod quidem brevissimo temporis spatio evenire potuit, si concessio facta est ejus avo jam senio confecto, & patri jampridem nato, qui forsan, relictâ Luchinâ filiâ, quamprimùm decesserit. Et defactò Luchina in minori ætate a suo genitore relicta est: ipsa enim vitâ fruebatur anno 1344. quo quandam fecit donationem Lando de Ferula, ut ipsemet Illustris de Mondèjar considerare non desinit, licèt annum donationis æquivocet, atque eam non quidem anno 1344. sed anno 1399. factam fuisse, supponat.

Et obscura illa relatio Luchinæ progenitorum, facta non est in asserto privilegio anni 1318. quod sanè in mundo non extat, ut infra dicetur, sed in privilegio, quod Augustæ permutationem confirmat, quodque obtinuit Comes Matthæus I. anno 1365. & proinde post lapsum annorum plusquam septuaginta: unde meritò non potuerunt Luchinæ progenitores in individuo adnumerari.

In omnem tamen eventum, duo ad prædictam genealogiam omninò convincendam, protestari necesse est. Primum, quòd inverisimile sit, insulas Melitæ & Gaudisii ab anno 1193. usque ad annum 1285. & proinde plusquàm per centum annos constitisse in asser-

F ta

ta familia de Pistòr vel de Brundusio: eas enim, priscis iisdem temporibus, semper sub regio demanio extitisse, testatur Rex Martinus junior *in privilegio reductionis ad regium demanium de Insula Melitensi die 27. Novembris 1397. vers. cùm per nostras Majestates ob informationem indebitam & minùs citraque nostra scientia extiterat; de Insulis Meliveti & Gaudisii, quæ semper ab antiquis temporibus de juribus regii demanii fore consueverunt, aliquibus Baronibus, ad importunam supplicationem & instantiam nonnullorum, concessimus.* Quamvis autem hæc Regis assertio Eminentissimo Cardinali de Serra tribuatur, sub prætextu, quòd Cardinalis prædictus fuit inimicus Comitis Guglielmi Raymundi Tertii (post cujus mortem memoratum privilegium Melitensibus concessum est) id tamen parvi proculdubio faciendum est: infra enim ad evidentiam demonstrabimus, quænam & quanta fuerit ejusdem Cardinalis probitas ac morum integritas.

Alterum, quòd protestamur,
10 est, quòd † eatenus historicis venit deferendum, quatenus antiqui sint & probatæ authoritatis, eorumque scripta typis mandata fuerint, publicam ac legitimam censuram sustinendo; non autem prout in casu nostro, in quo allegati historici, & quotquot ab Adversario cumulentur, recentiores sunt, & eorum scripta vel typis adhuc tradita non videntur, ut est illud Illustris Marchionis de Mondèjar (quod manuscriptum & per quædam operis capitula allegatur) vel ad alicujus familiæ encomium facta sunt, ut est illud Reverendi de Lengueglia, sicut ipsemet in operis proœmio protestatur. Isto enim casu nulla fides chronistis & historicis concedenda est: siquidem non utì veri historici scripserunt, sed utì aliquarum familiarum, quæ inclytæ sunt, exornatores, ut ad materiam advertit Eminentissimus de Luca *de jurisd. & foro compet. disc. 20. n. 7.*

Ponamus tamen, absque veri præjudicio, quòd Luchinæ genealogia, ab Illustri Marchione conscripta, erronea non sit: & quòd Luchina nec de Alagona, ut Mugnos affirmat, nec de Brundusio, ut Adversarius in ejus arbore constituit, sed de Pistòr, ut placuit Illustri de Mondèjar, nuncupetur; non per hoc tamen in dubium revocari potest, quòd concessio fuerit facta cum clausula juris francorum quoad omnes ejus effectus. Parùm enim tuta videtur hæc assertio, quòd, quia ante Constitutiones *In aliquibus* & *Ut de successionibus*, aliqui, & non omnes Barones, speciali francorum jure in Regno vivebant, (qua de re adhuc sub Judice lis est) ideò Margaritus vivere debebat jure Longobardorum, non autem jure francorum. Cùm enim non ad alium finem specialitas allegetur, nisi ad hoc, ut qui se fundat in ea, illam probare debeat; satis ipsa in nostra hypothesi remanet probata † ex successione 11
neptis Margariti, nempe filiæ Gugliel-

gliel-

glielmi de Grosso, atque ex successione Luchinæ ejus trineptis. Quippe ex hujusmodi successionibus evidenter resultat, quòd fœminæ vel ex vivendi modo, vel ex regiis privilegiis Luchinæ progenitoribus impertitis, ex jure francorum, non autem ex jure Longobardorum ad successionem admittebantur. Si enim vivendi modus in ea familia fuisset ex jure Longobardorum, vel si principalis concessio non fuisset cum clausula juris francorum; nunquam sanè Reges fœminas succedere permisissent, imò verò insulas sibi pro regio ærario adjudicassent, quia fœminæ per jus Longobardorum exclusæ remanebant, & feudum ad dominũ revertebatur.

Huic tamen fortissimo æquè ac evidentissimo argumento Adversarius non cedit, sed iterum affirmat, quòd fœminarum successiones juri Longobardorum adscribi debeant, sub prætextu, quòd quamvis jus prædictum, agnatis deficientibus, devolutionem inducat,& fœminas excludat;adhuc tamen aliquando lex investituræ, omnibus omnino agnatis extinctis,fœminæ successionem tribuit. Unde concludit, quòd,ex hac peculiari circumstantia, & Luchina & filia Guglielmi successerunt, quia videlicet alii agnati non extabant, & quia sic fortè Rex in principali investitura permiserat, non autem ex jure francorum quoad omnes suos effectus.

Sed statim subjungit Adversarius, quòd hoc tantùm filiæ Guglielmi & Luchinæ proficere potuit, non autem aliis, quæ ex eis descendissent, ut esset Domina Cliens. Siquidem ipsæ tunc demum ad successionem aptæ considerantur, cùm omnes prorsus extinguuntur masculi agnati de familia, quam fœmina succeditrix ingressa est. Illico enim
12 quòd † fœmina, ad successionem in subsidium admissa, transit in alienam familiam, agnatio dormit, donec nascatur masculus: quo nato, reassumit feudum,quasi de somno surgens, propriam naturam agnatitiam, & masculus remotior & remotissimus excludit fœminam proximiorem, etsì ultimi possessoris filiam & hæredem. Rosa *consult.69. n.197.& 216.* Justif. *in causa Buteræ artic.4. n.384.*

Frustra tamen hæc ab Adversario proponuntur: satis enim impugnata remanent ex hoc, quòd bene possent procedere, ubi
13 † speciali lege inter Dominum & Vasallum fuisset conventum in investitura. Quod quidem in casu nostro præsumendum non est:
14 nam † duo darentur specialia, unum,quòd concessio præsumeretur facta eo tempore, quo nonnulli ex Baronibus sub jure Longobardorum in Regno vivebant, & aliud, quòd non sub generalibus illius sanctionibus, sed sub particulari investitura admissionis fœminarum, omnibus extinctis agnatis,concessio facta esset. quòd jura non tolerant sed abhorrent, ut, tanquam regulam satis vulgarem, supponunt *DD. passim.*

Quin etiam huic propositioni ab Adversario allegatæ resistit si-

cula omnis Jurisprudentia: quoniam nostræ Constitutiones differentiam inter jus francorum & jus Longobardorum in eo constituunt, quòd per jus francorum fœminæ admittebantur,& per jus Longobardorum exclusæ remanebant. Ex prædicta enim diversita-
15 te, clarissimè resultat, quòd † in feudis, in quibus fœminæ succedebant, jus francorum perfectè servabatur; in iis verò, in quibus illæ non veniebant admissæ, jus Longobardorum locum habebat. Hæc sunt verba *Constit. In aliquibus De success. Filior.Comit.& Bar.*

In aliquibus Regni nostri partibus, consuetudinem pravam, audivimus hactenus obtinuisse, quòd in bonis Comitis, Baronis vel Militis, qui decesserit, filiis masculis non relictis, filia non succedunt, sed consanguinei, quantumcunque remoti, masculini sexùs, tam bajulum puellarum ipsarum post mortem patris accipiunt, quàm successionem usurpant, & ipsas pro ipsorum dispositione maritant. Quod quidem & natura dignoscitur esse contrarium (quæ parentum votis, absque discretione sexùs, tam masculos quàm fœminas commendavit) & juri tam communi quàm nostro specialiter derogatur. Hac igitur lege nostrà, per universas partes & singulas Regni nostri, valiturà, sancimus, Patre mortuo, tam filios quàm filias puberes, aut majores minoresve ad parentum successionem, absque sexùs discretione, vocari. Si autem filii masculi, unà cum filiabus fœminis aut etiam sororibus, patri decedenti superſint; *cujuscumque conditionis pater fuerit, Francbus videlicet aut etiam Longobardus, Miles vel Burgensis, in successione bonorum præferri, volumus, masculos fœminis: dum tamen sorores aut amitas, fratres aut nepotes pro modo facultatum suarum & filiorum superstitum numero, secundùm paragium debeant maritare. Caterùm si tantùm fæmina superstites fuerint, ipsas, si majores sint, exclusis aliis consanguineis, volumus ad successionem admitti.*

Hæc sunt etiam verba *Constit. Ut de successionibus De Success. Nob. Ut de successionibus Comitum & Baronum & eorum omnium, qui feuda a nobis in capite tenent vel ab aliis etiam, nulla omnino in posterum dubietas possit oriri; dilucidà constitutione sancimus: feuda tenenti, filios & nepotes, & ex eis pronepotes, trinepotes, & usque ad infinitùm ex descendenti linea descendentes, cujuscunque sexùs sint, liberè & absolutè posse succedere: servatà tamen sexùs prerogativà, ut mulieri masculus præferatur, necnon majoris ætatis, inter eos, qui vivunt in Regno specialiter jure francorum. Ex collaterali linea venientes, ut fratres sive ex utroque parente sive ex altero tantùm, & sorores in capillo, excluso etiam communi patre superstite, omnino succedunt.*

Quod multò magis locum habebit, si, ut Adversarius affirmat, Guglielmus Grossus, estò quòd non fuisset filius Margariti, saltem primus insularum concessionarius dici deberet, atque inde agnatio in ejus successione constituenda esset, quia scilicet eo tempore concessio facta est, quo jus com-

commune feudorum, nempe Longobardorum in Regno servabatur. Præscindendo enim, quòd Luchina a Guglielmo non descendat, prudentissimus Adversarius, Charybdim vitare cupiens, in Scyllam incideret: quippe Guglielmus Grossus eo tempore in insulis dominatus est, quo Constitutiones editæ jam erant, nempe anno 1221. Et quidem Illustris Marchio de Mondèjar ex quodam authentico instrumento donationis factæ Hospitali Sancti Joannis Messanæ, affirmat, Guglielmum anno 1219. quo dictam donationem stipulatus est, inter vivos fuisse. Et Vicecancellarius de Abèla mox referendus testatur, Guglielmum eo tempore decessisse, quo Regnum Siciliæ possidebat Imperator Federicus, qui obiit anno 1250. die 13. Decembris. Unde ex successione filiæ Guglielmi, atq; ex successione Luchinæ etiam ex Guglielmo procedentis, evidens satis est, quòd ipsamet Guglielmi concessio facta esset cum clausula juris francorum omni ex parte completa, quòdque ipse Guglielmus sub jure Longobardorum vivere non potuisset. Jam verò Guglielmi mortem in hæc verba commemorat Vicecancellarius Abèla *loco citato f.* 270. *vers. Similmente leggiamo esser morto in tempo del suo reame* (loquendo de Imperatore Federico) *il nostro Conte di Malta Guglielmo, di cui resta herede un certo Errigo suo genero per ragion della moglie.*

Nec audiendus est Adversarius, quòd etiam ex jure francorum per omnes effectus declarato, fœmina non aliter, quàm, omnibus omnino extinctis agnatis, eâ tempestate poterat feudali successione gaudere. Sicuti enim † in concessione facta cum clausu- 16
la juris francorum omni ex parte perfecta, de fœminarum successione dubitari non potest; ità de illarum admissione in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs dubitari non valet. Siquidem alia est investitura, quæ fœminas per jus commune feudorum admittat in defectu masculorum, alia verò ea, qua concessionarius per jus francorum per omnes effectus explicatum vivere debeat, ut infra latiùs examinabitur.

Cæterùm, quidquid sit de veritate hujusmodi genealogiarum, ac de juris francorum specialitate, vel ante vel post Constitutiones: † nostra concessio fieri non 17
potuit, nisi post successionem Regis Jacobi, filii Regis Petri Aragonensis, hujus nominis Primi, proindeque eo tempore, quò jus francorum nedum perfectè in Regno fuerat introductum, imò etiam tanquam jus commune servabatur: nam *Capit. Si aliquem* jam publicatum erat, ipso enim primo die conditum est, quo Rex Jacobus hìc Panormi regni coronam suscepit.

Itaque in memoriam revocandum (quod in facto relatum est) insulas Melitæ & Gaudisii Regi Carolo Andegavensi obedientiam detulisse tam eo tempore, quo in Regno dominabatur, quàm etiam

Gal-

Gallis in Regno devictis, nempe ab anno 1282. usque ad annum 1284. quo fuerunt, ut dictum est, a Rege Petro maritimo bello quæsitæ. Testis est Fazellus *de rebus Siculis lib. 9. cap. 1. n. 50. vers. In hoc porrò omnes conveniunt, quòd Carolus, post duelli frustrationem, in Comitatum Provinciæ reversus, classem contra Siciliam instruxerit: Petrus verò contra Melitam Insulam, quæ Caroli adhuc parebat imperio, Manfredum Lanceam miserit. Is dura obsidione eam statim opprimere cæpit. Quo intellecto, Carolus decem & novem triremes, quibus Guglielmum Cornelium præfecit, eò, ad auxiliandum Melitensibus, destinat. Quod ubi Rogerius Lauria classis Aragoniæ Præfectus rescivit, confestim cum una & viginti triremibus Melitam & ipse navigat.*

Jamq; Cornelius arcem Melitensium munierat, & in portu cum sua classe residebat; cùm Rogerius applicat, & signo hostem ad prælium extra portum invitat. Cornelius portu egressus, classem Aragonensem adoritur. Bellum itaque horridum ab ortu solis ad meridiem usq; utrinque acerrimè & multo cruore committitur. Nondum finis belli imminebat, cùm sex francorum triremes horrendà pugnà consternatæ fœdè abeunt, & fugà sibi consulunt. Cornelius mortem insignem turpi vitæ præferendam censens, navim Prætoriam Rogerii magno animo impetuque invadit, & per proram in eam ascendens, plures ex Aragonensibus in mare proiicit, multos occidit, per transtra & remos ad hostem pervenit. Rogerius indignatus, turbam suæ navis uni viro cessisse, mox in Cornelium irruit: sed cùm (telo ab hoste pede transfixus) cuspide inhærente, immobilis constitisset; statim ferro educto liberque factus, illà eàdem cuspide Cornelii vitalia transfodit.

Ità Guglielmus Cornelius insigni suà morte finem bello dedit: duce namque interfecto, cateræ triremes, & Melitenses etiam ultro victori se dederunt. Rogerius Manfredo Lanceæ Melitæ constituto præfecto, hostium abrasis in ludibrium capitibus, Messanam cum signis victoribus regreditur. Carolus, qui Massiliæ tunc agebat, rei hujus malè gestæ nuntio excandescit, classemque, quam parare ibi cæperat, in mare urget. Rogerius Lauria Melitensi victorià elatus, cum quadraginta & unà triremibus Neapolim postea navigat, cunctaque infesta fecit.

Quod breviùs enarravit Abbas D. Rocchus Pirrus *in notitia 7. Ecclesiæ Meliten. vers. N. N. præsules Melitenses agebant ab anno 1266. ad annum 1284. dum Melita Carolo Andegavensi electo Siciliæ Regi parebat. Tunc Petrus Aragonius Siciliæ Rex contra Melitam Manfredum Lanceam misit. Is durà obsidione eam statim opprimere cæpit: &, post maritimum bellum cum Gallis, Melitenses eidem Manfredo, nomine Regis Petri, se dedère.*

Ulteriùs hujusmodi factum, præ omnibus, latissimè refert Vicecancellarius de Abèla Melitensis *lib. 2. not. 12. & 13. a fol. mihi 272. usque ad seq.* Et quod magis est, vel minima quæque conscribit: ut fatis compertum habeamus, & Regem Carolum Andegavensem

& Re-

& Regem Petrum insulas prædictas quoad plenum dominium possedisse. Plures quoque authores citat etiam Gallos & Regnicolas, & præsertim quendam Raymundum de Montanèr, qui rebus siculis eâ tempestate præsens fuit.

Quod autem Insulæ ab Aragonensibus fuerint quæsitæ post Gallorum discessum, non negat ipsemet a parte allegatus Lengueglia in suo opere, quod inscribitur, *Ritratti della Prosapia Moncada par. 1. ritratto 2. fol. mihi 84. vers. Molto maggiore stima fece del Moncada il Rè, dandogli con tale Sposa tal dote, la quale costava all'Aragonese Corona fatiche e spese, havendo, pochi anni avanti, levate quelle due Isole di mano degli occupatori Angioini. Stimò, che, poste in pugno di possessitore così valente, egli non solo manterrebbe; che, in occasione d'assalti, custodiria la sua dote maritale con le marziali sue doti, e, come Cavaliere d'ogni finezza, impiegherebbe tutto lo spirito a conservare da man di ladri, li principali ornamenti della sua Dama.*

Et fol. 85. vers. Pur non mancano mai gli emoli a' valorosi, a' quali però le polveri gittate dall'invidia servono di smeriglio a farli folgorare più chiari. Vi fù per avventura chi, agli orecchi del Rè, susurrò, essere Malta ed il Gozzo due gemme da ornar le dita reali, e non doversi permettere in mano di alcun vassallo. Già per la Sposa di D. Guglielmo Raimondo erano perdute; quando i Francesi entrarono ad occuparle: e la destra regia, che le ritolse con la forza, col dispendio le comperò. Si dovrà contentare quella Dama, concederle col dovuto compenso: e vedersi, per miracolo della reale possanza, trasportata una dote lontana, ed incorporarla nel seno della Sicilia, dove senza timore di hostili assalti potria goderla. Alla fine chi volentieri non cambierebbe le ricchezze, che egli hà nel mare aperto sopra un navile attorniato da tempeste e corsari, con altre eguali, che nel tranquillo porto se gli offerissero? Anzi per fissare il valoroso marito nella Sicilia, non vi era miglior consiglio, che nel cuore della medesima stabilirgli la dote della consorte, e mettergli sotto gli occhi gli acquisti suoi, che infino allora egli conosceva di fama, non di veduta.

In memoriam etiam revocandum, quòd, mortuo Rege Petro, insulas possedit Rex Jacobus ejus filius, ut testatur Abèla *loco citato not. 13. fol. mihi 281. vers. Muore in tanto in Catalogna il Rè Pietro, l'anno di nostra salute 1286. e dell'età sua cinquantesimo quinto: benchè, Montanèr sia di parere, che seguisse la morte l'anno 1285. nel giorno di San Martino 11. di Novembre. Fù sepolto in Barcellona: e a lui succede, nel Regno di Sicilia e dominio di Malta, Giacomo secondogenito, che si coronò in Palermo à 2. di Febrajo.* Testantur etiam arma serenissimæ domùs Aragonensium, quæ depicta servantur in quadam crypta excavata in loco extra cœmeterium antiqui Melitensis Monasterii S. Benedicti. Quapropter hujusmodi arma, in signum dominii ejusdem Regis Jacobi, illic apposita esse, concludit idem

de Abèla *lib. 1. notitia 4. verf. fuori del cimitero fol. mihi* 50.

Menti etiam recolendum, quòd Rex Jacobus eodem die, quo Regni coronâ indutus eft, nempe die 5.Februarii anno 1285. *Capit. Si aliquem* publicavit, ut Regni capitula teftantur. Et tandem meminiffe oportet, quòd tempore, quo facta eft infularum permutatio cum Rege Federico, eas infulas pofsidebat Comes Guglielmus Raymundus I. uti vir Comitiffæ Luchinæ, ficut ex privilegiis in facto adnotatis clariffimè probatum eft.

Ex quibus omnibus fit, quòd fi tempore dominii & Regis Caroli Andegavenfis & Regis Petri ac Regis Jacobi, Melita & Gaudifium fub regio demanio exiftebant, & tempore Regis Jacobi, qui Regis Petri erat filius, & Regis Federici, qui Jacobi erat frater & fucceffor, dicitur, quòd Melita & Gaudifium fub eorum dominio amplius nō reperiebantur, & quòd Luchina ex fuccefsione fuorum progenitorum eas infulas pofsidebat; certum omnino effe debet, quòd vel a Rege Jacobo vel a Rege Federico infularum concefsio facta fit. Et quidem fi ea concefsio facta eft a Rege Jacobo, nonnifi poft fuam coronationem facta dici debet, & proinde poft publicationem *Cap. Si aliquem*, per quod jus francorum in Regno commune evaferat. Et multò magis fi concefsio facta eft a Rege Federico, cùm fatis poft *Capit. Si aliquem*, nempe anno 1296. fuerit ad Regni coronam admiffus.

Sed æquè bene ftare poteft, replicat Adverfarius, quòd poft annum 1284. Infulas poffederit Rex Petrus ex navali bello, & fubfequenter Rex Jacobus ejus filius: & quòd tam ante, quàm poft dictum tempus, infulas eafdem habuerint Luchìnæ progenitores, hi per dominium utile, illi verò per directum eas poffidendo.

Contrarium tamen apertè demonftrat allegata hiftoricorum narratio. Ipfi quidem referunt, totalè infularum dominium jamdudum apud Gallos fuiffe, & fubfequenter apud Aragonenfes, atque inde infularum pofsefsionem a Rogerio de Laurìa captam fuiffe tum quoad utile, tum quoad directum dominium. Ipfe enim Rogerius (ut ajunt relati authores) Manfredum Lanceam elegit infularum Præfectum, & Catalanos milites pro illarum cuftodia reliquit: nullo penitus facto verbo de altero, qui forfitan aut ante aut poft Gallorum dominium infulas per dominium utile poffediffet. Quod aliter efse non poterat: nam Rex Carolus Andegavenfis (e cujus dominio in illud Regum Aragonenfium infulæ tranfierunt) eas plenè, ut vifum eft, pofsidebat: & eodem modo Rex Petrus infulas habuit, quo Rex Carolus habere vifus eft. Cæterùm nec folet Rex, poftquam feudum concefsit Vafallo, qui illud actualiter pofsidet, dici amplius feudi pofsefsor, licèt dominus femper fit, fupremum dominium habeat, & Vafallum ad militare fervitium aftringere valeat, atque

atque ad alia de jure & ex forma investituræ præstanda.

Iterum verò replicat Adversarius, quòd saltem Luchinæ progenitores insulas possederint ante dominium Regis Caroli: & quòd, cùm eas Rex Petrus acquisierit; Rex Jacobus ejus successor aut Rex Federicus ejus frater Luchinam forsitan ad successionem admiserint, & quidem ex antiqua concessione facta illius progenitoribus, quicumque ii fuerint: ut sic locum obtineat clausula, quòd *Luchina Comitatum habuit ex successione suorum progenitorum*. Tantum enim tempus intercedere non potuit ab anno 1285. quo eas possedit Rex Jacobus, ad tempus Regis Federici ac factæ permutationis, quo alia ab his Regibus concessio Luchinæ progenitoribus fieri potuisset.

Præscindendo tamen, quòd hoc ità esse non potuit, quia satis inverisimile est, & nemo unquam dixit, ut supra latè discussum est: præscindendo etiam, quòd hæc pura est divinatio de Lengueglia, & Ill. de Mondèjar: æquè bene stare potest, quòd Luchinæ progenitores ante dominium Regis Caroli & Regis Petri non fuerint insularum possessores, & quòd Rex Jacobus novus insularum possessor, vel Rex Federicus ejus frater Luchinæ progenitoribus illas concesserint; quòdque his absque prole masculina defunctis Luchina successerit. Ut enim id locum habeat, satis omnino est, quòd concessio facta fuerit avo Luchinæ, & quod tam avus quàm pater, qui rectè dici potuerunt Luchinæ progenitores, ex hac vita discesserint absque masculis. Quod evenire potuit, ut supra dictum est, a dicto anno 1285. usque ad tempus, quo Luchinæ successio enunciatur, quæ quidem sequuta est tempore Regis Federici, qui regnavit, ut sæpius inculcatum est, ab anno 1296. usque ad annum 1336.

Quod eò magis procedere debet, quia hujusmodi enunciatio (quòd scilicet Insulæ ex successione suorum progenitorum Luchinæ spectabant) facta quidem est post remotissimum tempus annorum quasi septuaginta. Siquidem precedentia privilegia usque ab anno 1296. vel paulò post concessa fuerant: hujusmodi autem enunciatio facta est sub anno 1365. in privilegio, in quo confirmatur permutatio Comitatus Melitæ cum Comitatu Augustæ, non autem in asserto privilegiò anni 1318. ut in contrariùm allegatur.

Cæterùm nec assertio, quòd Reges per directum & Luchinæ progenitores per dominium utile insulas possederint, neque altera, quòd fotsitan ante dominium Regis Caroli Andegavensis Luchinæ progenitores plenè insulas possidebant, neque una neque altera Luchinæ successionem tanquam de antiquo feudo justificare possunt. Quippe † propter hujusmodi concessiones, si quæ forsitan antiquæ extitissent, ad insularum restitutionem Rex Petrus non tenebatur: illæ enim, ut vi- 18

ſum eſt, jure belli in ejus dominium tranſierunt, & eodem jure ejuſdem Regis deſcendentes poſſederunt, ad tex. in *l. is qui prædam* 14. *ff. ad leg. Jul. pecul. ubi gloſ. in poſitione caſus. l. divus commodus ff. de jure fiſci. l. ſi captivus* 20. *ubi gloſ. v. ager ff. de capt. & poſtlim. rev.* Jaſon *in l.* 1. *n.* 10. *ff. de acquir. poſſeſs.* Gregor. Toloſan. *ſyntagm. jur. p.* 3. *lib.* 20. *cap.* 4. *per tot.* Capyc. Galcot. *reſp. fiſcal.* 13. *n.* 76. Gratian. *diſcept. cap.* 801. *n.* 60. Caball. *reſol. crimin. caſu* 140. *n.* 6.

Ex adverſò tamen replicat Adverſarius, quòd bona Vaſallorum, quæ hoſtes occuparunt, expulſis hoſtibus, recuperantium non ſint, ſed priorum dominorum (ut nos etiam infra confirmabimus) præſertim ubi de feudorum recuperatione agatur. Quoniam ſicuti Vaſallus in bello tenetur Domino inſervire; ità fidelium bona defendere, proprium eſt regiæ protectionis. Quare inſulis a Rege Petro recuperatis, in eis jure poſtliminii antiqui earum conceſſionarii, ut Luchina erat, ſuccedere debebant.

Nihilominus hujuſmodi replicatio in caſu noſtro procedere non poteſt, quoniam ad concluſionem applicandam, inter alia, opus eſſet oſtendere, quòd, cùm in Regnum venit Rex Carolus, inſulas poſſidebant Luchinæ progenitores, & quòd eos iiſdem ſpoliavit in ſuo adventu Rex Carolus. Sed ità res executa non eſt, quia Rex Carolus ad Siciliæ thronum evectus eſt anno 1265. quo Regnum poſsidebat Manfredus Imperatoris Federici I. ſecundogenitus, & dum adhuc vivebat Corradinus ejuſdem Imperatoris nepos ex Corrado filio primogenito. Et eodem etiam tempore Rex Carolus dicitur inſulas quæſiiſſe. Nullibi autem legitur, quòd Rex Carolus, ſtatim quòd ad Regni coronam admiſſus eſt, aliquem invenit ex antiquis inveſtituris inſularum poſſeſſorem, quē Comitatu ſpoliavit; bene tamen quòd cum univerſo Regni demanio inſulas habuit.

Quo fit, ut, ſi eas inſulas Rex Carolus cum univerſo demanio habuit, neque ipſis aliquem ſpoliavit, & ſi eas Rex Petrus ex poteſtate Caroli per navale bellum ſibi comparavit; omnino dici debeat, Regem Petrum eaſdem inſulas jure belli adeptum eſſe: & ſicuti Luchinæ progenitores ante adventum Caroli inſulas non poſſidebant, quia forſitan ante adventum Caroli earum poſſeſsionem amiſerant; eodem modo dici debeat, quòd Luchinæ progenitores, quando Rex Petrus inſulas recuperavit, eas prætendere non poterant, vel quòd ad eas reſtituendas neque Rex Petrus, neque ejus deſcendentes tenebantur.

Atque etiamsì, ut Adverſarius inſiſtit, antiquæ conceſsiones per ſucceſsionem Regis Petri reviviſcere viderentur, & noſter Comitatus tanquam feudum antiquum Luchinæ a Rege reſtitutus fuiſſet; non per hoc tamen antiqua conceſsio cum clauſula juris francorum omni ex ſui parte perfecta præ-

præſumi non deberet: nam ipſamet reſtitutio facta Luchinæ uti comprehenſæ in antiqua inveſtitura, ſatis omnino indicat, quòd in principali conceſsione juris francorum clauſula interceſſerat. Quod ex jure Longobardorum evenire non poterat, ut ſupra probatum eſt, quia omnino fœminarum ſucceſsionem reiicit. quicquid in contrarium ſuperiùs fuerit ab Adverſario allegatum, nempe quod etiam jus Longobardorum aliquando fœminas, omnibus extinctis agnatis, ad ſucceſſionem admittat: ibi enim hujuſmodi objectio jam reſoluta eſt, & ulteriorem diſcuſsionem non deſiderat.

Opponit ſecundò, quòd quatenus per poſsibile verum eſſet, quòd conceſsio facta Luchinæ pogenitoribus, ſequuta eſſet poſt publicationem *Capit. Si aliquem*; non per hoc ea conceſſio cum clauſula juris francorum facta ſupponi deberet: quia etiam poſt tale tempus, jus francorum non erat factum commune in Regno, ſed adhuc pro jure ſpeciali habebatur. Unde conceſſio non ſub hoc jure ſpeciali facta præſumi debet, ſed ſub jure Longobardorum, quod adhuc commune ſervabatur.

Sed confutatur hujuſmodi ob-
19 jectio: † contrarium enim apertè concludit hujus materiæ ſubtiliſſimus perſcrutator Ill. de Drago *in cauſa Hyeracis* §. 3. *n.* 212. *& ſeq.* ibi: *Neque feudorum formæ fuit proviſum per* Conſtit. In aliquibus. *Fuit enim feudalis hæc forma per jam relatam* Conſtit. Ut de ſucceſſionibus *conſtituta*, *ibi*: Ut de ſucceſsionibus Comitum & Baronum & eorum omnium, qui feuda a nobis in capite tenent. *In qua quidem conſtitutione gloriantur fœminæ, ad feudalem ſucceſſionem, non ex communi quidem, ſed ex francorum ſpeciali jure hoc anno* 1221. *admiſſæ*. *Quo ſanè tempore, prævalido rationum atque argumentorum pondere aſſumptum ſuum perſuadere tenetur, qui ad ſpecialis juris hujus normam regulare feuda, eaque primogenituræ nexibus irretita fuiſſe, contendit: ut, ſuper conſtitutionis ejuſdem verbis, habemus ex Gloſ. & Iſern. in* v. ſpeciali jure francorum, fol. 261. *& ex eodem Iſern.* in Cap. Imperialem tit. De prohibit. feud. alienat. per trid. §. Præterea ducatus n. 37. *Aſflict.* ſuper dicta Conſtit. Ut de ſucceſs. n. 12. *Pern.* conſ. 14. n. 78. & conſ. 18. n. 3. *Gregor.* De conceſs. feud. p. 4. quæſt. 1. ubi *Addit.* lit. A. & p. 8. quæſt. 6. n. 2. *Cumià* in prælud. de ſucceſs. feudorum n. 31. & in v. francorum jure n. 7. fol. 211. *Giurba* de feud. prælud. 6. n. 20. & 28. *Juſtif. in cauſa Buteræ*, ſeu *Deciſio Sicula* art. 3. n. 195. *Roſa* ubi ſupra in prælud. feud. lect. 8. n. 36. & 85. *Rovit.* in allegat. poſt pragmat. 11. de feud. n. 84. fol. 293. *Quam eandem vivendi methodum tenuerunt etiam Neapolitani ante annum* 1284. *& Capyc. latr.* conſult. 3. ubi ſupra *Mont.* cit. jam contr. 1. n. 48. & meliùs n. 49. *Conſiliar. de Andr.* cap. 2. §. 6. n. 32. 33. fol. 100. & 101.

Et peculiaribus etiam probationibus, in eodem hoc Siciliæ Regno, innitebatur hujusmodi jus ante 1285. *speciale. Hoc autem anno editum atque promulgatum fuit* Capit. Si aliquem Regis Jacobi de succefs. feud. *sub Papa Honorii nomine celeberrimum.*

Et dicto §. 3. n. 303. ibi: *Hujus tamen lucis ministerio, temporisque bujus evolutâ serie, ipsamet contra nos chronologia hic intorquetur, suoque francorum juri excitare vires, intendit Adversarius. Cùm enim nos etiam ipsi fateamur, amplissimam & integram juris francorum formam, in utroque Siciliæ Regno ex vi* Constit. Ut de successionibus ab anno 1221. *& in Regno Neapolis ex vi* Cap. Considerantes ab anno 1284. *atque in hoc nostro ex vi* Capit. Si aliquem ab anno 1285. *inter jura communia consedisse; quidquid sit de ipsius, ante præcalendata tempora, specialitate, fateri certè ad contrariorum sensum cogimur, alteram hanc præsentis, de quo nunc agimus, & reliquorum deinde prolabentium temporum sphæram, pleno & indiminuto francorum jure illustrari. Condito jam per Franciscum seniorem ejus testamento sub anno* 1337. *quo quidem tempore multòque antea inter jura communia francorum jus ipsum vigebat, ut ad oculum demonstravimus* n. 229. *& hic etiam confirmamus ex Montan.* §. Præterea ducatus n. 229. *& hic etiam confirmamus ex Xibecca* In alleg. causæ Buteræ cit. fol. 121. & 132. &c.

Impugnatur secundò objectio: quidquid sit, an jus francorum, post publicationem *Capit. Si aliquem*, commune erat factum in Regno, an verò jus Longobardorum commune servabatur. Sicuti enim testantur infra inferenda Regiæ Cancellariæ privilegia, † concessiones, quæ post capitulum a Regibus factæ sunt, factæ etiam inspiciuntur cum clausula juris francorum, quæ per omnes suos effectus explicatur. Cùm autem non constito de principali concessione, eo modo concessio præsumi debeat, ut desiderat Adversarius, quo alia privilegia expediebantur tempore præsumptæ concessionis; eò ipsò igitur, quòd nostra concessio facta est post *Capit. Si aliquem* (quo tempore aliæ concessiones fiebant cum clausula juris francorum quoad omnes effectus) ipsa etiam cum eadem clausula præsumi debet, quanquam jus francorum commune in Regno non esset. 29

Omnes igitur concessiones, quæ factæ sunt post capitulum, nonnisi cum clausula juris francorum factæ sunt, & quidem quoad omnes suos effectus, ut in privilegiis jam nunc allegandis. Sed certè non ità est in privilegiis etiam antiquissimis, & quæ Normannorum tempore concessa sunt: ea enim (postquam revolvimus omnes regiæ Cancellariæ codices) nec de per se, nec per insertionem (quod utrunque protestamur) de vivendi modo per jus Longobardorum mentionem facere videntur.

Jam ergo Rex Jacobus (qui *anno* 1285. 14. *Indict. die* 5. *Februarii* Regni coronam suscepit, ut dictum

ctum est, & *Capit. Si aliquem* publicavit) eodem anno, cum concessisset feudum *Sacculini* cuidam Petro de Ansalone M. R. C. Judici, nonnisi per integram clausulam juris francorum ejus successionem ordinavit, ut privilegium insertum legitur in alio, quod obtinuit quædam Hyacintha Speciale sub die 25. Maii 1420.

Per præsens privilegium, ait Rex Jacobus, *notum fieri volumus universis tàm præsentibus quàm futuris, quòd Judex Petrus de Ansalone Magnæ Curiæ nostræ Judex, consiliarius, familiaris & fidelis noster, Majestati nostræ humiliter supplicavit: quòd, cùm ei tanquam benemerito suisque hæredibus in perpetuùm, de excandentiis & morticiis Curiæ nostræ in annuo redditu unciarum auri* 20. *sub servitio militari unius equi, de liberalitate mera & speciali gratia, nostra serenitas providisset: & Bartholomæus de Castillione, olim, in anno* 14. *Indict. proximæ præteritæ, Secretus & Magister Procurator Siciliæ citra flumen Salsum, ad mandatum nostrum tunc per literas et factum, olim infra eundem annum induxerit & induci fecerit, prædictum Judicem Petrum & ejus nuncios, in corporalem possessionem subscriptorum jurium & bonorum nostræ Curiæ, sitorum in subscriptis terris & tenimentis earum (quæ fuerunt subscriptarum personarum, &, per escandentiam, ad manus nostræ Curiæ rationabiliter devenerunt) sub prædicto servitio, pro annuo redditu quantitatis præscriptæ; inductionem & assignationem possessionis bonorum ipsorum acceptare & ratificare, ac bona ipsa sibi suisque hæredibus in perpetuùm de novò concedere & confirmare, de benignitate regia, dignaremur.*

Quibus supplicationibus benignè admissis: quia de prædictis, necnon, quòd prædictorum bonorum proventus, prædictæ quantitatis pecuniæ valorem annuum non excedunt, præscripta testimonialia, publica inde confecta & per eum nostra Curiæ assignata (quæ in Archivio Curiæ conservantur) eidem Curiæ plenè constitit de inductione possessionis jurium & bonorum ipsorum, ratificamus & acceptamus, & eas sibi suisque hæredibus, in perpetuùm, sub prædicto servitio de novò concedimus, & pleno favore regio confirmamus etiam & donamus. Ità tamen, quòd, prædictus Judex Petrus ejusque heredes prædicti, jura & bona cum juribus, rationibus & pertinentiis suis, supradicto servitio à nostra Curia teneant & cognoscant, & exinde servire ipsi Curiæ teneantur, quòdque vivant jure francorum, *videlicet*, *quòd*, major natu minoribus fratribus & cohæredibus suis, & fœminabus masculus præferatur.

At quamvis hujusmodi privilegium legatur conscriptum anno 1288. die ultimo Maii; tamen in eo etiam enunciatur, quòd concessio facta est anno 14. Indict. quo conditum est *Capit. Si aliquem*.

Idem servavit Rex Federicus (immediatus Regis Jacobi successor) anno 1297. die 16. Aprilis, in concessione feudi seu casalis *Chiriddiæ* facta Gilio de Asyn, quæ inserta est in privilegio confir-

firmationis, expedito ad instantiam Paulæ de Perno sub die 15. Novembris 1396. *Per præsens privilegium*, ait Rex Federicus, *notum fieri volumus universis, quòd, consideratis fide & devotione sincerà, quam Gilius de Asyn, miles, familiaris & fidelis noster erga majestatem nostram prompto zelo gessit & gerit, nec minùs fidelibus & gratis servitiis per eum Excellentiæ nostræ præstitis (& præstare poterit gratiora) ei & suis hæredibus ex suo corpore, & de legitimo matrimonio descendentibus, casale seu feudum* Chiriddiæ, *situm in territorio Syracusiæ, cum omnibus juribus, rationibus & pertinentiis suis(quod, simul cum casali seu feudo Monasterii posito in dicto territorio, quondam Conradus de Camera, tenebat a Curia sub certo militari servitio, & casalia ipsa, quæ post ejus obitum ad manus nostræ Curiæ rationabiliter devenerunt) per Vicesecretum statutum in dicta Civitate Syracusiæ, jussimus, ad manus nostræ Curiæ revocari per eum, ad opus, & pro parte nostræ Curiæ procurandà, sub servitio per eundem Gilium & hujusmodi hæredes suos Curiæ nostræ præstando, ana unc. 20. pro servitio cujuslibet militis secundùm annuos proventùs & redditùs dicti casalis seu feudi* Chiriddiæ *& pertinentiarum suarum, juxta usum & consuetudinem Regni nostri. Quod servitium idem miles, in nostri præsentia constitutus suà gratà & spontaneà voluntate, pro se & suis hæredibus facere obtulit & promisit.*

In cujus casalis seu feudi, jurium, & pertinentiarum suarum possessione, idem Gilius inductus extitit per Bartucchium Manchinum de Syracusia, Vicesecretum Curiæ in dicta Civitate Syracusiæ, fidelem nostrum, authoritate literarum nobilis Conradi Lancea de Castro Menardo, militis, Secreti & Magistri Procuratoris Siciliæ, & unà cum sociis Magnæ Curiæ nostræ Magistri Rationalis, consiliarii, familiaris & fidelis nostri missarum eidem Bartucchio cum inserta in eis forma literarum nostrarum datarum Cataniæ 29. Januarii 5. Indict. eidem Conrado propterea directarum, prout in quodam quaterno sub sigillo prædicti Bartucchii per eundem Gilium nostræ Curiæ assignato, qui in Archivio ejusdem Curiæ officii Cancellariæ servatur, plenius continetur: cassatis & in irritum revocatis omnibus provisionibus sibi usque per totum dictum tempus factis quacunque ratione vel causa, de liberalitate mera & speciali gratià concedimus & donamus. Ità tamen, quòd prædictus Gilius & hæredes sui prædictum casale seu feudum Chiriddiæ *in capite sub prædicto servitio a nostra Curia teneant & cognoscant, & exinde ipsi Curiæ servire teneantur, & quòd illi, quibus in eodem casali seu feudo aliqua jura, possessiones & bona per Serenissimos Dominos Parentes nostros claræ memoriæ, seu Illustrem Dominum Jacobum Aragonum & olim Siciliæ Regem charissimum fratrem nostrum, aut nos, concessa fuerunt, ea teneant & possideant a nostra Curia, prout ea eis per nos vel nos concessa fuerunt, & quòd* vivant jure francorum, *videlicet, quòd* major natu minoribus fratribus & co-

cohæredibus suis, & fœminis masculus præferatur.

Idem a Rege Federico fuit observatum in concessione Casalis *Summatini* facta Bartholomæo Tagliavia die 3. Aprilis 1299. *Casale Summatini*, ait idem Federicus, *positum in Valle Agrigenti in territorio Nari seu Leocatæ, quod quondam Constantinus de Naro proditor, ex donatione & concessione nostris tenebat, ob proditionis crimen per eum contra majestatem nostram commissum, ad manus nostræ Curiæ rationabiliter, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, videlicet, quæ sunt de demanio in demanium, & quæ de servitio in servitium, sub servitio debito & consueto per eum & hæredes suos Curiæ nostræ præstando, ana videlicet unc. 20. pro qualibet milite secundùm annuos redditùs & proventùs dicti Casalis, jurium & pertinentiarum suarum, juxta usum & consuetudinem Regni nostri prædicti, quod servitium Bartholomæus ipse in nostra præsentia constitutus spontè obtulit in excambium jurium & pertinentiarum casalis seu tenimenti terrarum, quod dicitur, Sancta Maria de Ravanusa, positi in dicto territorio Leocatæ seu Nari, cum procuratione & perceptione dictorum proventuum & redituum eidem Bartholomæo sub certis modo & forma serenitas nostra commisit, & ipsum postmodum Ricciardo de Capurato, militi, fideli nostro, sub certa forma concessum, de libera nostra, mera & speciali gratia concedimus & donamus. Ità tamen, quòd prædictus Bartholomæus & hæredes sui, prædictum casale cum omnibus juribus, rationibus & pertinentiis suis in capite a nostra Curia teneant & cognoscant*, vivantque jure francorum, *videlicet*, *quòd* major natu minoribus fratribus & cohæredibus suis, & masculus fœminis præferatur.

Idem etiam servavit idem Federicus in concessione Casalis *Nissuriæ* facta Raynaldo de Sano die 2. Octobris 1299. quæ videtur inserta in privilegio confirmationis concessæ Notario Mattheo de Sano die 24. Augusti 1373. *Casale*, ait idem Federicus, *seu tenimentum terrarum, quod dicitur*, Nissuria, *positum in territorio Asari, Sancti Philippi & Nicosiæ, cum omnibus juribus, rationibus & pertinentiis suis, quod Virgilius de Catania, proditor noster, a Curia nostra tenebat & possidebat, & ob proditionis crimen per eum contra majestatem nostram commissum, ad manus nostræ Curiæ justè & rationabiliter devenerit, videlicet, quæ sunt de demanio in demanium, & quę de servitio in servitium, per eundem Raynaldum & heredes suos Curię nostrę prędstando ana unc. 20, pro servitio cujuslibet militis, secundùm annuos proventus & redditus prędicti casalis seu tenimenti, jurium & pertinentiarum suarum, juxta usum & consuetudinem Regni nostri Sicilię quod servitium idem Raynaldus in nostri prędsentia constitutus, sua gratà & spontaneà voluntate, pro se & dictis suis heredibus facere obtulit & promisit, de liberalitate mera & speciali gratia concedimus & donamus. Ità tamen,* quòd

quòd prædictus Raynaldus & heredes sui prædictum casale seu tenimentum terrarum, *in capite a nostra Curia teneant & cognoscant*, *& exinde servire ipsi Curiæ teneantur*, *&* vivant jure francorum, *videlicet*, *quòd*, major natu minoribus fratribus & cohæredibus suis, & fœminis masculus præferatur.

Hæc atque innumera in regia Cancellaria leguntur privilegia, quæ, quia post capitulum condita sunt, juris francorum clausulam ad literam ostendunt, & per omnes suos effectus declarant.

Impugnatur denique objectum, quia si verum esset (ut verum esse non posse, jam supra demonstravimus) quòd concessio facta esset tempore, quo jus francorum non erat in Regno generaliter introductum; adhuc tamen ea concessio cum clausula juris francorum præsumi deberet, quia talis fuit, ut ex ea Luchina successerit: quod aliter evenire non potuit, nisi quia concessio cum clausula juris francorum facta erat.

Opponit tertiò Adversarius, quod etiam si post conditum *Capit. Si aliquem* concessio fuisset facta & cum expressa clausula juris francorum quoad omnes effectus; adhuc tamen fœminæ, non in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs succedere deberent, sed in defectu omnium omnino agnatorum. Idcirco Luchinæ successio non est solùm referenda ad defectum masculorum in eadem linea & gradu existentium, sed ad defectum etiam omnium omnino agnatorum: ita enim majores nostri priscis iisdem temporibus juris francorum clausulam exposuerunt.

Maximum tamen æquivocum hujusmodi objectum continet: aliud enim est, quòd † clausula 21 juris francorum apposita in dispositione hominis ob expressum perpetuæ conservandæ agnationis votum, indefinitam masculorum vocationem, ac subsidiariam fœminarum successionem importare valeat, non obstante quòd clausula juris francorum caudam habeat serpentinam & ad se trahat omnes contrarietates, ut prætendit in successione Statùs Paternionis doctissimus Adversarius; aliud tamen est, quòd clausula juris francorum a Rege in concessione apposita, ubi nihil de agnatione dictum est, eundem effectum producere valeat. Primo enim casu, si aliunde clausula salvari non potest, atque ità agnatio expressa est, ut aliunde testatoris correctio incontinenti oriri videretur; quibusdam placuit, fœminarum successionem demandatam fuisse omnibus quidem masculis a testatore procedentibus, extinctis. sed fusiùs materia examinabitur in successione Statùs Paternionis. In secundo tamen casu conveniunt omnes, quòd fœminæ, ubi masculi ejusdem lineæ & gradùs deficiant, ad feudalem successionem aspirare valeant.

Verùm antiquitus fuit contra fœminas dubitatum, propter dispositionem *Cap. I. De eo qui sibi & he-*

& haeredibus suis. Ad cujus interpretationem, fœminæ, si, quando a Rege facta est concessio cum clausula, quòd, *deficientibus masculis, fœminæ succedant*, omnibus omnino deficientibus agnatis ad successionem admitti debent, ut ex Cannetio & aliis concludit Adversarius. Communis tamen

22 † opinio, contra Cannetium & quoscumque alios ex adversò allegatos, ea semper fuit, quòd capitulum prædictum in nostro Siciliæ Regno locum habere non possit: factâ enim in Regno concessione cum clausula juris francorum, fœminæ, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, ad successionem admitti debent, ut assumptum eleganter confirmat Isern. *in dicto cap.* 1. *n.*2. illis verbis. *Nunquid hoc capitulum locum habeat in Regno Siciliæ? Per constitutiones Regni, filia succedit patri si non habet masculum, excluso domino feudi & consanguineis patris, sicut dicit* Constit. In aliquibus. *Unde etsì primogenitus vivens jure francorum decedat, filià tamen relictà; secundogenitus frater, exclusus per patrem filiæ, excludetur per filiam.*

Confirmat etiam Liparulus ad Isern. *loc. cit. lit. g. versic. quid ergo.* illis verbis. *Et tene menti hanc decisionem Andreę hìc, quòd quando hęc clausula, quòd*, deficientibus masculis, fœminæ succedant, *ponitur per Regem vel quemcunque; in Regno debet intelligi de masculis eius, de cuius successione agitur, quia sic vult* Constit. In aliquibus. *Si autem apponeretur hęc clausula extra Regnum; debet intelligi de masculis eius, qui primò feudum habuit. Unde secundùm primam, neptis excludit patruum, sed secundùm secundam, non. Capyc. ubi etiam hanc decisionem Andreę dicit, esse notandam, pro clausula*, sexùs prærogativâ servatâ.

Confirmat etiam assumptum Corsettus *cons.* 24. *n.* 1. *Nam ea*, inquit, *quę ipsi* (loquendo de Cannetio & Campixano) *pro fundamento eorum intentionis pręsupponunt, satis in jure controversa sunt, & in Regno nostro videntur procedere adversùs receptas sententias antiquorum nostrorum. Jus enim francorum in Regno recipit interpretationem, ut fœminę excludantur a masculis existentibus in eodem gradu, non autem ab illis, qui in remotiori gradu essent, ex dispositione textùs in* Capit. Si aliquem, *& fatetur, hoc esse receptum in Regno, dominus Campixanus in hoc suo consilio, & latè D. Petrus Gregorius* de concess. feudi par. 4. quæst. 4. *ubi in fine considerat, ius francorum non fuisse introductum ob agnationem conservandam simpliciter, sed tantùm ut inter masculos existentes in eodem gradu cum fœminis.*

Confirmat etiam Cutell. *orat.* 28. *n.* 29. ibi. *Licèt non deficiat Cannetius in* Capit. Si aliquem, vers. sed tractandum esset fol. 275. *qui longa tractatione, & validis fundamentis tenet, quòd dictum* cap. 1. *non fuerit correctum per dictas constitutiones; imò hodie prout hodie fœminam a masculo excludi, non solùm si in ęquali gradu, sed etiam in inferiori reperiatur. Quem reprobant omnes, & Corsettus in*

specie, quòd in dictis locis dixit, ità semper servatum. *Quòd nec nos diffitemur: sat enim nobis est, quòd, attentà hominis dispositione, nemo neget, constitutionibus prędictis locum non esse*.

Et tandem Magrett. *super pragm. Ducis Sarmonetę* §. 12. *observ.* 8. *n.* 38. ibi. *Respondetur quartò, quòd istud capitulum non habet locum in Regno Siciliç, ubi fœminę sunt habilitatę ad successionem feudorum per Constitutiones Regni* In aliquibus *&* Ut de successionibus.

Atque sub prædicta distinctione accipiendi sunt, quotquot alii in contrarium allegentur & allegari possint. Etenim quæcunque prælatio masculis concessa in concursu cum fœminis, nunquam indefinitè accipienda est, sed quatenus masculi existant in eadem linea & gradu, ut latiùs in sequenti parte.

Opponit quartò Adversarius, quòd Regis Alphonsi leges in casu nostro locum habere non possunt: hoc enim quòd nostro in casu de privilegio non constat, non benè justificatur. Tempore enim, quo prædictæ leges conditæ sunt, nempe anno 1452. Comites Caltanissettæ hunc Comitatum possidebant vigore suorum privilegiorum, nempe quia Comitatum Augustæ possederant vigore concessionis Terræ & Castri Augustæ factæ a Rege Federico II. Comiti Guglielmo Raymundo I. in insularum permutatione. Quocirca id venit exequendum, quòd vel a Comite Guglielmo Raymundo I. Augustæ concessionario, vel a Comite Guglielmo Raymundo II. & a Comite Matthæo I. ejus successoribus dispositum est: forma enim in ea concessione a Rege data, hæreditaria videtur, quia in illo privilegio (ut refertur in alio illius confirmatorio sub anno 1318.) his verbis concepta est. *Guglielmo Raymundo de Montecateno & suis hęredibus & successoribus in perpetuùm*.

Satis tamen invalida est objectio, tum quoad id, quòd nos assertum privilegium anni 1318. habeamus, tum quoad aliud, quòd forma a Rege data hæreditaria videatur. Quò enim spectat ad privilegii existentiam, tantùm abest quòd de eo constet; ut in confirmatione permutationis a Rege Federico III. Comiti Matthæo I. concessa dicto anno 1365. expresse dicatur, quòd privilegium Permutationis Insularum & Concessionis Augustæ, atque alia de ipsius confirmatione & erectione in Comitatum (absque eò quòd ipsorum annus & dies referatur) jam erant deperdita, eorumque registra belli occasione devastata, itaut non potuerint seriatim, ut moris erat, in dicto privilegio referri: cujus verba hæc sunt. *Et omnia prędicta privilegia & instrumenta de pręmissis confecta, necnon registra nostrę Curię illorum temporum fuerint & sint casualiter guerrę occasione deperdita & devastata: & hac de causa pręsentari nostrę Curię, & eorum copię exhiberi non possint; ut eorum tenor more solito seriatim a nostra Excellentia confirmetur*.

Quam-

Quamvis autem in domùs Archivio reperiatur quædam copia copiæ privilegii, quod supponitur concessum dicto anno 1318. huic tamen nulla fides concedenda est (ut fuit a Dominationibus Vestris Ill. & admodùm Spectabilibus determinatum, ubi ejus productio Parti denegata est) quoniam ei adversatur publicum originale confirmationis privilegium, in quo expresse habetur, quòd ea in mundo non erat, quidquid dixerint memorati authores, scilicet Lengueglia & Ill. Marchio de Mondèjar. Ipsi enim testantur, quòd copia prædicta in Archivio domùs existebat: sed de ejus copia originali si dicto anno 1365. non constabat, multò minus constare potuit iisdem annis, quibus iidem authores scripserunt.

Replicat tamen Adversarius, quòd licèt de forma concessionis nec de per se constare videatur, neque per enunciativam in privilegio anni 1318. de ea tamen constare dicitur per confirmationem permutationis factam sub anno 1365. quæ originalis est, & legitur in regia Cancellaria: ibi enim adamussim verba prædictæ concessionis Augustæ, & formæ a Rege datæ (quæ jam superius transcripta sunt) referuntur. Sed neque hoc ab Adversario probari potest, quia in prædicta confirmatione mentio tantùm permutationis facta est, absque eo quòd illius tenor insertus sit, ut insertum esse oporteret ad inquirendam hanc formam, quam a Rege ibidem datam esse, intendebat Adversarius.

Dato tamen (absque veri præjudicio) quòd ex verbis in confirmationibus appositis, forma (quam Rex forsan dedisset) in examen revocanda esset: ex ipsismet verbis principalis concessio semper cum clausula juris francorum, nunquam verò hæreditaria, præsumi deberet, ex pluribus. Et quidem primò, quia Castrum Augustæ fuit expresse datum a Rege, locò Comitatùs Melitæ & Gaudisii, qui formam receperat a clausula juris francorum, ut supra probatum est. Ubi enim † feudum novum locò antiqui conceditur, eo modo concessum dicitur, prout erat informatum feudum antiquum, cum quo fit permutatio. Decian. *cons. 55. n. 76. & seq. lib. 3.* Lucas de Penna *in l. 1. c. de imponenda lucrativa descriptione*. Afflict. *in cap. un. de vasal. decrep. ętat.* Rosa *consult. to. 2. pręlud. feud. lect. 2. n. 12. versic. cęterum f. 134. usque ad 15.* Luca *de feud. disc. 9. n. 15. & disc. 42. quasi per totum*. 23

Ex adversò tamen opponitur, quòd id procederet, ubi diverse de re subrogata dispositum non fuisset: quasi quòd nova forma (scilicet hæreditaria) per verba præinserta data esset. Sed dato, per possibile, quòd licitum esset permutantibus aliter de feudo permutato & præsertim de re uxoria disponere, quàm in prima feudi investitura conventum fuisset (quod jura expresse prohibent:) cùm verba ipsa, ex quibus forma hæreditaria prætenditur,

clausulæ juris francorum repugnantia non sint, & nos versemur in actûs relatione, in quo alia verba intercedere potuerunt, quæ clausulæ adjectionem importare potuerint, omnis præsumptio suadet, quòd alia verba apposita sint, quæ ad clausulam referri debeant.

Secundò, quòd clausula juris francorum in privilegio relato fuit apposita, præsumendum est, quia ipsismet verbis, quæ ad probandam assertam formam hæreditariam allegantur, defactò sequens clausula adjuncta est. *Prout in quibusdam privilegiis dicti avi nostri, & aliis documentis tunc de dicta permutatione & concessione confectis, hæc & alia plenius & latiùs, asseruit, contineri.* Cùm igitur in principalibus privilegiis aliæ atque aliæ adfuerint clausulæ; dubitari non potest, quin earum una, illa fuerit juris francorum. Si enim, ut supra firmatum est, etiam quòd non legeretur, ex sola subrogatione pro apposita reputari deberet, eò ipsò quòd multæ aliæ clausulæ in privilegiis relatis supponuntur; hæc clausula, tamquam connaturalissima, venit proculdubio præsumenda.

24 Tertiò, † cum clausula juris francorum debet præsumi concessio, quia in confirmatione de anno 1365. a Rege Federico III. facta favore Comitis Matthæi I. expressa legitur clausula juris francorum. Ubi autem in ultima concessione clausula juris francorum apposita videtur; etiam in antiqua, clausulam contineri censendum est, & juxta illius tenorem & formam ultimam concessionem fuisse impartitam. Non enim † præsumendum, quòd 25 Rex prædictus Comiti Matthæo, (quem dicit benemeritum, & summoperè commendat) Comitatum in forma hæreditaria possidenti, præjudicium inferre voluerit, formam restringendo: nec quòd Comes Matthæus rem suam (ut expressè dicitur in prilegio) sub tali restrictione acceptaverit. Scrader. *de feud. p.* 5. *cap.* 2. *n.* 44. Rosental. *de feud. cap.* 6. *conclus.* 69. *n.* 4. *cum seqq.* Torre *de majorat. par.* 2. *quæst.* 57. *n.* 8. Rota *recent. decis.* 267. *n.* 5. *par.* 15. *& par.* 17. *decis.* 275. *n.* 7. Pacion. *de locat. & conduct. cap.* 53. *n.* 113.

Replicat tamen Adversarius, quòd allegata conclusio eo tantùm casu locum habere debet, quo Rex conscius est primæ investituræ: sed hoc non verificatur in casu nostro, in quo Rex eam ignorabat, quia privilegia deperdita erant. Nihilominus conclusio semper firma est & casui nostro applicabilis, nedum quia ipsa indistinctè procedit, cùm ex appositione clausulæ juris francorum (ut defactò apposita est in secunda concessione) antiquæ formæ Rex conscius præsumatur; verùm etiam quia in nostro themate Rex apertè declarat, omnia privilegia sibi innotescere, de illis certum esse, & suæ Curiæ satis constare, ut supra in facto visum est. Unde, dubitari non valet, quin clausula juris francorum a

Re-

Rege tanquam antiqua fuerit confirmata.

Insistit tamen Adversarius, verumque esse affirmat, quòd Regi antiqua forma innotuerit: quòd ea non fuerit juris francorum, sed hæreditaria, cùm per verba supra relata, quibus forma hæreditaria explicatur, antiquam referat concessionem: & quòd proinde clausula juris francorum noviter a Rege adjecta est. Sed hoc etiam nihil refert, imò eadem solutio semper applicabitur, quòd scilicet non solùm per verba prædicta, sed per alia etiam concessio facta est: quæ quidem verba, eò ipsò quòd Rex in novo privilegio clausulam juris francorum apponere visus est, ad clausulam referri debent, non autem præsumendum, quòd Rex noviter eam apponere voluerit.

Et quartò tandem: quia defactò concessio Comitatùs Augustæ Comiti Guglielmo Raymundo I. cum clausula juris francorum expedita est, ut verba Jo: Lucæ de Batberio *in Capibrevio Civitatis Augustæ* apertè demonstrant. ibi: *Comitatus Augustæ (in quo includuntur Terræ infrascriptæ, videlicet Melilli, Altavilla &c. in feudum sub consueto militari servitio, & quòd vivant jure francorum, & cætera) antiquitus possidebatur per quondam Guglielmum Raymundum Primum de Montecateno ex concessione sibi & suis in perpetuùm hæredibus facta per quondam Dominum Regem Federicum Primum, in excambium Comitatùs Insularum Meliveti & Gaudisii, quas Insulas ipse habuerat, ut asseruit, a Domina Lucbina ejus uxore*. Quin etiam, quòd prædicta juris francorum clausula fuerit per omnes suos effectus declarata, in dubium cadere non potest: dictio enim *& cætera*, qua utitur Joannes Lucas Barberius, hoc ipsum evidenter ostendit, siquidem Nostrates hoc modo extendunt, videlicet, quòd *major natu minoribus & masculus fœminis præferatur*.

Jam ergo nostrum assumptum undequaque probatum remanet. Etenim, cum ex hucusque allegatis negari non possit, quin vel concessio insularum Melitæ & Gaudisii aut Comitatus Augustæ facta sit eo tempore, quo fœminæ per clausulam juris francorum in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs succedebant, vel quòd incertum sit tempus concessionis, ut verè incertum esse videmus ex vaga enunciatione facta in privilegiis; irrefragabilis consequentia resultat, quòd semper, cum clausula juris francorum superiùs explicata, fuit facta concessio, quoniam ad hunc præcisè finem fuerunt condita Regis Alphonsi capitula: nempè quòd in forma stricta & cum clausula juris francorum præsumi concessio debeat, si profectò de concessionis privilegio non constet, &, ut Adversario placet, si etiam concessionis tempus ignoretur.

Et defactò quia nec de concessione insularum Melitæ & Gaudisii nec de concessione Comitatus Augustæ constabat & privilegia deperdita erant: Regis Federici ha-

habemus oraculum per allegatum privilegium de anno 1365. quo declaratum est, Comitem Matthæum Augustæ Comitatum possidere debere in forma stricta & sub clausula juris francorum, quæ per omnes effectus explicatur. quod omnem prorsus tollit difficultatem.

Tandem verò si discurrendi tantùm gratiâ, cum Adversario
26 supponere vellemus, quòd † forma data in concessione Augustæ (quæ facta est Comiti Guglielmo Raymundo I. in permutatione insularum Melitæ & Gaudisii) hæreditaria esset; adhuc tamen de successione suorum omnium descendentium per clausulam juris francorum, dubitari non posset. Quippe Comes Guglielmus Raymundus I. & Comes Guglielmus Raymundus II. ab intestato decesserunt: unde propterea & ipse Comes Guglielmus Raymundus II. & Comes Matthæus I. ejusdem filius, per clausulam juris francorum in Comitatu successerunt, atque ità eorum descendentes succedere debuerunt, ex *Constit. Ut de successionibus Regis Federici & Capit. Si aliquem Regis Jacobi.* Cumìa *in Capit. Si aliquem v. francorum jure n.* 8. Gregor. *de concess. feud. p.* 4. *q.* 1. *n.* 22. *quæst.* 12. *n.* 1. *&* 2. Quod quidem ex eo evenisse, compertum apud omnes est, quia feudatarius ab intestato decedens, videtur legis dispositioni se uniformem reddere voluisse: itaut dici valeat, successorem fuisse admissum per dispositionem a Principe factam & ab homine. *Doctores supra citati.*

Sed assumptum Adversarius ex duobus impugnat. Et quidem primò, quia de morte ab intestato Comitum prædictorum non constat. Secundò, quia quatenus de ipsa morte ab intestato non dubitaretur, & sic certum esset, Comites prædictos per clausulam juris francorum successisse; non per hoc clausula diceretur perpetuò introducta, sed pro una tantùm vice locum haberet, non autem pro futuris successionibus.

Confutatur nihilominus prima objectio, cùm in jure, tum in facto. In jure, quia † testamentum 27
non præsumitur, & cùm sit quid facti, debet ab allegante probari: aliàs quis semper dicitur ab intestato decessisse, ut in terminis generalibus Menoch. *de præsumpt. lib.*4. *præs.* 1. *per totam.* Altograd. *lib.* 1. *cons.* 69. *a n.* 26. Grassus *de success.* §. *testamentum n.*1. Mautica *de conject. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 3. *vers. sed contrarium, & n.* 11. Covarruv. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 6. *n.* 5.
Et † ad finem præcisum introdu- 28
cendi clausulam juris francorum, Corsett. *cons.* 7. *n.* 6. *a vers. præterea usque ad n.* 9. quidquid in contrarium adversùs hanc vulgarem conclusionem fuerit subtiliter replicatum, ipsa enim non patitur tergiversationem.

In facto confutatur, quia mors Comitis Guglielmi Raymundi I. ab intestato, probatur ex privilegio de anno 1365. in quo Comes Matthæus I. qui illud impetravit, ubi voluit referre successionem

Co-

Comitis Guglielmi Raymundi II. sui genitoris, eam descripsit per hæc verba intestatam successionem importantia. *Dictoque nobili Comiti Guglielmo ejus avo postmodùm decedente, quondam nobilis Guglielmus de Montecateno filius & hæres superstes, ac ejusdem exponentis pater hæreditatem ejus adivit*. Quamvis autem verbum *hæres* testati pariter successionem indicare valeat; quia tamen id appositum videtur medium inter verbum *filius* & verbum *superstes*, & successio per hæreditatis aditionem qualificatur, & non per testamenti kalendationem; idcirco concluditur, eam successionem ab intestato evenisse. Testata enim successio per hæredis institutionem exprimi solet in personam filii, absque eo, quòd necessum sit addere, quòd filius superstes existebat, cùm id tantùm in expressione successionis intestatæ apponi soleat. Non autem exprimitur testata successio per solam enunciationem aditæ hæreditatis, sed requiritur etiam testamenti enunciatio. de quo verbum quidem nullum, licèt aliunde de aliis instrumentis quanquam deperditis expressa fiat mentio.

Probatur etiam mors Comitis Guglielmi Raymundi II. ab intestato ex aliis hisce verbis in privilegio recitatis, quibus Comitis Matthæi filii successio exponitur. *Cùmque post dicti Comitis Guglielmi obitum prædictus nobilis Matthæus de Montecateno filius & hæres suæ hæreditati se immiscens sibi succedere voluerit & velit in omnibus bonis suis &c.* Verba autem prædicta, illis superiùs allegatis simillima sunt, & mortem ab intestato etiam concludunt ex iisdem supra adductis rationibus circa filii & hæredis successionem & circa mentionem factam de solo inventario, non autem de testamento, quod eundem Comitem Matthæum, qui dixit patri velle succedere, non latebat.

Et demum mors utriusque sine testamento probatur ex peculiari illa circumstantia, scilicet mortis Comitis Guglielmi Raymundi II. sub tyrannide illorum de Palicio Regis inimicorum: a quibus, cùm ipse Comes Guglielmus è Rhægio in Catanam reverteretur, captivus factus, in carcerem conjectus, veneno interemptus est, teste Fazel. *dec.2.lib.9.cap.5.f.m.*494. qui factum his verbis enarrat; *Sub idem tempus Nicolaus Lauria, Guglielmus Montecatenus & Gothofredus de Fimèva, Catanenses milites cùm Rhægium (ad Nicolai ipsius, cum Abbatis Nicolai filiâ, nuptias) navigio trajecissent; in reditu a Constantino & pluribus aliis Paliciorum studiosis, duabus cum triremibus invasi, omnes intercepti sunt, præter Nicolaum, qui in mare se submersit: cujus deinde corpus è fluctibus extractum, & per Messanæ urbis vias ex equi cauda ad ludibrium circumquaque protractum, ad extremùm concrematum est. Guglielmus verò Montecatenus & Gothofredus, Matthæi Palicii jussu, veneno in carcere sunt interfecti*.

Jam ergo ex facto allegato dubitari non potest, quin Comes Gu-

Guglielmus II. ab intestato decesserit: ipse enim Rhægium petiit recreationis gratiâ, non autem bellandi causa, adeout mortis periculum timens, testamento cogitare debuerit. Unde est, quòd si verba, quibus Comes Matthæus explicat mortem Comitis Guglielmi Raymundi I. eadem illa sunt, quibus mortem exprimit Comitis Guglielmi Raymundi II. consequens est, quòd ambo ab intestato decesserint.

Confutatur alterum objectum, quòd scilicet clausula juris francorum non fuit introducta in perpetuùm, sed pro ea tantùm vice, qua successio ab intestato verificata est.
29 Quoniam † præcisè in feudo dignitatis, etiam a Rege in forma hæreditaria concesso, si feudi quæsitor ab intestato decedit, non pro illa tantùm vice, sed in perpetuùm vivendi modus inter omnes successores introducitur. Corsett. *conf.* 4. *per tot.* & *conf.* 7. Marin. Freccia *de subfeud. tit.* 31. *lib.* 1. *fol.* 146. Cutell. *ad ll. Federici capit.* 27. *nota* 28. & *ad ll. Martini capit.* 42. *not.* 43. *n.* 7. Hieronymus Fimia *in conf. manuscrip. in causa feud. Podii*. Xirotta *in Justificationibus Licodiæ vers. quartò denique fol.* 45. & 49. Lavaggi & Salerno *in causa Bibini magni n.* 40. & *in addit. n.* 14. & 24. Justific. *in causa Buteræ artic.* 1. *n.* 30. Ill. Præses Gaston. *discept.* 27. *quasi per totam.*

Neque aliquod intercedit discrimen (ut ex adversò prætendebatur) inter successionem descendentium, sicut in casu nostro, & illam collateralium, de cujus perpetuitate vix unquam dubitarunt Justificantes in celebri causa successionis *Calamonaci*, acerrimi temporalitatis defensores: † utro- 30
bique enim eadem ratio venit consideranda, ex latè deductis per Gregor. *de concess. feudi par.* 4. *quæst.* 1. *n.* 22. Philipp. de Patern. *in glos. ad cap.* 30. *Regis Federici*. Pern. *conf.* 4. *vers. verùm tamen.* Marin. *de feud. tit.* 31. *versic.* 3. *lib.* 1. *f.* 146. Corsett. *conf.* 19. *n.* 31. & *conf.* 20. *n.* 1. & 2. Intrigliol. *de feud. cent.* 1. *quæst.* 6. *n.* 69. & 70. & *quæst.* 50. *n.* 208. 209. & 210.
Quinimò † præcipuus Sicularum 31
legum finis fuit, jus francorum principaliter inter descendentes introducere, & secundariò & extensivè inter transversales. Muta *in Cap. Si aliquem n.* 214.

Verùm in nostro themate non posset de perpetuitate clausulæ dubitari: quandoquidem Comes Matthæus I. qui ab intestato Comiti Guglielmo Raymundo II. ejus genitori successit, anno 1365. & 1373. cum clausula juris francorum obtinuit avitorum privilegiorum confirmationem. Isto autem casu conveniunt utriusque opinionis sectatores, ii nempe, qui temporalitatem, & ii, qui perpetuitatem clausulæ defendunt, quòd ea extra omnem controversiam fuit perpetuò introducta. Cùm enim † successor ab 32
intestato, in sensu eorum, qui stant pro temporalitate, dicatur formæ quæsitor; ubi feudum cum clausula juris francorum acceptat,

& sub

& sub ea velle possidere ex regia confirmatione declarat, non est ampliùs de temporalitate quærendum. Corsett. *cons.* 7. *n.*8. *&* 9. Ill. Præses Gaston. *discept.* 25. *n.* 23.

Neque a prædicta communissima opinione, (de qua testatur Ill. Præses de Gastone) venit in casu nostro recedendum, ut Pars contendit ex facto. Dicit enim quòd Comes Matthæus, antequam anno 1365. & 1373. prædictas confirmationes obtinuit, jam anno 1359. favore agnatorum, per suum nuncupativum testamentum disposuerat: quòd exequutionem expectabat post testatoris mortem, quæ anno 1378. sequuta est. Sed præscindendo ab eo, quòd in testamento Comitis Matthæi pro præsenti successione agnatio non fuit considerata, ut in sequenti parte dicemus: etsì verum certumque sit, quòd de testamentis post disponentium mortem ratio haberi debeat; quia tamen ipsa, per actùs inter vivos, valent proculdubio revocari: ex comet quòd Comes Matthæus post factum testamentum a Rege exoravit, ut, quia privilegia deperdita erant, Comitatum in ejus personam confirmare dignaretur, & de confirmatione cum clausula juris francorum contentus fuit; a dispositis in testamento recessisse videtur, & sub clausula juris francorum, per quam ad Comitatùs successionem admissus fuerat, Comitatum in perpetuùm possidere voluisse.

Ut defactò Comes Matthæus anno 1367. (postquam obtinuerat sub anno 1365. antiquorum privilegiorum confirmationem cum clausula juris francorum) Augustæ Comitatum Comiti Guglielmo Raymundo III. suo primogenito, ejusque filiis & descendentibus masculis, juxta juris dispositionem & juxta formam regiorum capitulorum, propter nuptias donavit. Et anno 1373. (proindeque post prædictam donationem) idem Comes Matthæus ejusdem privilegii de anno 1365. in quo expressa clausula juris francorum adjecta est, ejusdem inserto tenore, confirmationem obtinuit: sub quibus privilegiis & donatione decessit, ut infra probandum erit.

Et tandem ex peculiari circumstantia duplicis successionis ab intestato, † clausulæ perpetuitas 33
in casu nostro in dubium venire non posset. Cùm enim per primam successionem ab intestato, de clausulæ introductione contendi nequeat, & aliunde certum sit, quòd, cùm quis potuit mutare formam & non mutavit, feudum perpetuò informatum remanserit, ut supra dictum est; sic quoque, cùm per primam successionem ab intestato feudum fuerit informatum ex clausula juris francorum eò ipsò, quòd talis successor, ut fuit noster Comes Guglielmus Raymundus II. per mortem ab intestato ab ea non recessit, clausula dici debet inter omnes successores perpetuata, & C. Matthæus ei debuit acquiescere, ut ad propositum eleganter disputat Magrett. *controv.* 8. *n.* 11.

Cæterum necesse non est (ut ajebat illustris præceptor meus Ill. Præses de Nigrì *in causa successionis Rocca & Mauro Joannis seu Valdina*) in gurgitem vastum principalis quæstionis intrare, & per extensum respondere Adversario, qui super hoc puncto integrum articulum conscripsit. Et sanè discurrendi tantùm gratiâ & præter necessitatem super hac quæstione scriptum est, ut vidistis, sapientissimi Judices. Non enim in facto constat de concessione impertita C. Guglielmo Raymundo I. neque de asserta forma hæreditaria: imò quia allegatæ duæ circumstantiæ intercedunt, adeò res in tuto ponitur; ut (etiamsì forma hæreditaria esset) nos quidem ab ulteriori examine vindicarent.

Opponit quinto loco Adversarius, quòd Regni capitulis locus esse non possit, quia concessionis privilegium habetur, atque illud est confirmationis a Rege Federico III. factæ sub anno 1365. per quod standum est testamento Comitis Matthæi I. cui per prædictam confirmationem nova quędam concessio facta est. Alterum, quòd ex adversò tandem opponitur, in eo consistit, quòd attendendum sit testamentum Comitis Guglielmi Raymundi III. prætensum scriptum sub anno 1394. necnon ejusdem codicillus conditus sub anno 1397. & a Regibus obsignatus (quasi quòd ille, reputari debeat primus Comitatùs acquisitor) & quòd attendenda etiam sit permutatio facta cum Rege Martino sub anno 1407. de Comitatu Augustæ cum Comitatu Caltanissettæ: qui omnes actùs (subjungit Adversarius) annum 1452. quo fuerunt condita allegata Regni capitula, præcessere.

Verùm de his omnibus erit suo loco agendum, ubi de forma expressa, ac de prædictis & aliis possessorum dispositionibus, prout in divisione præsentis discursùs: de forma autem præsumpta satis abundè dictum est.



DI-

DISCURSUS PRIMI
PARS SECUNDA.

De Forma expressè data a Rege Federico III. cum clausulà Juris francorum in Confirmatione permutationis de Comitatu Melitæ & Gaudisii cum Comitatu Augustæ, obtenta a Comite Matthæo I. ac de ejusdem Comitis morte vel ex testamento vel ab intestato.

SUMMARIUM.

Primus feudi quæsitor utì formà non ligatus, potest formam mutare. n. 1.

Intellige quando fuerit facta nova concessio, non autem quando fit confirmatio antiquarum concessionum. n. 2.

Verba in privilegiis apposita, de novò concedimus & donamus, *ab aliis supra inscriptis absorbentur, & censentur famulativa & accessoria confirmationis.* n. 3. & 4.

Fortiùs ubi feudum est penes Vasallum & non penes Regem. n. 5.

Forma feudi mutari non potest in præjudicium fœminarum, quæ in prima investitura admissæ sunt. n. 6.

Amplia ut non solùm a Vasallo, sed nec etiam a Rege, ubi in antiqua investitura certum genus personarum apparet comprehensum. n. 7.

Appellatione filiorum, stantibus conjecturis, veniunt descendentes. & quænam sint hæ conjecturæ? n. 8.

Conjecturæ perpetuitatis fideicommissi etiam in feudis debent esse urgentissimæ, aliàs in dubiis fideicommissum præsumitur temporale; utì magis consonum verbo filiis. n. 9.

Vocatio filiorum *tantùm, etiam in feudis insignibus, non est sufficiens conjectura perpetuitatis fideicommissi.* n. 10.

Magnates adhuc solent fideicommissum instituere usque ad certum gradum, & quòd, eo extincto, bona remaneant libera. n. 11.

Agnatio non repugnat, quin sit limitata pro certis gradibus & personis. n. 12.

Fideicommissum ultra præsumptivè vocatum non extenditur ad alios non vocatos, ne detur tacitum ex tacito. n. 13.

Verbum liberis *appositum in conditionalibus, restringitur à præcedenti dispositiva loquente de solis filiis.* n. 14.

Vocatio liberorum & substitutio restricta ad certum tempus, facit præsumere, quòd testator de filiis primi gradùs loquutus sit. n. 15.

Regula, quòd una pars testamenti declarat aliam, non procedit in dispositionibus, inter quas non

eadem militat ratio. n. 16.

Substitutio agnatorum non dicitur ordinata in tempus remotum, quoties verificabilis est post mortem filiorum primi gradùs. n. 17.

Clausula, & sic de singulis, *non extendit fideicommissum ultra gradus & personas contemplatas quando refertur ad certas personas. n. 18.*

Substitutio piæ causæ non est sufficiens conjectura perpetuitatis fideicommissi, imò nec satis est ad concludendam filiorum vocationem. n. 19.

Fideicommissa etiam antiquissima leguntur, quæ sint temporalia. n. 20.

Afferuntur conjecturæ pro temporalitate fideicommissi. a n. 21. & seq.

Testator si de liberis ex corpore procreandis fecerit mentionem, ad filios primi gradùs videtur se restrinxisse. n. 22.

Substitutio agnatorum existentium tempore mortis testatoris, ordinata post mortem filiorum, innuit, quòd præcedens vocatio facta est de filiis primi gradùs. n. 23.

Fortiùs si hujusmodi agnatorum descendentes non fuere invitati. n. 24.

Filii tantùm primi gradùs præsumuntur vocati, si sequeretur absurdum, quòd personæ minùs dilectæ essent melioris conditionis quàm magis dilectæ. n. 25.

Verba vulgarem substitutionem importantia, dispositionem restringunt ad personas tantùm expressè contemplatas. n. 26.

Clausula apposita in vocatione descendentium, ità quòd natu major præferatur minori, servatâ sexùs prærogativâ, *importat institutionem perpetuæ regularis primogenituræ. n. 27. & 28.*

Prælatio masculorum indefinita judicari debet, si est contemplata agnatio per conjecturas. n. 29.

Recensentur conjecturæ adductæ in contemplationem agnationis a n. 30. ad 42. confutantur tamen a n. 52. & seq.

Prælatio masculis concessa, non concurrente voto agnationis expresso, vel per univocas conjecturas, non est apta ad inducendum fideicommissum agnatitium, sed intelligenda est in eadem linea & gradu per regularem primogenituram. n. 43. & 44.

Fœmina de meliori linea semper vincit masculum de linea inferiori, si non reperitur expressè a testatore exclusa per indefinitam masculorum existentiam. n. 45.

In primogenituris, in quibus non est contemplata agnatio, priùs attenditur linea, nullo habito respectu ad gradum, sexum vel ætatem: ut, eà penitus non evacuatà, non fiat transitus ad alias, & fœmina tantùm excludatur per masculum ejusdem lineæ, non autem lineæ inferioris. n. 46.

Prælatio masculis concessa cum dictione semper, *intelligitur in eadem linea & gradu. n. 47.*

Prælatio in Regno a Barone concessa masculis, intelligitur quando sunt in eadem linea & gradu cum fœminis, quia istæ de jure Regni sunt ad feudorum successionem invitatæ. n. 48.

Prælatio masculorum ubi indefinita non est, imò ubi testator, ante agna-

tè, non censetur repetita quando duplex adest fideicommissum, unum indefinitam masculis concedens prælationem, & alterum limitatam. n. 95.

Clausula juris francorum posita per modum regulæ, uti caudam habens serpentinam, universam regit dispositionem, & quamcumque contrariam agnationis conjecturam ad se trahit etiam verba improprianda. n. 96.

Clausula juris francorum ubi pugnat cum agnatione, debet in propriis casibus conciliari. n. 97.

Clausula, servatâ sexûs prærogativâ, *in primogeniis regularibus apposita per modum regulæ, universum regit fideicommissum. n. 98.*

Clausulæ, quæ opponuntur primogenituræ regulari expressæ, reduci debent ad casus, in quibus possunt verificari. n. 99.

Filiis credendum est in rebus a propriis parentibus gestis. n. 100. Fortiùs si contra semetipsos quidpiam affirment. n. 101.

Successio ab intestato, ubi fuerit observata, nimiùm conducit ad præsumendam testamenti revocationem. n. 102. Præsertim in possessorio summariissimo. n. 103.

Testamentum dicitur revocatum per nudam testatoris voluntatem, juncto lapsu decennii. n. 104. & quidem non obstante clausula codicillari in eodem apposita. n. 105.

Testamentum dicitur revocatum per aliud testamentum incboatum quãvis non perfectum, adjuncto decennii cursu. n. 106.

Observantia subsequuta facit præsumere omnia requisita necessaria pro revocatione testamenti. n. 107.

Testamenti revocatio per nudam voluntatem, faciliùs præsumitur ex posthumorum præteritione in eodem testamento. n. 108.

Testamentum est nullum ob posthumorum præteritionem, non obstante clausula codicillari, quæ tantùm supplet defectũ solemnitatis. n. 109.

Clausula codicillaris non sanat testamenti nullitatem ob posthumorum præteritionem ignoranter commissam. n. 110.

Testamentum præsumitur revocatum per donationem inter vivos factam a testatore de bonis in testamento dispositis. n. 111.

Testamentum ob posthumorum prateritorum nativitatem habetur pro revocato, si testator natis posthumis in aliqua scriptura protestatur, se de bonis suis velle disponere, per verba futuram dispositionem importantia. n. 112.



Uod in allegatis Regni capitulis, generali costitutione, Regnicolis omnibus instantibus, quoad omnia feuda, de quorum concessionibus non constabat, anno 1452. sancivit Rex Alphonsus; particulari decreto quoad Comitatum Augustæ statuerat, instante solo Comite Matthæo I. anno 1365. & 1373. Rex Federicus hujus nominis Tertius. Ipse enim, cùm instrumenta de permutatione Comitatùs Melitæ & Gaudisii cum Terra & Castro Augustæ, ac de hujus erectione in Comitatum deperdita essent, ut sæpius dictum est; permuta-

ta-

tationem ipsam atq; Augustæ concessionem sub expressa clausula juris francorum ad instantiam C.Matthæi confirmavit & de novò concessit. Hæc sunt clausulæ verba. *Ità tamen, quòd dictus Matthæus & hæredes sui, prædictum Comitatum &c. in capite, a nostra Curia, sub debito militari servitio teneant & cognoscant, & exinde servire dictæ nostra Curia teneantur*, & vivant inde jure francorum, *videlicet*, quòd major natu minoribus, & masculus fœminis præferatur.

Quocirca, C. Matthæus, virtute hujusmodi privilegiorum, in quibus sub jure francorum (quoad omnes effectùs) vivendi necessitas imposita est, nostrum Augustæ Comitatum non aliter, quàm in forma stricta, & sub clausula juris francorum, & proindè absque eo quod de eo disponere valuerit, habere potuit. Et sic nedum ex forma præsumpta, ut discussum est, sed etiam ex hac forma expressa Domina Cliens legitima succeditrix extra omnem controversiam venit declaranda.

Verùm hanc assertionem Adversarius impugnat, & quamvis affirmet standum esse allegatis Regis Federici privilegiis; adhuc tamen subjungit, quòd eorum vigore C. Matthæus I. eam potuit Comitatui formam dare, quam maluit, & cùm defactò agnatos dilexerit; quod ejus servanda sit favore agnatorum suprema voluntas. Vel quia privilegia non antiqui feudi confirmationem importent, sed novi feudi concessionem: adeout † C. Matthæus I. primus etiam dici debeat Comitatus quæsitor, & proinde à forma juris francorum, quæ, in privilegiis interponitur, ligatus non remansit ex Cutell. *ad ll. Martini not. 43. f.* 542. *n.* 7. & 8. & Ill. Præs. de Gaston. *discept.* 26. *n.* 21. Vel quia si antiqui feudi confirmatio esset, C. Matthæus si non feudi, saltem formæ quæsitor dici deberet: adeout forma per eum data suos ligaverit successores, atque ab ea ipsi recedere non valeant: ut in terminis novi privilegii non obstante quòd feudum esset antiquum, & in eo expressè clausula juris francorum legeretur, quòd servari debeat dispositio facta per illud impetrantem tanquam quæsitorem formæ, decisum fuisse testatur *in causa successionis feudi Meliæ* Mastrill. *decis.* 56. *to.* 1. *per tot.*

Et quòd nova per ascripta privilegia fuerit facta, favore C.Matthæi, concessio, arguit ex eo, quòd tempore, quo C.Matthæus Regis servitio extra Regnum vacabat, Claramontani Comitatu Augustæ potiti sunt: e quorum manu cùm Rex illum detraxisset; C. Matthæo tanquàm feudum novum concessit, ut inscripta privilegiorum verba ostendunt. *Post restitutionem quidem, infra annum præsentem 3. Ind. de mandato celsitudinis nostræ factam nobili Matthæo de Montecateno, Comitatus Augustæ domino, de Castro & Terra sua Augusta prædicta, quas de manibus quorundam nostrorum fidelium, qui eas nomine & pro parte nobilis Matthæi de Claramonte Regni Siciliæ Senescalchi, defactò & per violentiam detinebant, casu superveniente detraximus.* Et inferiùs post enarrata servitia tam per C. Matthæum & prædecessores

sores præstita, *quàm per eundem Matthæum* (sic prosequitur) *successivè Domino Regi Ludovico fratri nostro, recordationis illustris, & nobis tam in Insula nostra Siciliæ, quàm extrà in Ducatibus nostris Athenarum & Neopatriæ, pacis tempore, & arcta necessitate guerrarum, strenuè, fideliter & devotè collata (salute propriâ ad nostri exaltationem nominis sæpè expositâ periculis) & quæ etiam nostro culmini præstat ad præsens, & in anteà præstare poterit, duce Domino, gratiora*. Tandem concludit Princeps: *Comitatum Augustæ &c. de benignitate regia acceptamus, ratificamus & pleno favore regio confirmamus, ac etiam de mera liberalitate, speciali gratiâ & ex certa nostra scientia de novò concedimus & donamus.*

Corruit tamen objectio, quia utrumque medium, quo ipsa sustineri prætenditur, non justificatur. Postremum quidem in eo fundatum, quod, quia Vasallus novum privilegium impetravit, dici debeat formæ quæsitor, & valeat ejus dispositio, cessat ex eo, quòd non agitur de feudo informi, licèt antiquo, ut agebatur in casu relato per Mastrillum, sed de feudo antiquo jam informato per clausulam juris francorum: ut in novis privilegiis obtentis enunciatur, atque relatio fit sequutæ masculorum & fœminarum succesſionis, & quod de tenore antiquæ concesſionis Rex certus erat, ac ejus Curiæ satis constabat, sicuti de prædicta succesſione, quo casu Vasallus novum impetrans privilegium non dicitur formæ quæsitor, nec valet ad sui libitum de feudò disponere: ut pro feudo Arinellæ, de cujus antiqua concesſione constabat, & quod habebat suam formam, refert decisum in eadem *decis. 56.* recitatus Mastrillus, ad differentiam dicti feudi Meliæ, quod erat informe, & de ejus concesſione non constabat.

Cessabit pariter † alterum objectionis medium, si universus privilegiorum tenor diligenter expendatur. In iis enim duo prorsus distincti actus continentur: unus quidem enunciativus restitutionis Comitatùs, Matthæo, de Regis mandato, factæ per quosdam fideles, qui nomine Matthæi de Claramonte illum per violentiam detinebant: alius verò confirmationis antiquorum privilegiorum de permutatione insularum Melitæ & Gaudisii cum Comitatu Augustæ & de hujusmodi concesſione. Si ergo nec per unum neque per alium Rex novam facere concesſionem intellexit, neque Vasallus eam petere, vel obtinere voluit, quinimo & Rex & Vasallus antiquas concesſiones confirmatas prætendit; nulli dubium est, quin concesſio, non de novo, sed de antiquo feudo facta dici debeat.

Novam itaque concesſionem per priorem actum neque Rex facere nec C. Matthæus recipere intellexit: quoniam in præinserto privilegio verba expresſa leguntur, quòd Rex non aliter illam C. Matthæo facere voluit, nisi tanquam Comitatùs Domino. Dicitur enim in hujusmodi privilegio: *Post restitutionem factam &*

nobili Matthæo de Montecateno Comitatùs Augustæ Domino &c. Et subsequenter: *De Castro & Terra* sua *Augustæ prædicta*. Ac demum: *Et eidem Matthæo de Montecateno tanquam* vero rei domino, *fecimus resignare*.

Quinimò C. Matthæus, quòd non ex nova concessione, sed ex successione C. Guglielmi Raymundi sui genitoris Comitatum habuit, his verbis protestatus est. *Cùmque post dicti Comitis Guglielmi obitum, præfatus nobilis Matthæus de Montecateno filius & hæres ejus, suæ hæreditati se immiscens, sibi succedere voluerit & velit in omnibus bonis suis, & præsertim in Comitatu dictæ Terræ Augustæ &c.* Rex autem dicens, quòd Vasallus verus feudi Dominus erat, ac quòd feudum tanquam proprium ipsius Vasalli eidem fecit restituere, & Vasallus affirmans, quòd in feudo ob mortem proprii parentis, olim illius possessoris, successit; ipse Rex & Vasallus apertè docent, quòd non quidem nova feudi concessio facta, sed quòd antiquum feudum fuerit restitutum.

Nec nova in alio actu concessio facta est: quoniam post factam enunciationem restituti jam Comitatus jure antiqui feudi, Comes Matthæus humillimas Regi preces porrexit: ut, quia omnia instrumenta de permutatione insularum Melitæ & Gaudisii cum Comitatu Augustæ & de successione avi & patris sui, ac registra Curiæ fuere casualiter belli occasione deperdita & devastata; permutationem Terræ Augustæ, regiasque confirmationes posteà subsequutas acceptare, ratificare & confirmare dignaretur.

Verba privilegii hæc sunt. *Idem Matthæus coram celsitudine nostra præsens, suà nobis expositione narravit: quòd olim Serenissimus Princeps Dominus Rex Fridericus quondam nobili Guglielmo Raymundo de Montecateno nostro consanguineo, & ejus avo paterno & suis hæredibus & successoribus in perpetuùm, in excambium Comitatùs Insularum Meliveti & Gaudisii, quas ipse habuerat a nobili Luchina ejus uxore & avia dicti Matthæi (ad quam dictus Comitatus Meliveti & Gaudisii, ex successione progenitorum suorum dictarum Insularum Comitatùs de jure spectabat) dedit, concessit & tradidit ac assignari fecit, inter alia, dictam Terram Augustæ &c. ut in quibusdam privilegiis dicti avi nostri, & aliis documentis tunc de dicta permutatione & concessione confectis, hæc & alia pleniùs & latiùs asseruit, contineri &c.*

Et majestati nostræ humiliter supplicavit, ut, dictorum privilegiorum & instrumentorum non obstante defectu, prædictam permutationem & concessionem dictæ Terræ Augustæ, dictasque regias confirmationes postea subsequutas, acceptare, ratificare, & sibi suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, prædictum Comitatum Augustæ de novò concedere dignaremur.

Cùm autem Rex de veritate narratorum nedum non dubitaret, quinimò certus esset, & ejus Curiæ de omnibus prædictis satis constaret; sic in privilegio pro-

prosequutus est: *Qua supplicatione benignè admissà, quia dicta Terra Augusta & Castrum ipsius, Castrum Altavilla & Casale Melilli cum omnibus juribus & pertinentiis eorum debitis & consuetis, per dictum quondam Dominum avum nostrum præfato Guglielmo Raymundo & suis heredibus collata ac concessa fuerint, Excellentia nostra non dubitat, imò reddimur indè certi: ac de possessione & tenuta bonorum ipsorum per dictum Guglielmum Raymundum, & successivè per dictum Comitem ejus filium & heredem, patrem supplicantis ipsius, usque ad tempus eorum mortis, nostra Curia satis constat, in cujus Comitis persona bona ipsa constituta fuerunt in titulum Comitatus.* Et subsequenter hujusmodi Comitatum in personam ejusdem C. Matthei, non obstante quòd privilegia de præmissis non apparerent, ratificat atq; his verbis confirmat. *Considerantes fidem puram & devotionem sinceram, quam idem nobilis Matthaus de Montecateno, more progenitorum suorum, erga majestatem nostram, prompto zelo, gessit & gerit, nec minùs grandia, notabilia & accepta servitia tam per dictos avum & patrem suum & alios majores, ejus gloriosis Principibus progenitoribus nostris &c. non obstante, quòd privilegia de prædictis non appareant, præfatum Comitatū, Castrum & Terram Augusta &c. de benignitate regia acceptamus, ratificamus & pleno favore regio confirmamus.* Nullo igitur pacto dici potest nova Regis concessio, sed pura quidem antiqui feudi confirmatio: verba enim prædicta id evidenter ostendunt, atque adeò plana assertio est & literalis; ut de ea nullus unquam dubitaverit, quin etiam affirmant *Doctores omnes infra citandi*.

Ex adversò tamen replicatur, quòd in secundo actu facta etiam est confirmatio ex servitiis a Comite Matthæo præstitis (eadem servitia supra recensuimus) & proinde quòd nova concessio dici debeat, ut expresse concluditur in privilegio: *Ac etiam de mera liberalitate, speciali gratià & ex certa nostra scientia de novò concedimus & donamus*.

Sed frustra est replicatio, quoniam ad obtinendam privilegiorum confirmationem, præsertim ob eorundem amissionem, necessaria erat servitiorum adnumeratio: unde, ipsis attentis, concessa est, non autem ad novam concessionem indicandam: eaque verba *de novò concedimus & donamus*, † ad uberiorem cautelam adnotata videntur, & ab aliis supra inscriptis absorbentur & recta sunt, neque apposita sunt quia de per se stare deberent, sed famulativè ad confirmationem. Afflict. *de feud. lib.2. tit. de Vasal. decrep. ętat. n.9. & 10.* Rosenthal. *de feud. cap. 2. tit. de feud. divis. conclus.* 19. Cassanat. *cons. 43. n. 91. vers. & confirmatur.* Mastrill. *de magistr. lib.3. cap. 10. n. 21. ad 24. in allegat. ibi impressis*. Luca *de feudis disc. 5. n. 23.* Corsett. *cons. 23. n. 15. & seq.* & præsertim *n. 21. & 22. ubi add.* quos refert & sequitur Ill. de Drago *in causa Hyeracis §. 4. n. 368. ad 371. & §.6. n.493.* 3

Atque idem in nostro themate 4 † important verba novæ concessionis, ac confirmationis, postrema enim sunt priorum expressiva, & eorundem pura accessoria, & ad exuberantiam adnotata. Gregor. *de concess. feud. p. 5. quaest. 2. n. 4.* Cassanat. *cit. cons. 43. eodem n. 91. vers. & confirmatur*. Mastrill. *de indulto cap. 20. n. 36.*

Et prædicta omnia majorem recipiunt vim ex peculiari circumstantia, quæ adest in casu no-
5 stro, nempe † quòd feudum penes Regem non extitit, sed penes Comitem Matthæum, quòdque hic a semetipso confirmationem desideravit. Isto autem casu nullo modo etiam per adjectionem novæ donationis, potest feudum dici novo jure concessum. Galeota *resp. fisc. 12. n. 331. 332. & 333.* Et demum adeò vera sunt, quæ supra narrantur; ut, cùm nemo scire magis potuerit, quàm Rex concedens & Vasallus impetrans, quidnam concesserit, & quidnam respectivè impetraverit; ambo per actum solemnem declarent, quòd antiqua permutatio & Augustæ concessio fuerit confirmata. Etenim Comes Matthæus anno 1373. privilegii de anno 1365. confirmationem desiderans, eam defactò ejus inserto tenore obtinuit, & recitatum privilegium anni 1365. antiquorum confirmatorium per hæc verba denominatum est. *Et Majestati nostræ humiliter supplicavit, ut permutationem, concessionem, traditionem, assignationem, & resignationem ac* confirmationem *exinde subsequutas, factas per Majestatem nostram dicto Matthæo de Montecateno pro se, haeredibus & successoribus suis in perpetuùm, juxta prædicti privilegii continentiam & tenorem, acceptare, ratificare, confirmare de benignitate regia dignaremur.*

Iterum verò replicat Adversarius, quòd clausula juris francorum in supradictis privilegiis adjecta, etsi per omnes ejus effectus explicata, secundùm antiqua tempora intelligenda est, nempe, quòd prælatio masculis indefinitè concessa sit.

Satis tamen hujusmodi assertioni, tanquam contra communem Nostratum omnium opinionem, superius responsum est. Et allegatis adjungimus, quòd si vera assertio esset, absurdum illud resultaret, quòd ità etiam intelligenda esset clausula juris francorum, sub qua generalis confirmatio omnium concessionum, de quibus privilegia non apparebant, per sæpiùs relata Regni capitula facta est. Quòd satis superque menti omnium majorum nostrorum & siculæ Jurisprudentiæ adversaretur, atque eâ præsertim tempestate, qua & specialis & generalis confirmatio facta fuit.

Jam ergo quoniam ex iis, quæ hucusque dicta sunt, satis compertum est, quòd præsens successio per clausulam juris francorum (quoad omnes effectùs) regulari debeat, vel ex forma præsumpta ut in prima parte probatum est, vel a forma expressa, quæ in allegatis Regis Federici privilegiis con-

continetur; opus quidem non esset, præclarissimi Judices, in contentionem adducere atque in examen revocare, an agnatis faveret dispositio Comitis Matthæi Primi ab eo manifestata per testamentum conditum anno 1359. sive an ipse decessisset ab intestato? ut ipsum ab intestato decessisse planum & indubitabile est.

6 Quippe cùm † in arbitrio Vasalli non sit, formam a Rege irrevocabiliter datam (ut esset in nostra thesi per ea, quæ superiùs dicta sunt) in præjudicium contemplatorum in antiqua investitura, modo aliquo rumpere vel alterare; quidquid ille, nec formæ nec Comitatùs quæsitor demandavit, attendendum non est, siquidem descendentes non ab eo feudum recipiunt, sed a Rege: ut, in terminis exclusionis fœminarum, quæ fuissent in prima investitura admissæ, animadvertit Cammarat. *resp.* 4. *artic.* 4. *a n.* 58. *tom.* 3. *ubi innumeri.*

7 Et quòd magis, † neque id procedere posset, si Rex assensum novæ formæ præbuisset: quippe neque Rex de ordinaria vel, quasi dicam, absoluta potestate, antiquam potest mutare formam, in qua certum genus personarum comprehensum est, & novam introducere illarum exclusivam, vel aliarum admissivam: ità enim jus Tertii præjudicaretur. Quod quidem Princeps facere non solet, & indubio præsumitur noluisse, vel fuisse circumventum. Giurba *de feud. prælud.* 5. *n.*63. Luca *de feud. disc.* 5. *n.* 3.

Quia tamen per ea transire, quæ Adversario placent, mihi quidem est perjucundum, cùm assumpto summoperè prosit ea disquirere, quæ clariorem reddant Dominæ Clientis justitiam; hinc etiam, si per possibile potuisset Comes Matthæus de Comitatùs successione ad sui libitum disponere (ut non potuisse, jam satis probatum est) non per hoc nostra juris francorum clausula, etiam in sua dispositione, caput non extolleret.

Postquam igitur Comes Matthæus I. Comitem Guglielmum Raymundum III. suum primogenitum, hæredem sibi scripsit universalem (præterquam in Comitatu Adernionis, in quo posthumum instituit) fideicommissum per hæc verba ordinavit. *Item si contigerit, eundem Dominum Guglielmum Raymundum mori, superstitibus sibi filio vel filià, filiis vel filiabus ex legitimo matrimonio procreatis; substituit sibi primogenitum ex eo descendentem: ità quòd natu major præferatur minori, servatà sexus prærogativà. Et si masculus ex eo non supervixerit, substituit sibi dictum posthumum: &, si non supervixerit, masculum ex eo procreatum: &, si non vixerit, filiam procreatam ex dicto Guglielmo Raymundo, &, ejus defectu, dictorum posthumi vel posthumæ. Ita tamen, quòd filius, qui ex dicta filia procreabitur, vocetur de Montecateno, & deferat arma ipsius sine aliqua mixtura & continuo aliorum armorum, & sic de singulis: aliàs quòd cadant à dicta hæreditate.*

Item

Item si contingat, dictum Dominum Guglielmum Raymundum posthumum vel posthumam mori, liberis legitimis non relictis; substituit sibi magnificum Dominum Rogerium de Montecateno, filium quondam magnifici Domini Petri de Montecateno, Serenissimi Domini Regis Aragonum Admirati: &, si non supervixerit, substituit sibi magnificum Dominum Gastonum de Montecateno filium dicti quondam Domini Petri: &, si non supervixerit, substituit sibi magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno Dominum Aytonæ & Michinense.

Item voluit, quòd, si contigerit dictum Dominum Guglielmum Raymundum filium suum mori in ætate perfecta, filio vel filia legitimis ex eo minimè superstite; quòd in eo casu dictus hæres, de dictis bonis, de unceis auri mille possis testari, & facere velle suum.

Ex qua quidem dispositione, fœminas fuisse ad successionem admissas, evidentissimum est, tam si temporale, ut defactò est, quàm si perpetuum, ut Adversarius insistit, fideicommissum judicetur. Si enim temporale judicetur, quia videlicet includit filios dumtaxat primi gradùs Comitis Guglielmi primò instituti (cujusmodi fuit C. Matthæus hujus nominis II.) & quia C. Matthæus II. (apud quem Comitatus effectus est liber) mandavit, quòd per expressam juris francorum clausulam juxta omnes effectus declaratam, proprii descendentes succederent, ut infrà demonstrabitur; de successione Dominæ Clientis filiæ ultimi possessoris, in concursu cum Domino Duce Sancti Joannis agnato remotiore non erit dubitandum. Si verò fideicommissum perpetuum videatur: & licèt in ingressu successionis, nempe in filiis primi gradùs ipsius testatoris, atque ad radicandam in masculis successionem, filia primogeniti primò instituti, patruo, nempe filio testatoris secundogenito, postposita fuerit; nihilominus in progressu successionis, in quo versamur, successionem, per regularem primogenituram metiendam esse, in dubium revocari non potest.

Fideicommissum itaque temporale est: si enim diligenter verba considerentur, ex quibus perpetuitas prætenditur; ex iisdem verbis temporalitas evidentissimè resultabit, ut, majoris claritatis gratiâ, verba hæc substitutionis repetimus. *Si contigerit, eundem Dominum Guglielmum Raymundum mori, superstitibus sibi filio vel filia, filiis vel filiabus ex legitimo matrimonio procreatis; substituit sibi primogenitum ab eo descendentem: ità quòd major natu præferatur minori, servatâ sexus prærogativâ: &, si masculus ex eo non superstiterit, substituit sibi dictum posthumum: &, si non supervixerit, filiam procreatam ex dicto Guglielmo Raymundo, & ejus defectu, dictorum posthumi vel posthumæ.*

Ascripta igitur verba manifestant, quòd fideicommissum a Comite Matthæo non fuit ordinatum, nisi favore filiorum primi gradùs tantùm Comitis Guglielmi

mi primò instituti, &, eo absque filiis masculis decedente, favore posthumi ab ipso testatore nascituri, vel favore filii masculi ejusdem posthumi, & demum favore filiæ ejusdem Comitis Guglielmi, aut posthumi vel posthumæ. Unde, natis jam ex Comite Guglielmo filiis masculis, atque ipso Comite Guglielmo cum filiis masculis defuncto, nihil ampliùs de ulteriori fideicommisso quærendum, cùm nonnisi ejus nepotes vocati videantur, & eorum primogenitus: ut fuit C. Matthæus II. penes quem, ut dictum est, libera remanere bona debuerant.

Sed pro inducenda perpetuitate fideicommissi favore omnium descendentium primi instituti, fuit contra prædicta ab Adversario vehementer oppositum, & ab Ill. Domino præceptore meo Præside de Nigrì excitatum in motivis, quòd, † etsì regulariter appellatione filiorum non veniant descendentes; veniant tamen accedentibus conjecturis, quas esse sequentes, allegatum est.

8 Prima nempe, quia versamur in materia feudali, & agitur de insigni Comitatu.

Secunda, quòd agitur de fideicommisso ordinato per virum nobilissimum, atque inter Regni proceres & magnates præclarissimum.

Tertia, quia fuit a testatore agnationis conservatio desiderata.

Quarta, quia filio masculo (qui superiùs vocatus non erat) nascituro ex filia primogenita ejusdem Comitis Guglielmi fuit injunctum onus assumendi cognomen & arma.

Quinta, quia testator in casu mortis Comitis Guglielmi aliorumque institutorum sine filiis, usus est verbo *liberis*, quod, tanquam in largiori significato, descendentium, qui subsequerentur, videtur inclusivum.

Sexta, quia testator in substitutione facta post mortem sine filiis posthumi in Aderniono instituti, usus etiam est verbo *liberis*. Valet enim argumentum, quòd testator idem voluit in secunda testamenti parte, quod in prima desideravit, & præsertim, quia in Comitatu Augustæ tanquam insigniori, & qui a testatore possidebatur, major urgebat ratio perpetuæ conservationis, quàm in Comitatu Adernionis tanquam minùs insigni, & qui a testatore non defactò, sed in sola spe possidebatur, ut ipse in eodem testamento affirmat.

Septima, quia substitutiones habentur, collatæ in remotissimum tempus.

Octava, quia Comes Matthæus testator, postquam omnes perfecit limitatas præcedentes substitutiones, verba illa subjunxit, *& sic de singulis*.

Nona, quia testator in defectu omnium personarum, quas ad successionem admisit, substituit causam piam.

Et tandem decima, quia fideicommissum videtur antiquissimum, & quidem conditum anno 1359. quo tempore fideicommis-

sa,

sa, quamvis perpetua, paucis absolvebantur.

Nihilominus prædicta omnia, in filiis primi gradûs Comitis Guglielmi primò instituti, & proinde in Comite Matthæo II. ejus primogenito, fideicommissi libertatem infringere non possunt. Antequam tamen recensitæ confutentur conjecturæ, operæ pretium
9 est præmittere, quòd † illæ, quæ necessariæ a Doctoribus ad inducendam fideicommissi perpetuitatem, etiam in feudis, sufficientes conjecturæ reputantur, vehementissimæ esse debeant, & quæ contrariis comparatæ, ità fiant superiores illis, quæ ex adversò proponuntur; ut mentem judicis perstringant ad firmiter credendum, quòd testator voluerit perpetuum fideicommissum instituere: aliàs enim in dubio, semper venit judicandum pro temporalitate, quæ verbo *filiis* suapte naturâ accommodatur. Cutell. *decis.* 40. *n.* 60. *&* 61. *tom.* 2. Luca *de fideic. disc.* 70. *n.* 6.

Quo tanquam constanti præhabito: non obstat prima conjectura, quòd in feudis versemur, & quòd proinde, propter subjectam materiam, quæ perpetua est, sub nomine filiorum nedum veniant filii primi gradûs, sed etiam omnes
10 descendentes. Sola enim † filiorum vocatio etiam in feudis & quidem insignibus non sufficit, si aliæ non accedant fortissimæ conjecturæ, quæ id suadeant, & illæ non habeantur, quæ restrictionem convincant: ut est in casu nostro, in quo sola hæc conjectura habetur subjectæ materiæ feudalis, & illæ etiam adsunt, quæ temporalitatem concludunt. Cutell. *cit. decis.* 40. *n.* 65. *vers. non obstat.*

Non obstat secunda conjectura, quòd fideicommissum a viro nobilissimo factum sit. quasi quòd hujusmodi viri suorum descendentium perpetuitati prospicere soleant. Novum enim † non est (& 11
infra referetur) quòd illustres personæ primogenituras usq; ad certum gradum & inter certas & determinatas personas instituere soleant: unde bona, ipsis existentibus, fideicommisso subjecta esse debeant & subsequenter in earum defectu libera remanere, ut ultrà citatos, advertit Cyriac. *controv.* 281. *n.* 60. *& seq. tom.* 2.

Tertia conjectura ea est, quòd scilicet a nostro testatore fuit contemplata agnatio, quæ videtur de sui natura perpetuitatem præseferre. Sed ea non obstat, quia agnatio non fuit considerata, ut suo loco acriter propugnabitur. Sicuti etiam † cùm nulla 12
prorsus in jure consurgat repugnantia, quin pro certo personarum genere & pro certis gradibus, agnatio aliunde odiosissima restringatur; dicendum est, quòd, quatenus agnatio fuisset considerata, limitatè & in personis vocatis fuerit dumtaxat considerata, ut infra etiam demonstrabitur, non autem in universa dispositione. Videndus est Actolin. *resol.* 73. *n.* 36. *resol.* 83. *n.* 7. 8. 9. *& resol.* 90. *n.* 39. *&* 40. in quibus quasi innumeri citantur.

Quarta conjectura in eo consistit,

ſtit, quòd maſculus, qui procrearetur ex filia Guglielmi primò inſtituti, ad ſucceſſionem admitti videatur. *Ità tamen* (ſunt verba teſtatoris) *quòd filius, qui ex dicta filia procreabitur, vocetur de Montecateno, & deferat arma ipſius*. quaſi quòd, ubi filios teſtator nominavit, eorum quoque deſcendentes ſubſtituere intellexit. Hæc autem conjectura nihil obſtat: quidquid enim ſit, an filius prædictus abſque eo, quòd ſuperiùs modo aliquo fuerit vocatus, cenſeatur tamen ad ſucceſſionem admiſſus; non per hoc cenſeri debet, cæteros quoque aliorum filiorum filios fuiſſe vocatos. Quo-
13 niam † tacitum ex tacito reſultare non poteſt, nec poteſt fideicommiſſum ultrà præſumptivè vocatum ad alios non vocatos extendi. Cutell. *cit. deciſ.* 40. *artic.*2. *n.*11. *&* 23. *tom.*2. Caſſanat. *conſ.* 4. *n.* 146. *&* 147. Ramon. *conſ.* 100. *a n.* 279. *& ſeq.* Rota ad Lucam *de fideicom. lib.*10. *deciſ.* 13. *n.* 6. *&* 7. *tom.* 2.

Quinta conjectuta in hoc conſiſtit, quòd teſtator in caſu mortis primi inſtituti, atque in vocatione aliorum ſubſtitutorum & collateralium, uſus eſt verbo *liberis*, quod ulteriores deſcendentes complectitur. *Item*, (ſunt verba teſtatoris) *ſi contingat, dictum Dominum Guglielmum Raymundum poſthumum vel poſthumam mori, liberis legitimis non relictis, ſubſtituit ſibi magnificum Dominum Rogerium de Montecateno &c.*

Hujuſmodi autem conjectura
14 non obſtat, hoc enim in † conditionalibus effecit teſtator, nempe in defectu filiorum ejuſdem Comitis Guglielmi: in quibus, verbum prædictum *liberis*, venit ſecundùm antecedentem diſpoſitivam reſtringendum, quæ quidem de filiis tantùm loquebatur. Actolin. *reſol.* 90. *n.*78. Altograd. *jun. controv.* 69. *n.* 36. *&* 37. *to.*1. Andreol. *controv.* 289. *n.* 19. *Et communiter omnes*. Quinimo liberorum vocatio a teſtatore ordinata in caſu mortis Comitis Guglielmi & aliorum, ſupponit, prædicto mortis tempore, illorum exiſtentiam: & collateralium ſubſtitutio nominatim facta, ſupponit etiam collateralium exiſtentiam poſt mortem liberorum. Quibus in caſibus, † cùm ſubſtitutio- 15
nes ad certum tempus reſtrictæ videantur; nunquam poteſt adæquatè præſumi, quòd teſtator de aliis potiùs, quàm de filiis primi gradùs loquutus fuerit. Benè Actolin. *reſolut.* 90. *n.* 76. *&* 77. *Et nonnulli penès eum*.

Sexta conjectura eſt, quòd poſthumo in Aderniono inſtituto *ſi ſine filiis deceſſerit*, fuit ſubſtitutus Comes Guglielmus primogenitus, & in ea ſubſtitutione teſtator uſus eſt verbo *liberis*. Dictum eſt enim: *Et caſu, quo dictus poſthumus ad lucem non pervenerit, vel mori eum contigerit in minori ætate vel quandocumque, liberis legitimis maſculis non procreatis; dicta hæreditas perveniat ad dictum Dominum magnificum Guglielmum Raymundum*.

Præſcindendo autem ab eo, quòd teſtatot in ſucceſſione Co-

mitatùs Adernionis,de filiis etiam primi gradùs loquutus fuit: cùm (ut dictum est) testator ipse inferiùs, nempè in successione Comitatùs Augustæ, se de filiis primi gradùs loquutum fuisse declara-
16 verit; argumentum, quòd † una pars testamenti declaret alteram, non procedit in hujusmodi dispositionibus, inter quas diversitatis ratio habetur. Siquidem verbum *liberis*, in successione Comitatùs Adernionis, nullâ aliâ circumstantiâ ornatum videtur: at in successione Comitatùs Augustæ in conditionalibus prolatum,cum superioribus verbis, nempe *filio vel filia*, *filiis vel filiabus* consociatum inspicitur.

Non obstat septima conjectura, quòd scilicet substitutiones in nostro fideicommisso in tempus remotissimum collatæ videantur. Quoniam ex universo ipsius contextu, nedum hoc non resultat; imò etiam contrarium manifestè
17 probatur. Nam † etsi demum favore agnatorum videantur factæ substitutiones; non sunt tamen in tempus remotum verificabiles, sed in casu mortis Comitis Guglielmi & aliorum vocatorum, agnatis ipsis superviventibus, & proinde infra brevissimum tempus. Et hac conjectura cessante, nempe successionis in tempus remotissimum, planè non alii, quàm filii primi gradus censentur vocati. Cassanat. *cons.* 34. *per tot. præsertim a n.* 5. *& cons.* 58. *per tot.*

Nihil refert octava conjectura, nempe quòd fideicommissum nedum in filiis primi gradùs, verùm etiam in omnibus descendentibus videatur ordinatum, ex eo videlicet, quia demum testator subjunxit verba illa, *& sic de singulis*. Ea enim † non ad finem ad 18
quem allegantur, fuerunt apposita; sed certè ad hoc dumtaxat denotandum, quòd tam filius,qui ex filia Comitis Guglielmi procrearetur, cognomen & arma de Montecateno teneretur assumere, quàm alter masculus, qui ex aliis fœminis descenderet, quas superiùs ad successionem admiserat: ut erant vel alii filii nascituri ex primogenita aut ex aliis filiabus ejusdem Comitis Guglielmi, vel posthumæ, vel istius filiæ. Quapropter verba ipsa, fideicommissum ad alios gradus præter supradictos non extendunt; ut fuit ab ipsomet testatore statim declaratum, ubi dixit immediatè, *aliàs quòd cadant ab hæreditate*. Quod evidenter ostendit, testatorem loquutum fuisse de personis solùm antea vocatis, in quibus præceptum cadere poterat, & ad eas se restrinxisse. Barbos. *tract. var. appel.* 130. *n.* 8. Palma *alleg.* 19. *n.* 17. *&* 23.

Neque unquam adversatur nona conjectura, quòd scilicet pia causa fuerit substituta. Præscindendo enim, quòd causa pia in casu nostro verè substituta non fuit, quoniam creati sunt fideicommissarii ad bona testatoris vendenda, & ad distribuendum piis operibus eorum pretium: atque etiam præscindendo, quòd † in casu *cons.* Oldradi 21. pia 19
etiam causa substituta videbatur, & ni-

& nihilominus, quia aliæ conjecturæ non concurrebant, filii primi gradus pro vocatis habiti non fuerunt, quod etiam in feudis locum habebit *ex doctrina* Curellii *superiùs allegata* : memorati fideicommissarii nominatim electi sunt, nempe nobilis Dominus Lancea de Aradòna, miles Petrus de Cannellis, & Notarius Nicolaus de Judice testatoris socii & familiares, nullis creatis post eorum mortem successoribus. Proindeq; quia eorum muneris exercitium, ipsis viventibus, debebat verificari; per hujusmodi fideicommissariorum electionem, potiùs fideicommissi temporalitas quàm perpetuitas resultabit.

Et tandem nihil obstat ultima conjectura, nempe, quòd antiquitus testatores, etiam in fideicommissis perpetuis instituendis, paucissimis sese expediebant. Quam-
20 vis enim † id negari minimè valeat; non per hoc etiam antiquitas temporalia fideicommissa nobis non reliquit. Idcirco, si ex impugnatis conjecturis perpetuitas non resultat; haud equidem ex eo resultabit, quòd fideicommissum antiquissimum sit, ut patet consideranti, & quemadmodum per examen temporalitatis antiquorum fideicommissorum affirmant *DD. omnes supra citati.*

Haud tamen ascriptis tantùm conjecturis, etsì evidentissimè rejectis, examinatus perpetuitatis punctus concludi potest; sed ipsæ debent, ut dictum est, contrariis
21 comparari. Si igitur † utrisque collibratis perpetuitas non resultabit, de temporalitate ampliùs dubitari non poterit.

Prima itaque, quæ ad intentum se offert examinanda conjectura, ea est, quòd † noster testa- 22
tor, ubi de filiis Comitis Guglielmi loquutus est, ad illos se restrinxit, qui ex legitimo matrimonio a se procrearentur. Is enim, qui ad filios de corpore suscipiendos se refert, ad filios primi gradùs substitutionem restringere videtur, quoniam hoc puram indicat filiorum primi gradùs personalitatem : talisque potentiæ est hujusmodi circumstantia; ut eandem operetur restrictionem, etiamsì testator non verbo *filiis*, sed in ampliori significato, verbo *liberis* usus fuerit. Soccin. *in l. gallus §. instituens n. 5. ff. de lib. & posth.* Guidopapa *decis. 353. per tot.* Luca *de fideicom. disc. 72. n. 5.*

Secunda conjectura est, quòd
† post mortem filiorum Comitis 23
Guglielmi & aliorum institutorum, supponit testator existentiam suorum collateralium de Montecateno. Si enim testator (ut supra in responsionibus ad quintam contrariam conjecturam dictum est) sub nomine filiorum, omnes alios descendentes includere intellexisset; agnatos, quos vocavit post mortem suorum filiorum sine filiis, superviventes non supposuisset: cùm enim testatoris descendentes potuissent durare per plura secula, ut defactò durant, & proinde agnati tempore extinctionis omnium institutorum verisimiliter supervivere non debuissent, frustranea esset eo-

eorum substitutio. At quia testator, hoc non obstante, agnatos post suorum filiorum mortem ad successionem admisit, consequens ergo, quòd loquutus sit de filiis primi gradùs, quorum deficientiam agnatis superviventibus cogitavit. Menoch. *cons.* 328. *n.* 17. Rota ad Lucam *de fideic. decis.* 2. *n.* 15. *lib.* 10. *tom.* 3. *& loco mox citando.*

Tertia conjectura ex eo desu-
24 mitur, quòd † testator in defectu supradictorum collateralium, (quos post mortem primò institutorum ut supra dictum fuit, ad successionem admisit) eorum filios & descendentes non vocavit. Si enim testator sub nomine filiorum cæteros descendentes ad successionem admittere voluisset, utique eos vocasset. Siquidem ubi aliquis ex filiis vel descendentibus institutorum sine sobole decessisset; si non agnati, quorum obitus jam sequutus esset, saltem illorum filii in humanis reperirentur. Quod si ità gestum non fuit, id semper resultat, quòd non de aliis, quàm de filiis primi gradùs testator loquutus sit, in quibus tantùm poterat agnatorum superexistentia verificari. Menoch. *loco cit. n.* 17. Rota ad Lucam *decis.* 64. *n.* 24. 25. *&* 26. *de fideic. tom.* 3.

Quarta conjectura resultat ex
25 eo, quòd, † si daretur sub nomine filiorum, omnium descendentium inclusio; personæ minùs dilectæ, ut sunt collaterales ultimo loco vocati, melioris essent conditionis, quàm filii Comitis Guglielmi primò instituti magis dilecti: equidem illi ad restitutionem favore suorum descendentium non tenerentur, isti verò ad eam essent astricti. Ad quod vitandum, filios primi gradùs tantùm esse vocatos, concludit Cassanat. *cit. cons.* 4. *n.* 248. *&* Ramon. *cit. cons.* 100. *a n.* 169. Urceol. *consult.* 56. *n.* 27. *&* 28. *ubi alii.*

Et quinta demum conjectura ex eo concluditur, quòd † testa- 26
tor in omnibus substitutionibus usus est verbis vulgarem importantibus: dixit enim in earum qualibet, *si vixerit, si superstiterit, si supervixerit*. Quapropter fideicommissum restringi ad personas tantùm expressè contemplatas, evidentissimum est, Rota *penès* Dunozet. *decis.* 648. *n.* 18. *tom.* 1. Unde meritò concludendum, quòd C. Matthæi fideicommissum, temporale, non autem perpetuum veniat judicandum.

Si autem C. Matthæi fideicommissum (ut ex adversò prætenditur) perpetuum videretur, & quidem ex vocatione omnium descendentium C. Guglielmi primò instituti, quasi quòd in ejus filiorum denominatione comprehenderentur; & Domina Cliens semper venit ad successionem admit-
tenda: siquidem † C. Matthæus 27
testator, inter omnes Comitis Guglielmi descendentes, cujusmodi est Domina Cliens & Dominus Dux Sancti Joannis, perpetuam regularem primogenituram in hæc verba ordinavit. *Item si contigerit, eundem Dominum Guglielmum mori, superstitibus sibi filio vel filiâ,*

filiâ, filiis vel filiabus ex legitimo matrimonio procreatis; substituit sibi primogenitum ex eo descendentem: ità quòd natu major præferatur minori, servatâ sexus prærogativâ.

28 Verba autem † prædicta, perpetuam inducere regularem primogenituram, nemo unquam negabit. Quippe quòd fideicommissum perpetuum sit, probare conatus est Adversarius, ubi dixit, (& nos in ejus gratiam confirmavimus) *quòd sub nomine filiorum & filiarum omnes veniebant descendentes*. Et quòd fideicommissum sit regularis primogenituræ, verba ipsa demonstrant: siquidem per ea mandavit testator, quòd omnia regularis primogenituræ requisita servanda essent, ubi voluit, lineam, gradum, sexum & ætatem esse attendenda: ut id tanquam pro regula firmant Thesaur. *lib. 2. quæst. 12. quasi per totam*. Fontanel. *decis. 34. n. 3. & seq.* Torre *de majorat. p. 1. cap. 5. §. 3.* Rota Rom. *post eundem* Torre *decis. 28. n. 2. 3. & 4. Et communiter omnes.*

Sed adversùs irrefragabilem hanc conclusionem, opponit Adversarius (& dicebat etiam ad veritatem eruendam Ill. Præses

29 de Drago) quòd † prælatio masculis concessa, indefinita judicari debet, & fœminæ nonnisi in defectu masculorum etiam remotiorum ad successionem valent admitti, semelac ex verbis subsequentibus agnationis contemplatio consurgit: unde eo casu fideicommissum quasi in vim declarationis præcedentis ordinatæ primogenituræ, durante lineâ effectivâ testatoris, agnatitium judicandum est, proindeque fœminæ, omnibus penitus extinctis masculis de linea prædicta, possunt prætendere successionem.

Et prædictam agnationis contemplationem resultare, intendit Adversarius, ex infrascriptis conjecturis. Quarum prima est quòd, † fideicommissum fuit a viro no- 30
bilissimo institutum: hujusmodi enim magnates propriæ agnationis splendorem ac familiæ perpetuitatem multùm diligere solent.

Secunda † consurgit ex quali- 31
tate bonorum, super quibus facta est dispositio. Agitur enim de magno Comitatu, quo tanquam opulentissimo patrimonio, familiæ decor & agnatio potest conservari.

Tertia † consurgit ex qualitate 32
legitimitatis per testatorem desiderata: quoniam ex suis descendentibus, ut magis agnatio conservaretur, solùm legitimi & naturales desiderati sunt.

Quarta † resultat ex digressu 33
ad plures gradùs substitutionum: nedum enim fideicommissum legitur in linea testatoris effectiva, verùm etiam in linea contentiva.

Quinta † resultat ex eo, quòd 34
fuit per testatorem instituta primogenitura: hæc enim regulariter pro masculis agnatis erigi atque institui solet.

Sexta † videtur ea, quòd fuit a 35
testatore prohibita trebellianica, quòdq; etiam fuit interdicta alienatio: siquidem in casu extinctionis lineæ, restricta est facultas ad disponendum de certa quantitate.

Septi-

36 Septima † conjectura ex eo resultat, quòd fuit omnibus successoribus onus injunctum, ut in regno habitarent: id enim non ad alium finem desideratum videtur, nisi ut agnationis & familiæ splendor in regno conservaretur.

37 Octava † consurgere dicitur ex repetita sæpius qualitate masculinitatis: quoniam licèt de sui natura æquivocam producat conjecturam, & ad puram tantùm masculinitatem inducendam inserviat; ea tamen univoca fit, ubi pluries videtur repetita.

38 Nona † conjectura ea est, quòd testator Guglielmo Raymundo primò instituto substituit primogenitum, qui necessariò agnatus esse debebat: & idem servavit substituendo posthumum, & ipsius posthumi filium.

39 Decima conjectura † consurgere videtur ex substitutione agnatorum. Admissâ enim familiâ testatoris effectivâ, transitus factus est ad contentivam etiam remotissimam, ut successio per agnationem progrederetur.

40 Undecima † desumitur ex onere injuncto masculis nascituris ex fœminis, scilicet assumendi testatoris cognomen & arma: siquidem qui fictam desiderat, multò magis veram diligere videtur agnationem.

41 Duodecima † ex eo consurgere dicitur, quòd Comes testator, ubi posuit casum mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi primò instituti, relictis fœminis; non earum primogenitam, ut ex præcedenti erecta regulari primogenitura invitasse videbatur, sed alium filium suum masculum, scilicet posthumum, & in ejus defectu ejusdem posthumi filium masculum ad successionem admisit.

Et demum decimatertia conjectura † ea est, quòd filia Comitis Guglielmi primò instituti fuit vocata in propria cellula, nempe in eventum mortis posthumi sine filiis masculis: adeout si diceretur in antecedenti regulari primogenitura comprehensa, esset sibimet ipsi substituta. 42

Verùm nihil est, unde Adversarii propositio atque assumptum aliquo modo justificari valeat: licèt enim conclusio in abstracto sumpta sit vera, cùm nos non lateat prælationem masculis concessam aliquando, nempe expresso accedente conservandæ agnationis desiderio, indefinitam importare posse masculorum prælationem; adhuc tamen ad casum nostrum applicari non valet, cùm evidentissimum sit, quòd † prælatio fuerit masculis limitatè concessa, nempe iis existentibus in eadem linea & gradu, quòdque votum conservandæ agnationis, per enumeratas conjecturas ad unicum tantùm gradum qualificandum intercesserit. 43

Ut igitur probatum remaneat, quòd prælatio in nostro fideicommisso non indefinitè, sed limitatè masculis fuerit concessa, memoriæ revocandum, quòd † in primogeniis quæcumque masculis concessa prælatio, ubi non concurrit votum conservandæ agnationis vel expressæ, vel quæ saltem 44

tem proficiſcatur ex univocis & concludentiſſimis conjecturis, ſufficiens non reputatur ad agnatitium fideicommiſſum judicandum; ſed ad eum tantùm finem volita ſupponitur, ut conſurgat primogenitura regularis, in qua fœminæ per maſculos tantùm ejuſdem lineæ & gradùs excluderentur, non autem per remotiores & lineæ inferioris in præjudicium ipſarum fœminarum exiſtentium in meliori linea: ipſæ enim prius debent ſucceſſione honorari. Molin. *de primogen.lib.3.cap.5.a n.*71. Guttier. *conſ.*13. *per tot. & præſertim a n.* 23. Ramon. *conſ.* 100. *a n.* 484. *qui per totum conſilium innumeras affert deciſiones.* Cutell.*deciſ.* 40. *n.* 14. *&* 15. *tom.* 2. *& præcisè n.* 90. *ubi refert deciſum.* Cammar. *reſp. legal.* 49. *n.* 1.*cum ſeq. per tot. tom.* 1. *& reſp.* 4. *per tot. & præſertim n.*22. *cum ſeq. per tot.tom.*2. Leo *deciſ. regn.Valent.* 1.*n.*79.*lib.*3. Redenaſch. *conſ.* 30. *n.* 169. 170, 171, *&* 172. Valenzuel. *conſ.* 97. *a n.* 68. *tom.*1. Caſtill. *contr. lib.*2. *cap.*4.*per tot. & præſertim a n.*158. Fontanell. *deciſ.* 35. *n.* 11. *& ſeq. tom.* 1. Torre *de majorat. p.* 1. *cap.* 25. §. 3. *a n.* 22. Rota *poſt eundem deciſ.* 4. *n.* 34. Altimar. ad Rovit. *conſ.* 40. *a n.* 7. *ad fin. tom.* 1. *Et alii innumeri penès eos.*

Menti etiam recolendum eſt,
45 quòd, † ultra conceſſam maſculis prælationem, opus eſt, quòd fœminæ, maſculis exiſtentibus prorſus excludantur. Ubi autem hujuſmodi excluſio non intercedat, etsì maſculi a teſtatore præferantur, id ſemper juxta juris formam venit intelligendum, nempe maſculis in eadem linea & gradu exiſtentibus. Atq; excluſione non intercedente nedum agnationis non intrat deſiderium; imò potius fœminarum admiſſio earumque prælatio locum habere debet: ea enim eo tantùm caſu favore maſculorum demandata videtur, quando iſti in meliori linea atq; in ſtrictiori gradu reperiantur, ſicuti, ultra allegatos, affirmat Marin. *quotid. reſol. lib.*2. *cap.*126. *n.*27. Et quidem † in primogeni- 46
turis, ubi expreſſa agnationis ratio habita non eſt, priùs attenditur linea: ut ſcilicet, qui in ea inveniatur, alios excludat, abſque eo quòd ullus penitus habeatur reſpectus ad gradum, ſexum, vel ætatem. Et ſic, eâ totaliter non evacuatâ, fieri nequit tranſitus ad alias, quæ poſtmodùm a teſtatore admiſſæ ſunt, quamvis maſculi in eis exiſterent, & ex linea primogeniti fœminæ tantùm ſupereſſent: quoniam gradus, ſexus & ætas in eadem dumtaxat linea conſiderantur, ac cæteris paribus locum ſibi vindicare poſſunt; non autem ad excluſionem illarum perſonarum, quæ qualitate lineæ melioris ornantur. Cammarat. *dicto reſponſ.* 4. *a n.* 15. *to.* 2. *& reſp.* 49. *artic.* 4. *a n.* 5. *tom.* 1. Leo *dicta deciſ. Valent.* 1. *n.* 69. *&* 70. *lib.* 3. Ludovic. Bell. *conſ.* 1. *a n.* 170. *cum ſeq.* Balducc. *deciſ.* 4. *n.* 20. *&* 21. *tit. de legat. & fideic.* Magrett. *in obſerv.*8. *ad* §.12. *Ducis Sermon.per tot.& præſertim n.*3. *&* 4. Theſaur. *quæſt. forenſ. lib.* 2. *cit. quæſt.* 12. *per totam.*

At-

Atque adeò allegatæ conclu-
47 ſiones veræ ſunt, ut † etiamsì diceretur, quòd maſculi deberent fœminis præferri adjunctâ dictione *ſemper*; adhuc tamen fœmina melioris lineæ a maſculo lineæ inferioris non vinceretur: atque eſſet prælatio reſtricta ad eum caſum, quo maſculus & fœmina in eadem linea & gradu reperirentur. Torre *de majorat. cap.* 25. §. 8. *n.* 99. *& ſeq.* Ramon. *conſ.* 100. *a n.* 493. *ubi* Balducc. *in adnotat. a n.* 140. Rota Lucenſ. apud Palma *poſt conſult.* 96. *num.* 58. *& ſeq.* Fontanell. *deciſ.* 35. *n.* 11. *& ſeq.* Cenſal. ad Peregrin. *artic.* 20. *verſ. ad ſecundum fol.* 32.

48 De quibus omnibus † dubitari non poteſt in noſtro Siciliæ Regno: quia in eo (quidquid ſit de jure communi feudorum, in quo fœminæ aliquando, per peculiarem inveſtituræ legem, poſt omnes omnino extinctos maſculos admittuntur) & maſculi & fœminæ ad ſucceſſionem habilitari videntur. Hinc proinde in Baronum diſpoſitionibus, etsì maſculis conceſſa ſit prælatio, ſemper de iis intelligendum eſt, qui in eadem linea & gradu inveniuntur. Valenzuel. *conſ.* 97. *num.* 113. *&* 114. *tom.* 1. ubi, quòd ità in noſtro Regno Siciliæ procedat. Magrett. *ubi ſupra*. Cammarat. *dicto reſp.* 49. *artic.* 4. *num.* 5. *tom.* 1. Ludovic. de Bell. *conſ.* 1. *n.* 229. Theſaur. *quæſt. forenſ. lib.* 2. *cit. quæſt.* 12. *a n.* 45. *ad* 56. Guttierrez *dicto conſ.* 13. *n.* 25. Curt. *de feud. p.* 3. *n.* 17. Leo *ubi ſupra n.* 107. *&* 108. *& Noſtrates paſſim.*

Jam verò † ſi in caſu noſtro ne- 49
dum ea non concurrunt, quæ ad concludendam indefinitam maſculorum prælationem neceſſaria reputantur, quinimò in Baronis diſpoſitione verſamur, in qua teſtator, ante agnatos collaterales, fœminas expreſsè ad ſucceſſionem admiſit; conſequens ergo, quòd prælatio maſculis conceſſa, veniat dumtaxat intelligenda favore maſculorum, qui ſunt ejuſdem lineæ & gradùs, non autem remotiorum: ità enim affirmant Menoch. *conſ.* 803. *per tot. & præſertim a n.* 25. *tom.* 9. Magrett. *in obſerv.* 8. *ad* §. 12. *Ducis Serm. a n.* 30. *cum ſeq.* Cammarat. *tom.* 1. *reſp.* 49. *artic.* 4. *a n.* 26. *& artic.* 5. *n.* 13. *& tom.* 2. *reſp.* 4. *n.* 57. *ac reſp.* 14. *a n.* 86. *& præſertim n.* 89. Molin. *de primog. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 50. Caſſanat. *conſ.* 37. *n.* 90. *in fine*. Leo *deciſ. Valent.* 1. *n.* 78. *lib.* 3.

Atque adeò verum eſt, quòd
præmiſſa in caſu noſtro non con-
currant; ut, † in diſpoſitione, in 50
qua verſamur, verbis expreſſis ipſemet teſtator affirmet, eam, quam conceſſit maſculis prælationem, haud eſſe indefinitam, ſed limitatè conceſſam, nempe iis, qui in eadem linea & gradu cum fœminis exiſterent: ſiquidem concurſus figuratus eſt, non quidem inter maſculos & fœminas in genere, ſed inter fratres & ſorores, nempe inter filios teſtatoris. *Si contigerit*, ait teſtator, *eundem Dominum Guglielmum mori, filio vel filia, filiis vel filiabus &c.* Quò
ſanè caſu † de reſtricta & limita- 51
ta prælatione dubitandum non eſt,

eſt, cùm frater & ſoror non valeant, niſi in eadem linea & gradu conſiderari, ut advertit Torre *de majorat. cap.* 25. §. 7. *n.* 89. *ubi quamplurimi*.

Verùm in ſenſu Adverſarii idem eſt in caſu noſtro mentio filiorum, ac mentio omnium deſcendentium, quaſi quòd prælatio non tantùm in filiis primi gradùs, ſed etiam in omnibus deſcendentibus fuerit à teſtatore conſiderata. Nihil tamen refert quod intendit Adverſarius, quia non ex hoc, quòd ex conjecturis argui poteſt, mentem teſtatoris fuiſſe, quòd ſub nomine filiorum omnes etiam deſcendentes includere intendebat, prælatio inter omnes deſcendentes attendi debeat: quoniam id procedit ex præſumpta repetitione atque ex ſenſu ſubintellecto, non autem ex natura verbi *filiis*, quod tantùm includit filios primi gradùs.

Et ſecundò nihil refert, quia in caſu noſtro fuit utrumque à noſtro teſtatore conſideratum, nempe concurſus filiorum primi gradùs, & concurſus ulteriorum deſcendentium. Et quidem primò in numero ſingulari figuratus eſt caſus nativitatis filiorum primi gradùs, ubi dictum eſt, *ſi contigerit, Comitem Guglielmum mori, filio vel filia non ſuperſtitibus*, in quibus includi non poſſunt ulteriores deſcendentes: deinde verò in numero plurali, figuratus eſt caſus mortis *cum filiis ſeu filiabus*, in quibus, ad mentem Adverſarii, omnes deſcendentes veluti comprehenduntur; & ſic clarum & indubitabile eſt, quòd noſter teſtator limitatam maſculis prælationem conceſſerit. Unde conjecturæ ab Adverſario allegatæ ad declarandam indefinitam præcedentem maſculorum prælationem, etsì mille forent & urgentiſſimæ, examinandæ non eſſent: concurſus enim a teſtatore figuratus, expreſsè, ut viſum eſt, fœminarum ſucceſſionem admittit in defectu maſculorum ejuſdem lineæ & gradùs, non autem ubi maſculi omnino extincti ſunt.

Verùm in principio diſpoſitionis perpetua regularis primogenitura inter omnes Comitis Guglielmi deſcendentes per noſtrum teſtatorem ordinata eſt, ſed ex verbis ſubſequentibus ipſa primogenitura regularis in omnibus deſcendentibus filiorum maſculorum ejuſdem Comitis Guglielmi conſtituta fuit: etenim in figuratione caſùs mortis ſine filiis maſculis Comitis Guglielmi, relictis fœminis, non earum primogenita, ut ex antecedenti diſpoſitione decebat, ſed alter filius maſculus ipſius Comitis Matthæi, nempè poſthumus ſubſtitutus eſt, & ejuſdem poſthumi primogenitus. Quapropter hujuſmodi conjecturas ad examen revocamus, non quidem, quòd prætenſam indefinitam maſculorum prælationem importare valeant, ſed quòd quaſi omnes regulari primogenituræ accommodantur, & earum aliquæ agnationem, non quidem in univerſa diſpoſitione convincunt, ſed in eo caſu tantùm, quo Comes Guglielmus primò inſti-

tutus sine filiis masculis decederet.

Atque impugnatur prima conjectura, quòd † scilicet fideicommissum fuerit a viro nobilissimo institutum. Etsì enim verum certumque sit, quòd magnates (ut superiùs confirmabam) propriæ domùs splendorem diligant; nihilominus cùm idem ex regulari primogenitura & clausula juris francorum resultet, quia etiam per eam eo modo, quo potest, conservatur agnatio & testatoris familia perpetuatur, conjectura prædicta ad agnationem inducendam sufficiens non reputatur, & ad regularem primogenituram a testatore institutam æquè bene refertur.

52

Impugnatur secunda conjectura † resultans ex qualitate bonorum. Quoniam eodem modo insigne patrimonium in familia perseverare dicitur, cùm ad masculos transire videatur, quo, cùm ad fœminas a testatore descendentes per clausulam juris francorum perveniat, ex ratione superiùs considerata.

53

Impugnatur tertia conjectura, † quæ resultat ex desiderio testatoris, qui successores suos voluit legitimos & naturales. Levis est enim hujusmodi conjectura, & omnibus fideicommissis accommodabilis, & multò magis regularibus primogeniis.

54

55 Impugnatur quarta, † quæ consurgere dicitur ex digressu ad plures substitutionum gradus, tam in linea testatoris effectiva, quàm contentiva. Nam digressus hujusmodi, ad probandam fideicommissi perpetuitatem, non autem ad concludendam agnationem, potest allegari. Cassanat. *cons.* 4. *n.* 236. Torre *de majorat. tom.* 1. *cap.* 38. *n.* 508.

Impugnatur quinta conjectura † resultans ex institutione primogeniture, quasi quòd ipsa pro masculis tantùm, & non pro fœminis instituta dicatur. Si enim hoc verum esset; primogenituræ regulares in jure non darentur, cùm aliàs ipsæ frequentiores sint (& in Regno tanquam pro lege receptæ) atq; agnatitia fideicommissa, in quibus fœminæ non admittuntur, primogenia irregularia esse dicantur. Palma *allegat.* 221. *n.* 49. *& decisio penès eum allegat.* 214. *n.* 12. *&* 13. *to.* 2. 56

Destruitur sexta conjectura † promanans ex prohibitione trebellianicæ, atque ex prohibitione alienationis. Præscindendo enim, quòd in casu nostro expressa alienandi prohibitio non legitur: cùm virtualis a restricta disponendi facultate prætendatur; memoratæ prohibitiones ad intentum sufficientes non judicantur; ipsæ quidem possunt ad regularem primogenituram referri & ad agnationem, sed verè ad bonorum integritatem referuntur. Balducc. ad Ramon. *cons.* 15. *n.* 22. 57

Impugnatur septima † ex eo desumpta, quòd successores in Regno habitare tenerentur: neque enim hoc fuit, nisi in Catalonia degentibus ordinatum, ut infra dicetur, nec si habitandi necessitas imposita esset, vim aliquam 58

quam faceret ex his, quæ adversùs superiùs recensitas conjecturas dicta sunt, & ex conditione adjecta in regiis concessionibus, quæ tantùm fuit in hoc fideicommisso repetita.

59 Impugnatur octava † consurgens ex repetita sæpiùs qualitate masculinitatis. Ipsa quidem agnationem non concludit: quoniam fœminæ aliquando (prout in nostro themate) ad successionem admissæ sunt, & propter masculos tantùm ejusdem lineæ & gradus exclusæ videntur. Cassanat. *cons.* 38. *n.* 89. *& seq.* Valenzuel. *cons.*97. *n.*76. Dunozett. *decis.*81. *n.* 21.

60 Impugnatur nona, † quæ consurgit ex substitutione filii masculi tam Comitis Guglielmi primò instituti, quàm etiam posthumi C. Guglielmo substituti, quia videlicet ipsi filii masculi, necessariò agnati esse deberent. Sed non ex eo quidem resultat conjectura agnationis: quoniam ex legibus regularis primogenituræ, masculi prædicti debebant ad successionem admitti, & quoad hoc eodem modo regulare, ac agnatitium explicatur fideicommissum.

61 Impugnatur decima † resultans ex substitutione agnatorum collateralium. Testator enim in casu nostro, eos non ad connectendam in agnatis successionem substituit, sed ne Comitatus penès suos descendentes liber evaderet: ipse quidem eos vocavit in eventum extinctionis linearum suorum descendentium tam masculorum quàm fœminarum: si enim testator verè & propriè agnationem conservare voluisset; utique agnatos ante fœminas ad successionem invitasset. Rota ad Lucam *de fideic. tom.* 3. *decis.* 3. *a n.*13. *& seq.*

Atque etiam impugnatur † hæc conjectura, quia agnatos collaterales testator substituit per nomen proprium, & aliquos in particulari, non autem sub illo *familiæ de Moncada*, neque omnes omnino de agnatione. Hoc autem casu nedum agnationis conservatio non resultat; imò etiam ipsa apertè destruitur: credendum est enim, eos potiùs ex amore directo ad personas, quàm ad propriam testatoris conservandam agnationem fuisse ad successionem invitatos. Altograd. *jun. contr.* 38. *n.* 24. Capyc. latr. *lib.*2. *decis.* 127. *n.* 48. 62

Impugnatur undecima conjectura, † quam Adversarius desumit ex onere injuncto masculis nascituris ex fœminis, scilicet assumendi cognomen & arma testatoris. Quoniam eam Doctores tunc demum admittunt, ubi votum testatoris hoc esse videtur, ut, durante propriâ agnatione etiam de linea contentiva remota & remotissima, ea religiosissimè conservetur: adeout, verâ deficiente, ficta locum habeat, per prædictam scilicet assumptionem cognominis & armorum testatoris. Quapropter, cùm hoc in casu nostro non intercedat, quia agnati collaterales, ut dictum est, ad successionem post fœminas admissi sunt, ac præceptum assumendi 63

cognomen & arma fœminis (quæ proculdubio admissæ sunt) indictum non fuit; consequens ergo, quòd in casu nostro ipsa non veniat attendenda: nihil enim aliud in eo actum esse videtur, nisi quòd ad instar majoratùs Hispaniarum, quilibet successor teneretur nomen & arma testatoris assumere: ut tali casu eam reiiciendam esse, concludunt Cassanat. *dicto cons.* 4. *n.* 246. *&* 247. Ramon. *cons.* 100. *a n.* 279. *& seq.* Leo *lib.* 3. *decis.* 1. *n.* 115. Ganaverr. *post cons.* 1. *in consult. Jure Consult. Romani n.* 9. Cutell. *decis.* 40. *artic.* 2. *n.* 11. *&* 23. *tom.* 2. Quinimò ex onere deferendi cognomen & arma injuncto cognatis ad successionem admissis ante agnatos, conjectura resultat agnationi contraria. Censal. ad Peregrin. *artic.* 20. *vers. neque verum est fol. mihi* 33. Torre *de majorat. cap.* 38. §. 3. *n.* 38. *&* 39. *to.* 1. Rota *apud eundem dicto cap.* 38. *n.* 108. *& seq.* Balducc. ad Ramon. *cons.* 15. *n.* 21. Altograd. *cons.* 66. *n.* 60. Rota *ad tract.* de Luca *lib.* 10. *de fideic. decis.* 11. *n.* 7. *& seq. & decis.* 12. *n.* 13.

Impugnatur etiam hæc conje-
64 ctura, † quia demandata nominis & armorum testatoris assumptio, non videtur injuncta per præceptum universam informans per modum regulæ dispositionem, atque omnes obligans descendentes ac personas vocatas; sed tantùm indicitur nonnullis personis & gradibus, nempe masculis descendentibus ex fœminis Comitis Guglielmi, non autem aliis fœminis descendentibus ex agnatis remotioribus. Quo casu hujusmodi præceptum personas & gradus prædictos non egreditur; neque agnatitium fideicommissum in universùm concludit. Ità, ultra citatos, advertit Rota *ad tract.* de Luca *lib.* 10. *de fideicom. decis.* 12. *n.* 16. *& decis.* 13. *n.* 5. *to.* 2.

Impugnatur duodecima † con- 65
jectura translineationis ad masculum inveniendum lineæ inferioris, existentibus fœminis de meliori linea, nempe ad inveniendum posthumum, &, in ejus defectu, ejusdem posthumi filium masculum, non autem filiam Comitis Guglielmi primò instituti. Nam hujusmodi prælatio a testatore concessa in præjudicium fœminæ de linea meliori, in casu particulari tributa est, & ad unicum dumtaxat gradum qualificandum, nempe ubi Comes Guglielmus primò institutus sine filiis masculis obiisset, non autem ad universam informandam dispositionem. Postquam enim testator perpetuam regularem primogenituram in omnibus Comitis Guglielmi descendentibus erexerat; quia idem in sensu partis fuit dicere, *Comitem Guglielmum Raymundum mori, superstitibus sibi filio vel filia, filiis vel filiabus*, ac si dixisset testator, *superstitibus sibi filio vel filiâ, filiis vel filiabus, nepotibus, pronepotibus, posteris & descendentibus in infinitùm & in perpetuùm*; subsequenter casum specialem figuravit, nempe mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi. Proindeque † quali- 66
tas masculinitatis in casu prædi-

cto

ẞto tantùm desiderata, præcedentem perpetuam regularem primogenituram ab eodem testatore clarissimè institutam non immutavit: nec repetita censetur in aliis casibus, in quibus ea non fuit a testatore demandata. quinimò fuit expressè neglecta, ut superiùs visum est, & infra ad evidentiam demonstrabitur.

Et demum impugnatur ultima
67 conjectura † super vocatione filiæ Comitis Guglielmi primò instituti in propria cellula: quòd scilicet si regularis primogenitura superiùs erecta esset; filia prædicta Comitis Guglielmi posthumo substituta non fuisset. Etenim non negamus, quòd Comes Matthæus testator in ingressu successionis, & ad radicandam successionem in masculis, filiam Comitis Guglielmi, favore posthumi, postposuerit, quòd eam, post mortem ejusdem posthumi sine filiis masculis, ad successionem admiserit, quòdque regularem primogenituram, quam antea in universis descendentibus Comitis Guglielmi primò instituti ordinaverat, ad descendentes filiorum masculorum Comitis Guglielmi limitaverit. Negamus tamen, quòd agnatio ex hac particulari providentia, fuit per modum regulæ totam informantis dispositionem considerata.

Iterum verò postremas duas hasce conjecturas expendit Adversarius, nempe translineationem a linea Comitis Guglielmi ad inveniendum masculum in linea posthumi, & vocationem filiæ Comitis Guglielmi primò instituti in propria cellula. Ait enim, quòd hujusmodi conjecturæ omnino enixum probent testatoris desiderium, volentis, quòd sui omnes descendentes per fideicommissum agnatitium in Comitatu succedere deberent; quasi quòd
† qualitas masculinitatis desiderata in eventum mortis sine filiis masculis C. Guglielmi Raymundi, ut ex prædictis duabus conjecturis habetur, in aliis casibus repetita censeri deberet. 68

Verùm tamen nostrum erit nonnulla in medium afferre, ex quibus certè hujusmodi repetitio resultare non possit. Et quidem primò asserta repetitio prætendi non valet, quia testator ubi voluit posthumo prælationem contra filiam Comitis Guglielmi concedere, scilicet ubi voluit masculum admittere de linea inferiori, & negligere fœminam lineæ melioris, etiam atque etiam dixit; ubi verò noluit, non dixit. Cùm
enim † versemur in fideicommisso agnatitio, & proinde de sui natura odiosissimo, extensio de uno casu ad alium dari non potest. Ut, ex prædicto argumento, ad restringendam scilicet dispositionem infra limites præsumptæ voluntatis testatoris, ne qualitas masculinitatis volita per testatorem in uno casu, extendatur ad alium, consideraruntPalma *alleg.* 61. *n.* 21. *& alleg.* 62. *n.* 15. *to.* 1. Rot. Rom. ad Lucam *de fideic. lib.* 10. *decis.* 12. *n.* 18. *&* 19. *tom.* 2. *& decis.* 14. *n.*5. Cassanat. *cons.*38. *n.* 103. Rota post Censal. ad Peregrin. 69

regrin. *decis.* 34. *n.* 4. Rota penès Dunozz. *jun. tom.* 1. *decis.* 46. *a n.* 19. *& seq.* Rota *p.* 5. *tom.* 2. *rec. decis.* 581. *n.* 7.

70 Secundò, † si daretur, quòd providentia a nostro testatore data pro casu prædicto mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi Raymundi primò instituti, omnes alios casus includeret; sequeretur ipsius testatoris totalis correctio ex incontinenti. Statim enim quòd per ordinatam regularem primogenituram dixerat, fœminam de meliori linea præferendam masculo de linea inferiori, se correxisset imponendo contrarium. Quapropter ad illam in totum evitandam, & ad universum testamenti tenorem conciliandum (pro quo quævis benigna capi debet interpretatio) dispositionem pro casu tantùm prædicto, non autem pro aliis factam fuisse, credendum est. Larrea *decis. Granat. p.* 2. *decis.* 60. *n.* 6. Luca *de testam. disc.* 69. *n.* 6.

71 Tertia ratio est, quia † prælatio posthumo concessa, non fuit concepta per modum regulæ, & verbis quidem perpetuitatem importantibus; sed eo tantùm casu considerata videtur, quo Comes Guglielmus Raymundus sine masculis decessisset: & sic ad gradum prædictum dumtaxat qualificandum, non autem ad universam successionem informandam. Sicuti etiam filia dumtaxat, quæ procrearetur ex dicto Comite Guglielmo Raymundo, in propria cellula vocata est, & posthumo postposita: proindeque ad eum tantùm gradum restringi debet, & non potest ad alios gradus & personas ampliari. Cassanat. *cons.* 6. *a n.* 35. *cum seq.* Redenasc. *cons.* 10. *a n.* 56. *ad fin. & cons.* 30. *n.* 162. *&* 163. Ludovic. Bell. *cons.* 1. *n.* 212. *&* 213. Ramon. *cons.* 100. *per tot. & præsertim n.* 479. Castill. *contr. lib.* 2. *cap.* 4. *per tot.* Torre *de majorat. p.* 1. *cap.* 25. *a n.* 249. *& cap.* 37. §. 4. *n.* 37. Cutell. *decis.* 40. *a n.* 42. *&* 88. *tom.* 2. Rota Rom. ad Lucam *de fideic. lib.* 10. *dec.* 16. *n.* 2. *tom.* 2. *& dicta dec.* 65. *à n.* 11. *p.* 8. Rota post Torre *de major. decis.* 49. *n.* 4. *&* 26. *Et alia* Rota *adducta per* Balducc. *ad cons.* Ramon. *decis.* 2. *n.* 5. *&* 6. *tom.* 2.

Quartò adducitur ratio, quia † facultas in Comite Matthæo 72 considerata, quòd ipse potuisset de Comitatu disponere, quæque inde ortum habuit, ut pars insistit, quia Comes Matthæus quasi primus formæ quæsitor, formam sibi benevisam dare poterat, talis naturæ est; ut dici non possit, quòd a forma, sub qua Comitatum habuit, fuerit recessum: nisi hoc fecerit per expressam dispositionem omnino repugnantem formæ, per quam ipse in Comitatu successit, vel nisi clarè personas a se contemplatas honorasset. Si enim dispositio dubia est, interpretationem recipit a forma, sub qua feudum habuit: & in ea taliter perseverare dicitur; ut successores debeant admitti, qui per priorem formam fuerunt contemplati. Quo fit, ut, cùm noster testator expressè ab ea nonnisi in uno tantùm casu recesserit, non vi-

videatur in aliis recessum. Ut ad propositum advertunt Corsett. *cons. 9. n. 27. vers. sed quidquid.* Rojas *de incompatib. par. 3. cap. 4. n. 20.* Altograd. *contr. 91. n. 31. lib. 2.* Palma *decis. Luccens. 262. n. 13.* Torre *de major. p. 2. cap. 57. n. 65.*

73 Quinta ratio est, quia † in dubiis dispositionibus vel Regis concedentis vel primi quæsitoris, ea datur in feudorum successione interpretatio, quæ Regni legibus consonat, & præsertim *Constit. In aliquibus, Ut de successionibus & Cap. Si aliquem*: præsumitur enim, Regem vel primum quæsitorem illis se uniformem reddere voluisse. Proindeque cùm illæ prælationem concedant masculis in eadem tantummodo linea & gradu, non autem ubi sint lineæ inferiotis & in gradu remotiores; rectè sequitur, quòd noster testator pro casibus non expressis cum illis se uniformem reddere voluerit. Andreas *in cap. 1. §. fin. versic. quid ergo, & ibi* Liparulus *in addit. lit. f. De eo qui sibi & hared. suis.* Capyc. *Invest. feud. vers. & masculis fol. 96.* Loffred. *cons. 39. in principio, & n. 5. vers. circa primum dubium, & n. 8. & 9. & 28.* Torre *de major. p. 1. cap. 25. n. 97. & 98. & p. 2. cap. 57. n. 45. 46. & 47.* Ramon. *cons. 100. n. 58.* Cammarat. *resp. 4. n. 41. & 42. to. 2.* Hodier. *contr. forens. lib. 1. cap. 11. a n. 17.* Magrett. *in observ. 8. §. 12. Ducis Sarm. a n. 22.*

74 Sexta ratio est, quòd † si repetita censeri deberet prætensa masculinitatis qualitas in omnibus aliis casibus, quàm in expresso; sequeretur, quòd vocata non fuisset filia filii masculi Comitis Guglielmi Raymundi primò instituti & proinde magis dilecti, & quòd filia posthumi vel posthumæ, qui minùs dilecti erant, fuisset ad successionem admissa. Si enim natus esset Comiti Guglielmo Raymundo filius masculus, & patri prædecessisset, relictâ filia; hæc, mortuo deinde Comite Guglielmo Raymundo avo, semetipsâ superstite & filiâ posthumi vel posthumæ, hæc, inquam, posthumis etiam prædefunctis, non successisset, quia non admissa, sed successionem habuisset filia prædicta posthumi vel posthumæ, quia expresè invitata, ut verba suprainscetti fideicommissi demonstrant. *Et si masculus ex eo non superstiterit; substituit sibi dictum posthumum; & si non supervixerit, masculum ex eo procreatum: & si non vixerit, filiam procreatam ex dicto Comite Guglielmo Raymundo, &, in ejus defectu, dictorum posthumi vel posthumæ.*

75 Sequeretur etiam, quòd † filius masculus procreandus ex filia posthumi vel posthumæ, melioris fuisset conditionis, quàm filius masculus procreandus ex filia filii masculi præmortui ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi, & nonnulli alii darentur casus, in quibus linea primogeniti jam ingressa, cæteris paribus, a linea secundogeniti vinceretur.

76 Et tandem sequeretur, quòd † in descendentibus agnatorum de linea contentiva minùs dilectis (quos testatorem vocasse & sub-

substituisse ad fideicommissi perpetuitatem, prætendit Adversarius) introducta esset clausula juris francorum, & regularis successio cum fœminarum admissione, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, quod quidem negaretur in descendentibus primi instituti magis dilectis. Quod nullo pacto tolerandum: quinimo ad illud tanquam evidentissimum absurdum evitandum, repetitio masculinitatis nunquam præsumi debet, & fœminæ in aliis casibus debent ad successionem admitti. Ramon. *cons.* 100. *a n.* 169. Torre *de majorat. tom.* 1. *cap.* 38. §. 15. *n.* 428. *&* 429. *fol.* 434. Ludovis. *decis.* 315. *n.* 7. *&* 8. Palma *alleg.* 22. *n.* 32. *tom.* 3. *& dec. Lucens.* 228. *n.* 5. *vers. & ita.*

Septima ratio, quæ repetitio-
77 nem excludit, ea est, quòd † Comes testator post institutam in filiis Comitis Guglielmi perpetuam regularem primogenituram, & post substitutiones factas in casu mortis sine filiis masculis ejusdem Comitis Guglielmi; in conditionalibus, nempe antequam transitum faceret ad substitutionem Rogerii de Montecateno, ad declarandam præcedentem dispositionem (in qua, sub denominatione filiorum, quòd omnes incluserit descendentes, insistit Adversarius) usus est verbo *liberis*, quod omnes descendentes masculos & fœminas exprimit. *Item si contingat* (sunt verba Comitis testatoris) *dictum Dominum Guglielmum Raymundum posthumum vel posthumam mori, liberis legitimis non relictis; substituit sibi magnificum Dominum Rogerium de Montecateno.* Ut enim testator declararet, quòd, præter casum mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi, insistere intendebat in regulari primogenitura, favore descendentium Comitis Guglielmi, ac favore posthumi & posthumæ, ut infra dicemus; omnes alios eorum ulteriores descendentes tam masculos quàm fœminas sub denominatione liberorum ad successionem vocavit. Eo quidem casu, nempe † cùm testator priùs 78
de filiis tam masculis quàm fœminis loquutus est, deinde in certo casu de masculis tantùm, & subsequenter de liberis facit mentionem, apertè demonstrat, quòd in casu expresso tantùm masculinitatem dilexit, non autem in aliis casibus, in quibus masculos & fœminas ad successionem admisit. Ramon. *cons.* 100. *n.* 387. *&* 388.

Verùm, ad tollendam hujusmodi interpretationem, replicat Adversarius, quòd † a verbo *liberis* 79
segregatum non est verbum *masculis*, etiam ob efficaciam repetitionis. Asserit enim, quòd sicuti testator in fideicommisso ordinato pro successione Comitatùs Adernionis, verbo *liberis* adjunxit verbum *masculis*; ita pariter verbum *masculis* venit subintelligendum in hujusmodi fideicommisso ordinato pro successione Comitatùs Augustæ tanquam insignioris. Et proinde subjungit, quòd per denominationem liberorum,

torum, non omnes omnino filii, nempe masculi & fœminæ, sed tantùm masculi ad successionem admissi sunt.

Sed prædicta repetitio satis impugnata remanet, si differentia inter unam & aliam dispositionem, sapientissimi Judices, consideretur. Præscindendo enim, quòd in successione Adernionis per assertam liberorum masculorum vocationem, fœminæ non excluderentur: quidquid in ea legitur, procedere non potest in successione Comitatùs Augustæ, in quo per orationem perfectam perpetua regularis primogenitura erecta videtur. Etenim noster testator in principio fideicommissi omnes suos descendentes ad successionem admisit, & post datam providentiam in certo casu observandam, reassumendo in conditionalibus id, quod antea dixerat, de liberis se loquutum fuisse, profitetur. Quod evidenter ostendit, favore masculorum & fœminarum, ut supra jam dixerat, non autem favore masculorum tantùm dispofuisse.

Et demum octava ratio, quæ assumptum regularis institutę primogenituræ & non repetitæ masculinitatis roborat & confirmat, atque eam pro casu præsentis successionis reddit indubitabilem,
80 illa est, quòd † tam translineatio ad masculum secundogenitum inveniendum, filiâ primogeniti postpositâ, quàm alia quævis masculorum prælatio a testatore ordinata, ab eodem videntur considerata ad demonstrandam peculiarem affectionem erga alium proprium filium masculum, ad hoc scilicet, ut, in eventum deficientis primogeniti, locus fieret successioni secundogeniti, & sic in istius gratiam tantùm, tanquam magis dilecti. Quæ quidem dilectio & particularis affectio, cùm in ulterioribus descendentium secundogenitis non concurrat; prælatio in eis locum sibi vindicare non potest.

Quo fit, ut, † si in præsenti suc- 81
cessione nedum non versemur in supradicto casu concursùs illius secundogeniti prædilecti, nec etiam ulterioris patrui cum nepte, imò veriùs in concursu filiæ ultimi possessoris cum agnato remoto, quia cum ultimo defuncto in quinto gradu conjuncto; omnia prorsus cessare debeant repetitionis argumenta: imò urgentissima conjectura resultat, quòd in omnibus aliis casibus, præterquàm in eo mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi primò instituti (qui cum masculis decessit) noster testator regularem primogenituram dilexit, sicut in terminis, ultra supra citatos, considerat Cammar. *resp.* 14. *n.* 99. *vers. ergo tom.* 2. Atque magis argumentum procedit, quia noster C. Matthæus, secundogenitum, seu, ut veriùs dicam, suum posthumum non videtur utcumque dilexisse, sed tanquam alium primogenitum, quia defactò primogenitus erat, quamvis ex secundis nuptiis cum Allegrantia Abbati. In cujus gratiam C. Matthæus, cùm hujusmodi posthumum (ut

N in

in facto notatum est) aliquo titulo insignire, vehementer desideraſset; eidem posthumo eodem anno celebratarum nuptiarum, donationem fecit Comitatùs Adernionis. Qui quidem Comitatus, cùm nec tempore donationis nec tempore testamenti ad Comitem Matthæum adhuc pervenisset; debuit propterea pater testator, omnem movendo lapidem, casu, quo Comes Guglielmus ex prioribus nuptiis primogenitus sine masculis decessisset, illum ad succesſionem admittere: ut ità posthumus (deinde, ut dictum est, vocatus Comes Antonius) primò natus, juxta parentum votum evaderet.

Quæ quidem omnia per nos in exclusionem repetitionis masculinitatis allegata, adeò vera sunt; ut etiam conjecturæ & quidem convincentes non deficiant, quæ agnationi & proinde repetitioni resistant, & clausulam juris francorum in universa dispositione, præterquàm in casu per testatorem limitato, firment atque defendant. Prima siquidem ea est, quòd in multis casibus, ut visum est, noster testator fœminas absq; ullo prorsus onere assumendi cognomen & arma, & ante admisſionem agnatorum lineæ contentivæ, ad succesſionem invitavit.
82 Qui enim † agnatitium fideicommissum conatur instituere; fœminas omnino excludit a propria succesſione: ità quòd si eas aliquando substituit, statim declarat, se agnationem non diligere, conceditque fœminæ existenti in meliori linea, contra masculum lineæ inferioris, prælationem. Cutell. *decis.* 40. *n.* 16. Molin. *de primogen. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 50. *Et communiter omnes*.

Secunda conjectura ea videtur, quòd † noster testator collateralium agnatorum descendentes non vocavit, & quidem nec masculos nec fœminas, ut superiùs pro temporalitate ponderabam. Si enim perpetuæ agnationis conservationem desideraſset; utique illos ad succesſionem invitasset, ut fecerat in propriis descendentibus. Si ergo non fecit; expresſa consurgit perpetuæ agnationis non-contemplatio: aliàs in eorum potestate remaneret, post mortem suam, etiam extraneos admittere, & propriam ac fideicommittentis agnationem respuere. Capyc. Latr. *lib.*2. *decis.*127. *n.*53. *&* 54. Altograd. *jun. contr.* 38. *n.* 24. *&* 25. 83

Tertia est, quòd † nullus videtur tractus succesſivus expresſus, in quo agnatio sit repetita. Eo enim cesſante, nullo modo perpetuum agnatitium fideicommisſum dari potest: siquidem agnationis desiderium per expresſas fideicommisſarias connexas substitutiones manifestatur. Unde si hæc deficiant, & tantùm in aliquo gradu agnatio considerata videatur, frustra agnatio prætenditur. Ramon. *dicto cons.* 100. *n.* 275. Dunozett. *dec.* 46. *n.* 10. *& seq. tom.* 1. 84

Et quarta conjectura ea est, quòd † in hujusmodi fideicommisſo, vocati non leguntur masculi 85

sculi ex masculis per modum regulæ, nec posita in conditione linea recta masculina, aut vocati ad successionem agnati cum causa, ut bona in familia & agnatione conserventur: neque indefinita & perpetua masculorum vocatio intercedit, verbis scilicet concepta infinitatem & perpetuitatem importantibus. His autem attentis, maximum resultat regularis primogenituræ argumentum, & omnino illud conservandæ agnationis removetur. Molin. *de primog. lib. 3. cap. 5. a num. 56. ubi* Lima. Faber *in C. lib. 6. tit. 25. de condit. insert. defin. 10. per totam.* Torre *de major. cap. 25. n.* 84. 85. *& 90. cum seq. p. 1.* Rota *p. 7. rec. decis. 249. n. 9. cum seq.* Dunozett. *dicta decis. 46. a n. 10. & seq.* Prout in terminis supradictis, nempe quòd
86 † qualitas masculinitatis, volita in casu, quo primus hæres absque masculis decederet, cum translineatione ad masculum remotiorem inveniendum, non censeatur repetita in descendentibus hæredis instituti ob defectum conditionis, quia scilicet primus institutus cum masculis decessit, & successio ejus lineam ingressa est, firmarunt Rovit. *cons. 7. per tot. tom. 2.* Cutell. *decis.* 40. *n.* 88. *vers. cum ergo in medio tom. 2.* Cammar. *tom. 1. resp. 49. per tot. & tom. 2. resp. 14. n. 92. vers. respondetur secundò.* Torre *de majorat. p. 2. quæst. 54. n. 16. 17. &* 18. Salon. *de Pace ad leg. Taur. in select. proœm. a n. 120. cum seq. fol. m. 19.* Marin. *resol. lib. 2. cap. 126. per tot. & præsertim n. 7. &* 8. *& n. 21. & 22.*

Atque † in fortioribus terminis; favore fœminæ ex linea ingressa & ex linea ultimi possessoris, in exclusionem masculi agnati descendentis ex eodem columnello, sed inferioris lineæ subalternæ: non obstante, quòd in ingressu successionis solùm vocati fuerint masculi, itidemque alii masculi substituti, a fideicommittente nati & nascituri: non obstante, quòd fuerint positi in conditione masculi descendentes de uno in alium per plures gradus, exclusæ propriæ filiæ fideicommittentis, substituti agnati collaterales, & post eos, vocatæ filiæ fœminæ heredis gravati, & sic in propria cellula ac, post agnatos remotiores, fœminis deficientibus, earum filii masculi cum onere assumendi cognomen & arma: non obstante, quòd fuerint exclusi religiosi, & demum non obstante, quòd actum fuiset de cospicuo majoratu, decisum refert per Senatum Cataloniæ, in causa Comitatùs Cardonæ, Ramon. *cons.* 100. *per tot. & præsertim n.* 108. 379. 390. 405. *& n.* 408. 87

Rursus, † etiam quòd masculis & fœminis injunctum fuerit onus assumendi cognomen & arma sub pœna caducitatis: etiam quòd fuerint vocati masculi a primo hærede provenientes, non solùm iu ingressu, verùm etiam in progressu, atque alii alumni non sub nomine filiorum, sed sub ampliori nomine succesorum: etiam quòd actum pariter fuerit de maxima & insigni Baronia, & de fideicommittente nobilissimo: atq; 88

in nihilo refragantibus nonnullis contrariis urgentissimis conjecturis: pro sorore ultimi defuncti, in exclusionem masculi ex eadem linea Primogeniti & a primo hærede provenientis, sed de inferiori linea subalterna, decisum quoque refert in Valentina Audientia Leo *in sua decis.* 60. *per tot. lib.* 1. *& præsertim n.* 28. *cum seq. ubi alias affert favorabiles decisiones.*

89 Ulteriùs, quòd † qualitas masculinitatis considerata & per testatorem volita in ingressu & deficientia lineæ, intelligi nequeat repetita in descendentibus primorum institutorum, decisum habetur ex Rota ad Lucam *de fideic. decis.* 3. *a n.* 13. *cum seq. tom.* 3. *& per aliam* Rot. post Torre *de majorat. decis.* 38. *per tot. & præsertim*

90 *n.* 19. 20. *&* 21. Et demum † favore fœminæ melioris lineæ, exclusâ masculinitatis repetitione, in nostris Siciliæ subselliis per M. R. C. & per Trib. Concistorii S.R.C. in casu fortiori, & in causa feudorum Buzzettæ, quamvis ipse pro agnato votum suum protulisset, decisum testatur D. Petrus Alliata *in suo voto impresso penès* Magrett. *super pragm. Ducis Sarm.* §. 12. *obs.* 9. *in fine.*

Et viva ratio prædictarum conclusionum rerumque decisarum ea est, quòd † juri & testatorum menti satis consonum videtur, quòd in ingressu successionis in linea hæredis gravati aut substituti primò vocati, ad radicandam in masculis successionem, masculi tantùm admittantur, & in progressu tam masculi quàm fœminæ invitentur: scilicet, deficiente primo instituto sine masculis, transitus fiat ad masculum substitutum, quasi ad stipitem alterius lineæ; eo verò cum masculis decedente, successio in ejus linea tam pro masculis quàm pro fœminis per regularem primogenituram perpetuetur: & ità expressè confirmant Valenzuel. *cons.* 97. *n.* 77. *&* 78. *tom.* 1. Ludovic. Bell. *cons.* 1. *n.* 216. Torre *de majorat. p.* 1. *cap.* 25. §. 5. *n.* 46. *&* 47. *& meliùs p.* 2. *quæst.* 54. *n.* 16. 17. *&* 18. Rota *rec. dec.* 65. *per tot. p.* 8. Rota *coram* Rojas *decis.* 90. *a n.* 4. *usque ad finem.* Rota *post* Balducc. *ad* Ramon. *dec.* 3. *n.* 20. *tom.* 2. Rota *post* Torre *de majorat. decis.* 49. *a n.* 31. *ad finem.*

Sed si verum esset, ait tandem Adversarius, quòd noster disponens in principio fideicommissi perpetuam regularem primogenituram in omnibus prorsus descendentibus Comitis Guglielmi primò instituti ordinare voluisset, & posthumum tantùm ad successionem admittere, casu, quo Comes Guglielmus sine filiis masculis obiisset; sequeretur, quòd si Comes Guglielmus cum filiis masculis decessisset, posthumi & posthumæ atq; eorum filiorum substitutiones expirarent, ac pariter aliæ expirarent subsequentes agnatorum substitutiones. Quod concessæ perpetuitati repugnat, cùm fideicommissum, perpetuitate concessâ, non solùm in descendentibus Comitis Guglielmi, sed etiam in descendentibus posthumi & posthumæ, ac etiam favore agna-

agnatorum perpetuum concedi debeat. Unde ad evitandum prædictum absurdum, ne scilicet substitutiones tanto studio a testatore ordinatæ expirarent, proculdubio credendum est, concludit Adversarius, quòd in principio fideicommissi, testator, per illam vocationem masculorum & fœminarum, genericam indicare voluerit eorum successionem, & quòd subsequenter succedendi modum præscripserit: nempe quòd masculi de linea effectiva testatoris, cum indefinita prælatione succedere deberent, & in eorum masculorum omnium deficientiam atque in subsidium succedere deberent fœminæ, & demum succedere deberent agnati de linea contentiva.

Sed præscindendo ab iis, quæ pro temporalitate fideicommissi allegata sunt, præscindendo etiam ab eo, quòd non dicatur absurdum considerabile id, quòd ab expressa testatoris voluntate resultat: posthumus & posthuma eorumque descendentes, nedum eo casu substituti sunt, quo Comes Guglielmus sine filiis masculis decessisset; sed eo etiam, quo cum filiis masculis obiisset, aut aliter ejus linea extincta esset. Siquidem per capitulum separatum, atque etiam principaliter hoc a testatore declaratum fuit, ubi substitutio Rogerii de Montecateno & aliorum sequentium substitutorum eo casu facta est, quo tam C. Guglielmus, quàm posthumus & posthuma sine liberis obiissent. Substitutio enim prædicta ad duplicem finem facta est; primò ut denotaret disponens, per verbum *liberis* regularem perpetuam primogenituram instituisse, ut dictum est, & secundò ut apertè concluderet, quòd nedum in eventum mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi, sed etiam in casu mortis omnium ejus filiorum & ulteriorum descendentium tam masculorum quàm fœminarum, posthumum & posthumam & eorum descendentes ad successionem admittere intendebat, ut hujusmodi capitulum expressè demonstrat. *Item si contingat, dictum Dominum Guglielmum Raymundum posthumum vel posthumam mori, liberis legitimis non relictis; substituit sibi magnificum Dominum Rogerium de Montecateno &c.*

Ultra quàm quòd de hujusmodi absurdo quærendum non est, quoniam casus mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi Raymundi a testatore præordinatus non evenit, & (iterum dicam) in aliis casibus a testatore etiam prævisis & jam verificatis instituta videtur regularis primogenitura. Quæ quidem primogenitura in casu præsenti Dominam Clientem ultimi possessoris filiam literaliter admittit: quippe in terminis fortioribus, † a casu per 92
testatorem præviso sed non verificato, ad casum prævisum & verificatum, illationem fieri non posse, in terminis advertit Rota *p. 7. rec. dec. 249. a n. 8. vers. quoniam ad n. 11.*

Sed hæc ad exuberantiam dicta sunt, quoniam in claris opus non est

est argumentis. Versamur enim in casu, in quo nulla penitus cadere potest hæsitatio: siquidem quæstionem repetitionis masculinitatis tunc tantùm solent Jurisconsulti in examen revocare; cùm testator aliquem casum posuerit, in quo masculinitatem desideraverit, & alium, in quo id non expresserit, nec contrarium voluisse, protestatus fuerit: adeout casus omissus eandem recipere posset interpretationem, quam casus ex-
93 pressus. Ubi autem † testator duos casus expressit, atque in uno masculinitatem dilexit, in alio tamen, eam expressè abhorrendo, fœminas admisit; nulla cadere potest controversia, quin lex a testatore clarissimè ordinata, in utroque casu servari debêret juxta illorum contingentiam. Ad tex. vulgatum in *Authen. disponat. C. de nuptiis.*

Quo fit, ut, si Comes Matthæus testator in principio fideicommissi per modum regulæ universam dispositionem informantis, perpetuam inter omnes omnino descendentes Comitis Guglielmi Raymundi sui primogeniti ac primò instituti regularem primogenituram ordinavit, concedendo tantùm in concursu cum fœminis prælationem masculis existentibus in eadem linea & gradu: etsi deinde in positione unici casùs pluries superiùs repetiti, nempe mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi Raymundi primi instituti, prælationem concessit masculo de linea inferiori in concursu cum fœmina de meliori linea; nullo modo qualitas prædicta masculinitatis optata videatur in aliis casibus supra in breviloquio regularis erectæ primogenituræ figuratis, in quibus expressè & per orationem perfectam jam fuerat concessa prælatio fœminis de linea meliori, prout est casus noster. Absonum † quidem 94
esset, atque omnibus juris principiis apertè repugnans, ex limitatione in uno tantùm casu a testatore ordinata, regulam pro universa successione conscriptam penitùs destruere & ad nihilum redigere: ut casum tanquam absolutissimum, & super quem neque ulla cadere potest controversia, supponunt *Doctores omnes supra citati, & alii passim.*

In casu etiam claro versamur, quoniam † noster disponens in 95
suis descendentibus ultrà primum gradum, in quo per fideicommissum speciale prælationem concessit masculo de inferiori linea, postpositâ fœminâ lineæ melioris, per generale fideicommissum perpetuam regularem primogenituram evidentissimè ordinavit. Ipse enim ex præcedenti vocatione filiorum & filiarum Comitis Guglielmi primò instituti (in quibus, ut Pars desiderat, omnes ejus descendentes inclusit) supposuit, ad successionem admissum filium masculum nasciturum ex filia Comitis Guglielmi, & alios filios masculos nascituros ex aliis fœminis descendentibus a Comite Guglielmo: quod non poterat verificari nisi ex præcedenti ordinata in universo fideicommisso regu-

regulari primogenitura.

Et quidem dixit testator, *ità tamen quòd filius, qui ex dicta filia procreabitur vocetur de Montecateno & deferat arma ipsius*, ubi supra hujusmodi filius non aliter dici poterat ad successionem admissus, nisi per illa verba, *Item si contigerit eundem Dominum Guglielmum Raymundum mori superstitibus sibi filio vel filia, filiis vel filiabus*. Dixit ulteriùs noster testator immediatè, postquam admiserat ad successionem filium masculum nasciturum ex filia Comitis Guglielmi primò instituti sub onere deferendi cognomen & arma, dixit inquam *& sic de singulis, aliàs quòd cadant ab hæreditate*, ubi superiùs filii masculi nascituri ex aliis filiis fœminis descendentibus a Guglielmo Raymundo primò instituto, non erant ad successionem admissi, nisi pariter ex verbis supra transcriptis, nempe *superstitibus sibi filio vel filia, filiis vel filiabus*.

Atqui ipsemet testator in successione omnium descendentium Guglielmi Raymundi, qui comprehendebantur in vocatione filiorum ipsius Guglielmi Raymundi, jusserat, regularem primogenituram esse servandam per ea verba immediatè subjuncta, *substituit sibi primogenitum ex eo descendentem, ità quòd major natu præferatur minori, servatà sexus prærogativà*. Consequens igitur quòd testator excepto primo gradu, in quo per fideicommissum speciale, masculo lineæ inferioris concessit prælationem; per universum fideicommissum indubitabiliter regularem primogenituram ordinare intellexit, & masculis limitatam prælationem concedere, nempe existentibus in eadem linea & gradu. Unde, quia sumus in descendentibus ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi, & in concursu filiæ ultimi possessoris, nempe Dominæ Clientis cum Domino Duce S. Joannis agnato remotiore, de Dñæ Clientis justitia amplius dubitari non valet.

Ac tandem, concludendum est, quòd si vera sunt (ut vera esse nemo nostratum unquam dubitavit) quæ pro successione Statùs Paternionis fuerunt examinata in materia clausulæ juris francorum, quæ in omnibus regulari primogenituræ assimilatur, & præsertim *ante capitula novissima*, quo tempore nostrum fideicommissum conditum est; verissimum esse debet, quòd in nostra dispositione atque in præsenti successione regularis primogenitura locum obtinere debeat. In terminis equidem † clausulæ juris francorum, 96
vulgaris conclusio circumfertur, quòd ipsa per modum regulæ posita, universam regat dispositionem, &, caudam habens serpentinam, ad se trahat quamcunque contrariam agnationis conjecturam: quinimo, ut ipsa in universa dispositione locum habeat, possunt etiam verba dispositionis impropriari. Vel demum † ut clau- 97
sula salvetur, & salvetur etiam agnationis contemplatio, debet omnino dispositio conciliari, ut unaquæque ex eis in suo casu locum habeat.

Jam

Verùm a me non quæritur, 98 utrùm † clausula *servatâ sexûs prærogativâ*, in nostra dispositione per modum regulæ apposita, universum regat fideicommissum, an ad se trahat contrarias conjecturas, sicut etiam an verba debeant impropriari; quoniam id in praxim deduci posse, etiam in terminis primogenii regularis, ultra citatos in discursu successionis Statùs Paternionis, affirmant Palma *decis. Lucens. 262. n. 13. Et alii penès eum*. Sed in hoc tantùm, Sapientissimi Judices, efficacissimè insisto, quòd, illæsâ manente fideicommissi literâ ac mente testatoris undique adimpletâ, punctus (si necessitas postulabit, cùm ad ornatum, ut vidistis, super hoc fideicommisso scriptum sit) eo modo veniat terminandus, quo universa dispositio conciliari valeat. Et quidem nè expressa regularis primogenitura, ut ità dicam, convellatur; pro fideicommisso regulari in universùm pronunciandum est. Verùm pro casu mortis (si forsitan accidisset) sine filiis masculis Comitis Guglielmi primò instituti, pro agnatione quidem contra fœminam punctus 99 decidendus esset. Ità enim † ubi in fideicommisso clausulæ contrariæ accedant, quæ possint in diversis casibus verificari, agendum esse docuit Illustris de Drago *in causa Hyeracis §. 6. a n. 333. & seq. usque ad finem, & nonnulli apud eum*. Siquidem in eo tantùm casu (ut Illustris Præses, in eadem causa videtur sustinuisse) clausula juris francorum despicitur, in quo evidentissimè compertum sit, testatorem usque adeò agnationi prospexisse; ut non ad alium finem clausulam dilexerit, nisi ad denotandam feudi & successoris individuitatem. Quod sanè in casu nostro non concurrit, quoniam nedum non agitur de expressa agnatione, imò verò de expressa regulari primogenitura. Adeout sicuti ratio motiva prædictæ limitationis ea est, quòd in casu claræ agnationis expressum vincere debeat tacitum; ità in casu nostro expressa regularis primogenitura debet quamcunque tacitam & restrictam agnationem antecellere.

Sed vos ampliùs, optimi Patres, per longam fideicommissi interpretationem tædio afficere, superfluum existimo: quippe Comes Matthæus nec disponendi facultatem habebat, ut dictum est, neque unquam decessit sub testamento, in quo examinatum fideicommissum ordinatum fuisse, supponit Adversarius, nec sub alio, quod condere inceperat, & quod Comes Guglielmus Raymundus primogenitus ex filiali obligatione executus est; sed ab intestato quidem, ut omnia in facto vidistis, humana reliquit.

Decessit inquam absque testamento Comes Matthæus I. eique in Comitatu Augustæ ab intestato successit Comes Guglielmus Raymundus III. suus primogenitus, ut ipsemet C. Guglielmus affirmat in assignatione sororibus suis Joannæ, Elviræ & Constantiæ facta in Civitate Barchi-

chinonæ anno 1390. pro dotibus de paragio eisdem super Comitatu competentibus. *Quinimò* (ait Comes Guglielmus) *secundùm jus & consuetudinem dicti Regni, nos eidem Domino Patri nostro successimus ab intestato, fuimusque facti, tanquam priores & majores natu cæteris filiis, ejus universales hæredes*.

Cui quidem assertioni Comitis Guglielmi Raymundi proculdu-
100 bio standum est, quippe † filii testatoris credendi sunt, cùm deponere videantur super eo, quod iis accidit in rebus a proprio patre gestis: ut in simili rectè considerat Riminald. Sen. *cons.* 331. *a n.* 19. *& seq. to.* 2. Torre *de majorat. p.* 2. *cap.* 39. *n.*203. *vers. ad corroborationem prædictorum*. Rota *rec. par.* 18. *decis.* 302. *num.* 1. *& seq.* Standum est, inquam, assertioni C. Guglielmi Raymundi, quo-
101 niam † hoc Comes Guglielmus contra semetipsum affirmat. Magis enim erat Comitem Matthęum patrem decessisse sub testamento facto eodem anno 1359. in quo Comes Guglielmus fuerat ipse solus hæres universalis institutus, quàm ab intestato, unde secum omnes alii fratres & sorores in allodialibus succedere debuissent. *Doctores communiter*. Quinimo ità videtur fuisse exequutum, ubi Comes Guglielmus per memoratam assignationem, se titulo successionis ab intestato Comitatum possedisse, testatur. Observantia enim
102 † effectivæ successionis in filiis, quia pater mortuus est ab intestato, facit præsumere testamenti revocationem, præcedentibus solemnitatibus, quæ de jure requiruntur: ut, præter Riminaldum Torre & Rotam supra citatos, affirmat Ludovis. *decis.* 446. *in fine*.
A qua † sanè observantia in 103
præsenti judicio possessorio summariissimo recedendum non est: cùm res in eo statu debeat conservari, in quo reperiebatur tempore mortis ultimi defuncti, penès quem successio medio suorum antecessorum ità pervenit: ut in principio discursùs dicebam ex Patribus ibi allegatis, atque ex *Doctoribus passim*.

Verùm plura in contrariùm adducit Adversarius, ex quibus conclamat, Comitem Matthæum decessisse sub prædicto testamento anni 1359. Et primum in eo consistit, quòd anno prædicto 1390. ante factam a Comite Guglielmo Raymundo III. sororibus assignationem, tam ipsæ quàm Comes Antonius & Petrus earum fratres, necnon & Comitissa Allegrantia eorum omnium mater, Comitissæ Stephaniæ secundæ uxori ejusdem Comitis Guglielmi, amplam, etiam Barchinonæ, fecerunt donationem omnium & singulorum bonorum mobilium in Regno Siciliæ existentium, quæ ex successione ejusdem Comitis Matthæi olim eorum patris, atque ex successione quorumcunque filiorum & filiarum ejusdem cum testamento vel ab intestato ad eos pertinerent. In qua quidem donatione proprium genitorem cum testamento decessisse, ipsimet testantur per sequentem reservationem.

Salvamus etiam, & nobis retinemus expresiè ad cautelam, quòd per prædicta non fiat nobis seu alteri nostrum, præjudicium aliquod sive derogatio tacitè vel expresè, in quibuscunque substitutionibus & vinculis in testamento dicti nobilis Matthæi de Montecateno, & in testamentis etiam aliarum quarumcunque personarum in favorem nostrùm seu alicujus nostrùm appositis seu adjectis. Imò ipsæ substitutiones & vincula in suis remaneant robore & valore: præsenti instrumento in aliquo non obstante. Prædictis tamen per nos ut supra, ut præfertur, donatis vobis & successoribus universis in eisdem, semper remanentibus salvis.

Secundum in eo consistit, quòd Comes Antonius, in paterni testamenti exequutionem in Adernione institutus, eodem Comitatu defactò potitus est.

Tertium ex eo procedit, quòd memoratum testamentum anno 1396. instante eodem Comite Antonio, fuit a Regibus Martino juniore & seniore cum expresso privilegio confirmatum.

Et quartum denique ex eo resultat, quòd Comes Guglielmus anno 1359. quo conditum fuit idem testamentum, erat infans annorum trium: proindeque anno 1390. quo fuit facta asignatio, quando dixit, Patris succesionem fuise ab intestato, paternum testamentum ignorabat.

Verùm tamen hæc omni prorsus carent subsistentiâ: & quidem primum, quoniam testamenti enunciatio, absente Comite Guglielmo Raymundo, a matre, fratribus & sororibus facta in eadem donatione, in qua ab ipsis salvantur propriæ substitutiones, referri non potest ad testamentum anni 1359. sed referri debet ad alterum, quod C. Matthæus condere incæpit, sed non perfecit. Certum equidem est, quòd existat alterum testamentum, quod ab ipso C. Matthæo conditum fuit: ipsum enim enunciat Comes Guglielmus in recitata asignatione facta suis sororibus, & sorores non negant, quinimò illud ex filiali reverentia & fraternali amore, non obstante quòd obligatus non eset, idem Comes Guglielmus exequutus est, ut verba hæc asignationis ostendunt.

Considerantes plurima & diversa, quæ egregius & magnificus Dominus Matthæus de Montecateno Comes Augustæ & Adernionis, genitor & dominus noster memoriæ recolendæ, fuit, dum agebat in humanis, colloquutus & alloquutus nobis, de ac super dispositione bonorum & jurium suorum per ipsum incboatà fieri ac dictari, servandà per & inter filios ejus postquam ipse decederet ab humanis, quæ tamen, ipso morte prævento non potuit per scripturam publicam seu authenticam aut aliud legitimum documentum validari, neque per consequens in iis, quæ ac prout nos ab illo personaliter audiveramus & sciebamus, finem seu effectum assequi peroptatum. &c. Et inferiùs. *Cùm itaque circa exequutionem eorum, quæ super ipsa dispositione fienda personaliter vidimus, & oretenus audivimus & scivimus*

vimus ab eodem, nostrum inducant animum nedum servanda religio veritatis & debitum reverentia paternalis, verùm etiam vinculum obedientia filialis, & zelus fraterna commoditatis ex charitatis fornace procedens. &c.

Certum est etiam quòd in antecedenti donatione, quam fecerunt Comitissæ Stephaniæ supradicti fratres & sorores, dicant donatores, mobilia donata ad se pertinere ex institutione ejusdem Comitis Matthæi. *Omnes* (sunt verba donationis) *& singulos sclavos & sclavas, equos, confinos, mulos, boves, vaccas, oves, muntones, porcos, argentum, arnesia, pecunia, lapides pretiosos, perulas, pannos serici, & omnia & singula alia bona mobilia cujuscunque fuerint speciei, quos quas & qua nos conjunctim vel divisim, tam ex successione dicti nobilis Matthai de Montecateno & quorumcunque filiorum & filiarum ejusdem cum testamento vel ab intestato defunctorum, quàm aliter quibusvis aliis juribus, titulis, rationibus sive causa habemus & possidemus, sive habere & possidere debemus, infra dictum Regnum Sicilia.*

Et demum compertum est, quòd iidem fratres & sorores in memorata donatione sibi reservant substitutiones, quæ continentur in testamento Comitis Matthæi proprii genitoris. Quare ipsi donantes de secundo testamento, loquuti sunt, quippe loquuti sunt de testamento, in quo mobilibus fuerant honorati. Quod cùm verificari non possit, nisi in secundo testamento, quoniam in testamento anni 1359. mobilia illis a genitore relicta non fuerunt; consequens est, quòd testamentum, quod enunciarunt, non fuit illud anni 1359. sed aliud, cui Comes Matthæus finem non imposuerat.

Et profectò relationem ad memoratum testamentum fuisse factam, nemo unquam negabit. Cùm enim desiderassent donatores, observandam dictam dispositionem tanquam inter filios factam, atque ipsis forsan favorabiliorem, quia fortè testamentum solùm ratione solemnitatis prætendebant imperfectum; recto jure in actu a semetipsis facto absente fratre privignove, ad illud se referre debuerunt, ne imposterum præjudicati remanerent: ubi verò frater eis fecit dotium assignationem, intestatam successionem non negarunt.

Refellitur secundum, quoniam Comes Antonius, aliunde quàm ex dicto testamento, Adernionis Comitatum habuerat, nempe per donationem sibi factam a Comite Matthæo suo genitore anno 1358. ut in facto videtur adnotatum. Refellitur etiam, quippe eodem anno & die, quo fuit celebratum sæpius repetitæ assignationis instrumentum, ei cesserat Comes Guglielmus Raymundus ejus frater primogenitus, Adernionis Comitatum & omnia alia bona, quæ olim fuerant quondam Comiti Matthæi de Sclafano, in quibus dictus Comes Antonius in asserto testamento anni 1359. a Comite Matthæo de Montecateno suo genitore non fuerat institu-

tus, ut in ipsamet assignatione enunciatum habetur his verbis. *Quoniam sub tali conditione concessimus atque dedimus eidem egregio Antonio, jus quodcunque nobis pertinens in ac super dicto Comitatu Adernionis & de Centorbi, & in & super omnibus & singulis castris & locis, quæ fuerunt egregii Domini Matthæi de Sclafano (bonæ memoriæ) avi dicti Domini patris & proavi nostri, prout in instrumento publico inde acto, loco, die & anno, quibus præsens conficitur instrumentum, ac in posse Notarii infrascripti pleniùs continetur.*

Impugnatur tertium, nam testamentum, quod Reges favore Comitis Antonii confirmarunt in privilegio anni 1396. fuit quidem C. Matthæi, sed C. Matthæi de Sclafano, non autem de Montecateno: siquidem verba, quibus Comes Antonius in precibus, & Reges in testamenti confirmatione sese declarant, id evidentissimè manifestant. Dicitur enim: *Etiamsì quondam Matthæus de Sclafano Comes Adernionis, eidem Comiti Antonio per suum testamentum legasset certam hæreditatem ac Comitatum & Castra, juxta ipsius Matthæi de Sclafano Comitis testamenti continentiam & tenorem, indigeat idem Comes Antonius confirmatione nostrarum Majestatum &c.* Et paulò inferiùs. *Prædicto nobili Antonio Comiti supplicanti, & ipsius hæredibus & successoribus in perpetuùm, omnes & singulas scripturas, donationes, gratias, concessiones & institutiones, seu legatum testamenti dicti Comitis Matthæi, sibi & suis successoribus, sic, ut supra dicitur, factas, juxta ipsarum series & tenores confirmamus.*

Porrò ex verbis prædictis, Comitem Antonium de proavi & non de patris testamento loquutum fuisse, literale videtur: quoniam expressè petita est confirmatio testamenti, non quidem Comitis Matthæi de Montecateno, sed quondam Matthæi de Sclafano Comitis Adernionis. Et quamvis subtilissimè replicetur, quòd Comes Matthæus de Montecateno, ex præcepto quondam Comitis Matthæi de Sclafano, ejus cognomen assumere debuit, unde, quia agebatur de Comitatu Adernionis, qui ex illius hæreditate procedebat, Comes Antonius sub cognomine de Sclafano patrem appellavit; nihilominus perspicacissima hæc speculatio ex infrascriptis eliditur.

Et quidem primò, quia Comes Matthæus de Montecateno per suum titulum principalem nuncupabatur Comes Augustæ, non autem Adernionis: sed in prædicto privilegio Comes tantùm Adernionis dictus est, ut dicebatur Comes Matthæus de Sclafano, cujus principalis titulus erat ille Comitatus Adernionis.

Secundò eliditur, quia inibi non quidem loquebatur Comes Matthæus de Montecateno (qui si de Sclafano non diceretur, præceptum impugnaret) sed Comes Antonius filius, cujus nihil intererat, si paterna præcepti vel transgressio vel implementum resultaret.

Ter-

Tertiò. Si de Comite Matthæo de Monteeateno Comes Antonius loquutus esset; illum non solùm Comitem Matthæum de Sclafano, sed patrem suum, imò etiam se illius filium esse, affirmasset. Quod si non observavit; consequens ergo, quòd de C. Matthæo de Monteeateno suo genitore non loquebatur: cùm difficile sit, quem proprium parentem nominare, & paternam qualitatem non referre.

Quartò. Non dicitur Comes Antonius a Comite Matthæo institutus in Comitatu Adernionis, ut in testamento Comitis Matthæi de Montecateno anno 1359. servatum erat; sed in certa hæreditate, Comitatu & Castris. Quod tantùm Comiti Matthæo de Sclafano poterat applicari, quia sub judice lis erat, quibusnam in bonis Peraltæ alii nepotes, & in quibus Montecateni succedere debebant?

Quintò. Quia si verum esset, quòd Comes Antonius, ut adimpleret præceptum Comitis Matthæi de Sclafano indictum omnibus ejus descendentibus, Comitem Matthæum suum genitorem de Sclafano & non de Montecateno nuncupasset; sequeretur, quòd ex una parte Comes Antonius pro patre præceptum proavi religiosè observasset, respectu tamen sui ipsius illud neglexisset: quia in relato privilegio ipse Comes Antonius etiam descendens a Comite Matthæo de Sclafano, & qui debebat præceptum observare, de Montecateno quidem, non autem de Sclafano nuncupatus est.

Sextò. Quia testamentum non kalendatur eum die & consule, sed exponitur per vagam enunciativam, quod ad testamentum Comitis Matthæi de Sclafano referri debet: quæstio enim erat inter Peraltas & Monteeatenos, cuinam ex tribus testamentis Comitis Matthæi de Sclafano, primis nempe favore Monteeatenorum, an verò posteriori favore Peraltarum standum esset? Sed opponitur, quòd scilicet in dicto privilegio dicitur, quòd Comes Matthæus Comiti Antonio legatum fecit seu institutionem. Quod quidem de Comite Matthæo de Montecateno verificatur, quoniam Comes Matthæus de Sclafano Comitem Antonium non instituit. Verùm eò ipsò, quòd jure proprio Comes Antonius succedere intendebat ex renunciatione Comitis Guglielmi Raymundi fratris sui primogeniti, & hæreditatem a manu fideicommittentis & non hæredis gravati recipere; rectè dixit, legatum sive institutionem a proavo factam esse, & non a suo genitore. Mediatè enim ab illo factam fuisse, quisque affirmabit, si dicere unquam fas erit, quòd eo modo Comiti Antonio placuit propriam Comitatùs pertinentiam referre, etsì etiam malè vel erroneè proprium titulum expendisset.

Et tandem elíditur ultimum: nam, quidquid sit, an Comes Guglielmus Raymundus tempore conditi testamenti anni 1359. minor

nor fuerit annorum trium, tempore autem mortis Comitis Matthæi patris, major extiterit, etsi ut ipse dicit, de ejus ultima voluntate cum eo fuit colloquutus; omnis verisimilitudo suadet, quòd filio pater etiam antiquum testamentum patefecit. Ut, dicto suo primogenito propriam dispositionem aperuisse testatorem, convincit ea circumstantia, qua vult Adversarius, alios filios de paterno testamento certioratos fuisse, ubi prætendit, eos ad testamentum anni 1359. se retulisse in donatione a Comitissa Allegrantia atque ab ejus filiis facta Comitissæ Stephaniæ. Si enim cum aliis filiis de eo testamento sermonem fecit, multò magis credendum est, quòd cum C. Guglielmo primogenito, discursum super illo instituit.

Jam verò ut nullus prorsus remaneat hæsitationi locus, duos actùs solemnissimos post omnes antecedentes referam. Et primus quidem est, actus cujusdam sententiæ atque adjudicationis Baroniæ de *China*, quam in Regno Valentiæ possidebat Comes Guglielmus Raymundus III. utì vir Beatricis Alagòna olim suæ primæ uxoris, & quæ sequuta est ad instantiam Comitis Antonii, & ad instantiam fratris & sororum ejusdem C. Guglielmi anno 1391. in Civitate Barchinonæ. Creditum enim, pro quo favore Comitis Antonii & consortium processit sententia & adjudicatio, prætensum & obtentum est contra Comitem Guglielmum ab actoribus utì hæredibus Comitis Matthæi eorum patris, ut id testatur U.J.D. Joannes Philippus Ferrara *in Commentariis Comitatùs Caltanissettæ lib. 3.* hisce verbis. *Anno eodem* (nempe 1402.) *Antonius Montecatenus, aliàs de Sclafano, ejusque fratres ac sorores, quoniam olim, dum in Catalonia ac Valentia degerent ac morarentur, cum Guglielmo Raymundo fratre eorum, litem fecerant* tanquam hæredes Matthæi Comitis eorum patris; *certis ex causis ac rationibus, in eaque lite, in eorum favorem sententiam reportaverant. Pro cujus exequutione ad eorum petitionem & instantiam fuerat de Baronia de* China, *ut dictum fuit supra, facta inde illis adjudicatio: ac constabat instrumento (de decreto & sententia prædicta) olim facto Valentiæ, ac in eadem Civitate in publicam formam translato per manus* Notarii Antonii Goverii *dictæ Civitatis anno prædicto* 1402. *Propterea instrumentum illud denuò in Civitate eadem transumptari fecerunt, ut ex eo transumptato & in publicam formam redacto apparet.* Quod manifestè confirmat, nullam prorsus exequutionem meruisse testamentum anni 1359. In eo enim ipsi fratres, scripti hæredes non fuerant, sed solus Comes Guglielmus primogenitus & eo tempore natus.

Secundus verò ille est, anno 1397. de Regis mandato & cum ejus confirmatione stipulatus. Ad cujus tenorem ad evidentiam demonstratur, C. Matthæum sub prædicto testamento anni 1359. non decessisse, sed ab inteftato, vel sub illa dispositione imperfecta,

cta; quam Comes Guglielmus Raymundus ejus primogenitus, cùm obligatus non esset, exequutus est. Siquidem Comes Guglielmus prædictus, Comes Antonius, Petrus, Joanna quæ uxor erat Hiaymi de Prades, Elvira quæ uxor erat Comitis Antonii de Vigintimilliis, & Constantia quæ fuit postmodùm uxor Blasci de Alagòna omnes simul fratres & sorores, ad sedandas diuturnas lites, quas cum Peraltis ipsi & Comes Matthæus eorum communis pater habuerant super bonis, quæ olim fuerant quondam Comitis Matthæi de Sclafano eorum omnium proavi, utì patris quondam Comitissæ Margaritæ, quæ uxor fuit quondam Comitis Guglielmi Raymundi II. & mater Comitis Matthæi eorum omnium genitoris, *anno* 1397. *die octavo Octobris* de Regis mandato finalem transactionem celebrarunt (quæ quidem fuit postea a Rege confirmata) atque in ea declarant, sese omnes Comiti Matthæo proprio genitori ab intestato successisse. Unde hujusmodi titulo in actu ejusdem transactionis interveniunt: *Inter magnificum & potentem Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno Marchionem Melitæ, Comitem Augustæ & Nuvariæ, Regni Siciliæ Magistrum Justitiarium & Magnum Comestabilem, ac etiam magnificos & egregios Dominum Comitem Antonium, Dominum Petrum de Montecateno, magnificas & egregias Dominam Joannam uxorem magnifici & potentis Domini Jaymi de Prades, Dominam Comitissam Elviram uxorem magnifici & egregii Domini Comitis Antonii de Vigintimilliis, & Dominam Constantiam de Montecateno fratres & sorores, tanquam filios & hæredes & successores quondam magnifici & egregii Matthæi de Montecateno ex una parte: & magnificum & potentem Dominum Nicolaum de Peralta &c.*

Quinimo tam feudalia bona quàm burgensatica, quæ ex hæreditate quondam Comitis Matthæi de Sclafano penès se remanserant, ea quidem utì filii, hæredes & successores, atque ex pacto & providentia Principis receperunt: ea verò Peraltis concesserunt, quæ de hæreditate Peraltæ penès se usque ad illum diem retinuerant. Si autem filii omnes prædicti ab intestato patri non successissent; non omnes, sed solus Comes Guglielmus Raymundus in actu intervenisset utì hæres universalis, sibique soli bona etiam allodialia applicanda esse, curasset. Et quòd magis, ipse Comes Guglielmus Procuratorium fratris & sororum, qui in ipsa procuratione intervenerant utì filii & hæredes Comitis Matthæi, neque acceptasset, neque ipso Procuratorio usus esset in transactione stipulata cum Peraltis, ut usus est, cùm inibi utì eorum procurator intervenit.

Et tandem Comes Matthæus non decessit sub testamento a Parte opposito, quoniam de ipso Comes Matthæus II. nullam fecit mentionem pro successione Comitatùs Augustæ, quam habuit vi-

vigore regiorum privilegiorum, & præsertim in privilegio, quod confirmat permutationem insularum Melitæ & Gaudisii cum dicto Comitatu Augustæ anno 1404. cum inserto tenore memoratorum privilegiorum anni 1365.& 1373. Nec aliquam fecit mentionem in privilegio Permutationis Comitatùs Augustæ cum Comitatu Caltanissettæ anno 1407.

Neque etiam testamentum Comitis Matthæi I. allegavit Comes Guglielmus Raymundus IV. filius Comitis Matthæi II. Is enim paternum testamentum a se approbatum impugnare studens (quoniam Comes Matthæus pater Comitatum sub onere nonnullorum ingentium legatorum eidem filio reliquens, eum legitimâ privavit, ut infra latiùs explicabitur) Comitis Matthæi I. avi sui fideicommisso se non præmunivit.

Neque unquam Comes Antonius hujus nominis Primus verbum ullum fecit de hujusmodi testamento. Ipse enim in successione nostri Comitatùs ex testamento ejusdem C. Matthæi II. Comitem Joannem Thomam usque adeò habuit contradictorem; ut opus fuerit, cum eo parum sibi favorabilem transactionem inire, ut in facto relatum est, & infra replicabitur. Innumeræ aliæ possent adjungi circumstantiæ, quæ pariter hujusmodi veritatem confirmarent, eas tamen amore brevitatis omittimus.

Cæterum ne tantummodo a posteriori, nempe per filiorum assertionem & observantiam, (quæ sufficientissima essent) controversi testamenti revocatio & mors ab intestato Comitis Matthæi probata remaneat, sed ut a priori, nempe per examen nonnullarum circumstantiarum (quas recensuimus in facto) degustetur; hujusmodi revocationem observabimus. Et quidem C. Matthæus I. post emensum quasi duorum decenniorum cursum, morti proximus, propriam manifestando voluntatem, pluries affirmavit, se nolle sub primo testamento decedere, ubi aliud condere incæperat, quod non perfecit. Juris autem est absolutissimi, † nudam 104
testatoris voluntatem, quamvis novum testamentum perfectum conditum non fuerit, juncto decennii lapsu (quidquid sit ubi tempus prædictum non intercesserit) satis sufficere ad revocandam antecedentem dispositionem, licèt antiquitus per solum decennii cursum testamenta infirmarentur. Ità decrevit Imperator in *l. sancimus C. de testam. Si autem testator*, subdit Justinianus, *tantummodò dixerit, non voluisse primum stare debere testamentum, vel, aliis verbis utendo, contrariam aperuerit voluntatem; &c.* Imò etiam jura conclamant, † hujusmodi re- 105
vocationem talem habere vim & efficaciam; ut primum testamentum neque per clausulam codicillarem sanari valeat, ut affirmat Gob. *consult.* 43. *n.* 18. *&* 19. *& quamplures inferiùs citandi.*

Sed replicat Adversarius, quòd imò ex eadem lege, revocati prioris testamenti probatio non resultat:

sultat: ibi enim nuda voluntas, de qua agitur, non minùs quàm tribus testibus probari debet. Atque ità concludit, hujusmodi revocationem nostro in casu non intercessisse, ubi nec Comes Guglielmus, nec alii Comitis Matthæi filii testentur, patrem illud revocare voluisse.

Sed in promptu est responsio,
106 quoniam † ex hoc tantùm, quòd testator aliud testamentum inchoavit (quamvis non perfecit, ut in casu nostro) memoratæ legis requisita fuisse per æquipollens adimpleta, primumque testamentum per lapsum decennii revocatum esse, concludunt Bart. *in l. si jure* 18. *ff. de legat.* 3. Vincent. *de* Anna *allegat.* 10. *num.* 1. Mart. *de success. legal. p.* 4. *quæst.*4. *artic.*1. *n.*28. Bellon. *de jure accrescendi cap.* 7. *quæst.* 50. *a n.* 9. *&* *præsertim n.* 23. Pappon. *Arrest. lib.* 20. *tit.* 1. *de testam. arrest.* 3. *per tot.* Luca *de testam. disc.*64.*per totum.* Marin. *quotidian. resol. lib.* 2. *cap.*226. *per totum.*

Secundò, fuisse in forma specifica legis præcepta observata, ex eo probatur, quòd ità dixit testator, se velle primum testamentum revocare; ut, cùm secundum perficere non potuerit, eum ab intestato decessisse, filii omnes testati sint, atque ità universi ejus successores observaverint. Si enim Comes Matthæus vel ante vel in actu secundi testamenti non manifestasset, se primum testamentum pro revocato habuisse; utiq; ejus filii parris mortem ab intestato non affirmassent. Argumentum † enim posterioris observantiæ, declarat, omnia ea requisita intervenisse, quæ de jure desiderantur *ex Doctoribus supra citatis*, & Ludovis. *decis.*460. *in fine.* Torre *de majorat. p.* 2. *cap.* 39. *n.* 203. *versic. ad corroborationem prædictorum.* 107

Et tertiò demum, † quamvis 108
nuda prædicta voluntas formiter non probaretur; semper nihilominus prioris testamenti revocatio concluderetur. In eo enim casu versamur, in quo primum Comitis Matthæi testamentum, nullum dici debebat ob præteritionem posthumorum, qui postea nati sunt. Quatenus enim concederetur, illud per clausulam codicillarem fuisse confirmatum; adhuc tamen fatentur communiter omnes, quòd, cùm ad illud revocandum quælibet sufficeret animi manifestatio, hæc proculdubio intercessit, si, sequutâ posthumorum nativitate, testator novam incæpit dispositionem: siquidem accedente legis operatione ac novitate, faciliùs revocatio inducitur. Mantic. *de conject. ultim. volunt. lib.* 12. *tit.* 1. *per tot. & præsertim a n.*23.*cum seq.* Menoch. *omnino legendus cons.*499. *per tot. præsertim n.*17. *versic.* 4. *& n.*26. *versic. non obstet.* 5. *vol.* 5. Decian. *cons.* 37. *n.* 23. *lib.* 1. Turrett. *de claus. codicill. quæst.*68. Gob. *citat. consult.* 43. *per totam.*

Et tandem † nostrum testamen- 109
tum ex posthumorum præteritione fuisse a sui principio nullum (si necessarium esset hujusmodi quæstionem in examen revocare)

nec negaret clausula codicillaris. Ipsa enim tunc demum testamenta sanare contendit, ubi ea nulla sunt ratione solemnitatis, non autem ob posthumi præteritionem. Bart. *in l. 1. num. 10. ff. de jur. codicill.* Merlin. *controv.* 78. *n.* 11. *lib.* 2. Costa *consf.* 64. *a n.* 33. *ad* 42. *& plerique apud eosdem*.

110 Vel † ubi posthumi præteritio scienter a testatore commissa sit, non autem cùm id ignoranter actum esse constat, prout in casu nostro: eo enim casu clausula codicillaris hujusmodi testamenta non defendit. Bart. *loco supra cit.* Jason. *in Auth. ex causa n.* 22. *& seq. C. de lib. præteritis.* Merlin. *de legitim. lib.* 5. *quæst.* 4. *tit.* 2. *n.* 11. Clarus *in §. testamentum quæst.* 46. *n.* 2. *versic. contrariam autem sententiam.* Vivius *decis.* 422. *num.* 8. Gratian. *discept.* 48. *n.* 13. Thesaur. *in addit. ad decis.* 141. *lit. A.* Tondut. *lib.* 1. *quæst. civil. resol.* 93. *n.* 5. *&* 6. Luca *de testam. disc.* 57. *n.* 7. *& disc.* 59. *n.* 60.

In omnem tamen eventum etiamsi C. Matthæus secundum testamentum conficere non incæpisset; adhuc a primo recessisse, credendum esset: ipse enim, cùm posthumi supervenissent, quos ignoranter prçterierat, primum testamentum nullum & revocatum

111 judicavit. Ipse, inquam, † C. Matthæus, Comitatum, de quo in testamento disposuerat, anno 1367. Comiti Guglielmo Raymundo III. propter nuptias donavit: &, cùm cogitasset casum mortis sine filiis masculis ejusdem Comitis Guglielmi, mandavit, Comitatum redire debere ad seipsum donantem, seu ad quem ipse disposuisset. Quod satis superque sufficere ad prioris testamenti revocationem & nullitatem, affirmant Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 32. *n.* 12. Tondut. *cit. resol.* 93. *n.* 6. Gob. *cit. consult.* 43. *n.* 11. *&* 12. ubi enim † testator, qui in suo te- 112 stamento posthumos præteriit, natis posthumis, per verba futuri temporis seu per verba futuram dispositionem importantia, quid faciendum disponendumque sibi reservát; clarissimè dicit, antecedens testamentum, quod scripserat, ob posthumorum nativitatem pro revocato habuisse. Luca *de testam. disc.* 63. *n.* 4.

Sit autem (per possibile) verum, quòd C. Matthæus Comitatum non possederit ex forma præsumpta cum clausula juris francorum, nec ex eadem antiqua clausula repetita in privilegiis annorum 1365. & 1373. sed quòd pro ea vice Comiti Guglielmo Raymundo II. suo genitori ab intestato ex clausula juris francorum successerit, sicuti Comes Guglielmus Raymundus II. successerat Comiti Guglielmo Raymundo I. suo genitori. & primo concessionario Comitatùs Augustæ in forma hæreditaria: vel quòd ipse Comes Matthæus successerit ex nova concessione contenta in eodem privilegio anni 1365. adeout primus dici debuerit vel formæ vel Comitatùs acquisitor: & quòd tandem ipse Comes Matthæus non ab intestato decesserit, sed cum prædicto testamento anni

ni 1359. & quòd fideicommissum ibi ab eo dispositum agnatitium sit. Non per hoc tamen quoad Comitatùs successionem, standum esset fideicommisso per ipsum Comitem Matthæum instituto in testamento anni 1359. sed standum est fideicommisso ab eodem ordinato in donatione propter nuptias facta Comiti Guglielmo Raymundo III. ejus primogenito sub anno 1367. quoniam prædictum fideicommissum in testamento ordinatum per hujusmodi actum inter vivos jam revocatum fuit, & aliud institutum est.

Porrò cùm ad tenorem hujus fideicommissi, a Comite donante mandatum fuisset, quòd si Comes donatarius decessisset liberis masculis ex dicto matrimonio relictis, ipsi filii masculi succedere in Comitatu debuissent, atque illum juxta juris dispositionem, & formam regiorum capitulorum habere; rectè sequitur, quòd omnes Comitis Guglielmi descendentes per clausulam juris francorum fuerint ad successionem admissi. Hæc sunt verba fideicommissi adjecti in dicta donatione. *Quòd si dictus Guglielmus Raymundus filius suus decederet, liberis masculis legitimis ex dicto matrimonio relictis; dicti filii masculi succedant in Comitatu prædicto, & ad dictos filios dictus Comitatus transeat: qui inter eos succedant in eo, ac dictum Comitatum habeant juxta juris dispositionem, & formam regiorum capitulorum.*

Adhuc tamen ex hujusmodi fideicommisso fœminarum exclusio ab Adversario prætenditur, quia videlicet filii tantùm masculi C. Guglielmi ad Comitatus successionem admissi sunt, atq; etiam quia filiæ fœminæ nedum ad successionem invitatæ non videntur, quinimo fuerunt expressè de paragio provisæ, ut transcriptum capitulum confestim prosequitur. *Si verò decederet filiis masculis ex dicto matrimonio non relictis, sed fœminis; quòd dictus Comitatus perveniat ad dictum magnificum Matthæum, seu ad quem dictus Matthæus disposuerit & voluerit: dictæque filiæ una vel plures ex dicto matrimonio susceptæ maritari debeant, & earum dotem habere ad earum conditionem & paragium per dictum magnificum Matthæum seu illum, ad quem dictus Comitatus pervenerit.*

Nihilominus insubsistens judicanda est Adversarii prætensio tum quoad illud, quod masculorum tantùm vocationem concernit, tum etiam quoad illud, quod pertinet ad fœminarum non-admissionem. Quò enim spectat ad volitam descendentium masculorum successionem, ea prætensio non sustinetur. Etenim etsi dictum fuerit a testatore, quòd filii masculi succedant; immediatè tamen qualitas illa subjuncta est, quòd filii masculi juxta juris dispositionem, & juxta formam regiorum capitulorum succedere debeant. Quod sanè importat, eorum successionem per clausulam juris francorum regulandam esse: quippe eadem jura masculorum successionem imponunt, sed,

in defectu masculorum in eadem linea & gradu, fœminas, ut sæpius dictum est, ad successionem admittunt.

Neque subsistit prætensio quoad non-vocationem filiarum Comitis Guglielmi in casu mortis sine filiis masculis earum genitoris: nulla enim per eam potest considerari nec generalis nec particularis fœminarum exclusio. Non quidem generalis: quoniam, quidquid sit in casu mortis sine filiis masculis Comitis Guglielmi (de quo mox agendum est;) in aliis casibus jam ad successionem admissæ sunt, ex eo, quòd omnibus dicti Comitis Guglielmi liberis Comitatus relictus est juxta juris formam & regiorum capitulorum dispositionem: talis autem substitutio, ut dictum est, fœminarum successionem includit, earumq; admissionem expresè convincit. Non particularis: quoniam, etsì, rebus in eo statu permanentibus, filiæ fœminæ Comitis Guglielmi non fuerint ad successionem invitatæ; nihilominus ipsæ exclusæ non fuerunt: adeout si casus dedisset, quòd Comes Guglielmus sine filiis masculis decessisset, & ipse Comes Matthæus alios filios masculos non reliquisset; utique ipsæmet fœminæ, quas ad paragium maritandas jusserat, succedere proculdubio debuissent vel ex dispositione *textùs in l. cum avus & l. cum acutissimi*, ut demonstrabimus in sequenti discursu super successione Comitatùs Adernionis, vel quia, ex jure disponendi in memorata donatione reservato, eas instituisset ipsemet Comes Matthæus earum avus. Is enim eatenus feudali successione eas non honoravit; quatenus alios filios masculos sperabat, vel defactò habebat (quia forsitan eo tempore Comes Antonius jam natus erat) non autem quia easdem odio habebat.

Et tandem concludendo dicimus, quòd fideicommissum Comitis Matthæi in recensita donatione ordinatum, ex his, quæ scripta sunt pro fideicommisso ejusdem Comitis Matthæi adjecto in recitato testamento, temporale judicandum esset. Supponit enim Comes donator suam superviventiam post mortem Comitis Guglielmi sui primogeniti. Quod brevì, non autem post longum temporis intervallum (quod erat ad fideicommissi perpetuitatem necessarium) evenire poterat: & sic ex illo fideicommisso filii dumtaxat primi gradùs Comitis Guglielmi vocati censeri debent. Unde, quia ex prædicto Comite Guglielmo natus est Comes Matthæus II. (qui ad restitutionem favore ejus descendentium, ut sæpius dictum est, non erat astrictus): & quia mandavit ipse Comes Matthæus II. descendentes suos per regularem primogenituram & per expressam clausulam juris francorum succedere debere; Dominam Clientem nedum ex forma præsumpta, ut in prima parte dictum est, verùm etiam per expressam clausulam juris francorum, atque ex dispo-

sitione

ſitione ſuorum anteceſsorum, eſſe ad ſucceſſionem admittendam, recto jure pro hac ſecunda parte concludimus.

Pro coronide tamen proteſtari fas eſt, quòd Comes Guglielmus Comiti Matthæo ſuo genitori ex prædicta donatione ſucceſſit. Ità enim ipſemet Comes Guglielmus in ſuo, quod impugnamus, teſtamento per hæc verba declarat: *Item volumus & mandamus, quòd ſi aliqua debita apparere, contigerit, contracta per magnificum genitorem noſtrum reverendum, debeant ſolvi ſuper bonis, quæ ad nos pervenerunt ex ſucceſſione, ſeu ex donatione per eum facta.*

Alterum etiam neceſse eſt proteſtari, quod nec teſtamentum Comitis Matthæi, nec donatio propter nuptias ab ipſo Comite Matthæo I. facta Comiti Guglielmo Raymundo III. ejus primogenito, neque alia inſtrumenta, ſuper quibus in præſenti diſcurſu ſermo factus eſt, originalia ſunt; ſed tantùm habentur quædam copiarum copiæ in Archivio domùs exiſtentes. Illud tantùm originale eſt & quod in regia Cancellaria conſervatur, ſcilicet privilegium anni 1365. & 1373. in quibus continetur clauſula juris francorum per omnes effectùs declarata.

Et denique venit omnino advertendum, quòd examen præmiſsorum, nempe formæ Comitatùs Auguſtæ aſsertæ hæreditariæ, & prætenſæ relatæ in privilegio anni 1365. examen mortis ab inteſtato Comitum Guglielmi I. & II. examen fideicommiſſi Comitis Matthæi adjecti vel in prædicto teſtamento vel in memorata donatione, atque examen mortis ab inteſtato ipſius Comitis Matthæi, in gratiam Adverſarii factum eſt, utque omnia ab eo propoſita reprobentur. Sed in eo ſemper conſtanter inſiſtimus, quòd, ex Regni capitulis, ſemelac non conſtat de principali conceſſionis privilegio, forma cum clauſula juris francorum præſumenda eſt, & quòd in caſu noſtro non valet de ipſa forma cum clauſula juris francorum dubitari. Expreſsum enim habetur Regis oraculum, & manifeſta declaratio in privilegiis authenticis, ut ſupra dictum eſt, & in regia Cancellaria regiſtratis, ſcilicet anni 1365. & 1373. quòd forma Comitatùs Auguſtæ, quia ejus Permutatio cum Comitatu Melitæ & Gaudiſii atque alia antiquiora privilegia deperdita erant, in forma ſtricta & cum clauſula juris francorum intelligi debeat. Quare Comes Guglielmus, principaliter, non ex recitata donatione, ſed ex ſucceſſione Comitis Matthæi ſui genitoris, nempe jure proprio Auguſtæ Comitatum habuit, ut ipſe Comes Guglielmus in tranſcripto ſui teſtamenti capitulo pariter manifeſtat. Atq; ex evidentiſſimo poteſtatis defectu, attendendæ non ſunt quæcunque poſſeſsorum diſpoſitiones; cùm neque minimum perſonis in dictis privilegiis per clauſulam juris francorum contemplatis, neque ullum penitus Dominæ Clienti filiæ ultimi poſſeſſoris præjudicium inferri poſſit.

DI-

DISCURSUS PRIMI
PARS TERTIA.

De defectu potestatis Comitis Guglielmi Raymundi III. qui non judicandus novus Comitatùs acquisitor: atque de non observando ejus fideicommisso, in quo non Agnatio, sed pura Masculinitas consideratur, etiam quia, ut regia firmant privilegia, in delicto decessit.

SUMMARIUM.

Feuda a Vasallis ante bellum possessa, & postea in bello ab hostibus occupata, istis debellatis, penès Vasallos remanent jure antiqui feudi. n. 1.

Formæ antiquæ feudi ubi a Regibus in novis concessionibus expressè derogatum non est, nunquam ab ea recessum videtur. n. 2.

Derogatio privilegii ad hoc ut valeat, debet esse expressa & principaliter facta in novo privilegio, nec sufficit tacita, vel quæ in consequentiam resultet. n. 3.

Facultas disponendi de feudo antiquo concessa a Rege in clausulis exequutivis privilegii confirmationis, non alterat naturam antiqui feudi, sed juxta juris formam venit regulanda. n. 4.

Facultas disponendi de antiquo feudo Vasallo a Rege concessa in quem voluerit, censetur restricta ad personas in antiqua investitura comprehensas. n. 5.

Fortiùs si apparet concessa omnibus successoribus in feudo. n. 6.

Facultas disponendi concessa a Rege in confirmatione antiqui feudi, ubi aliquid additum vel aggregatum apparet, super aggregationibus sustinetur, non autem super feudo confirmato. n. 7.

Forma feudi antiqua non potest à Rege mutari in præjudicium contemplatorum in prima investitura, etiam accedente Vasalli consensu. n. 8.

Rex, per quacumque amplissima verba in privilegiis apposita, nunquam videtur, voluisse juri alicui tertio quæsito præjudicium inferre, imò in expressis potiùs præsumitur à partibus circumventus. n. 9.

Antiquæ formæ mutatio vel alteratio quatenus sustineretur pro bonis feudo aggregatis, intelligenda esset, manentibus ipsis bonis in linea successorum, aliàs antiqua forma vulnerata non remanet contra eos, qui in ea contemplati sunt. n. 10.

Expenduntur Regis Martini Capitula 48. & 49. *super probatione ac modo procedendi in delictis lesæ majestatis. num. 11. & 12.*

Pro-

Probatio requisita per dictum Capit. 49. *limitatur in delictis notoriis & facti permanentis ad formam praecedentis* Capit. 48. *n.* 13.



Ictâ jam & undique debellatâ agnatione, atque iis in gratiam Partis examinatis,quæ nullo prorsus examine digna erant; nihil aliud, nisi victoriæ palmam colligere superesset: sed nunc bellum incipere, inquit Adversarius. Dicit enim, quòd, quidquid hactenus dictum sit de clausula juris francorum in præsenti successione observanda, vel ex forma præsumpta per Regni *Capitula*, vel per formam expressam contentam in privilegiis Regis Federici; eadem clausula locum ampliùs habere non potest: siquidem Comes Guglielmus Raymundus III. Comitatu a Regis inimicis spoliatus, illum propriis sumptibus acquisivit. Proindeque concludit, quòd, cùm Comes Guglielmus uti primus illius quæsitor, agnatitium fideicommissum instituerit, ex hoc Domino Duci Sancti Joannis, non verò Dominæ Clienti certaminis triumphus decernendus est.

Quòd autem Comes Guglielmus primus Comitatùs quæsitor reputandus sit, ex hoc probare contendit, quòd, defuncto anno 1377. sine filiis masculis Rege Federico III. in hoc Siciliæ Regno, eidem utì unica filia atque ex paterno testamento successit Regina Maria. Quam, cùm sub propria tutela Artalis de Alagona Mistrettæ Comes & Regni Vicarius relictam habuisset; volens Tutor Reginam Joanni Galeatio Virtutum Comiti nuptui tradere, in Arce Ursina Catinensi quasi captivam detinebat. Quod cùm ægrè ferret Manfredus Claramontius Motycæ Comes atque omnes ipsius adhærentes, inter quos noster Comes Guglielmus Raymundus Tertius; hic, dum Comes Artalis Messanæ cum Regia Curia morabatur, Reginam noctu rapuit, eamque ad Castrum Augustæ, quæ suæ ditionis erat, exindeque ad illud Alicatæ,quod Claramontio parebat, asportavit, quasi a tyranni manibus liberando. Tandem verò Regina Barchinonam transvecta, ibi nuptias contraxit cum Martino Exericæ Comite, ac filio Martini Ducis Montisalbi, qui Regis Joannis Aragonensis germanus frater erat, ac Regis Petri filius. Cùm autem Comes Guglielmus ad effugiendam iram Comitis Artalis eique adhærentium, in partibus Cataloniæ cum uxore, filiis, fratribus atque universâ familiâ moram faceret; C. Artalis Augustæ Comitatum occupasse fertur. Quem demum Comes Guglielmus recuperasse dicitur, ubi post aliquot annos in Regnum venit, & rebelles profligavit: quin etiam feuda vendidit, quæ in Regno Valentiæ possidebat, quorum pretium in Regum servitium erogavit, nempe ut arma pararet, propriasque copias in bello contra rebelles sustentaret.

Jam

Jam verò ex hoc infert Adversarius, quòd Comes Guglielmus haud ampliùs ex avitis privilegiis Comitatùs possessor dici debeat, sed propriâ industriâ, labore & pecunia illum quæsiisse: unde concludit, quòd ipsius successores obtemperare debeant legi ab eo impositæ, tanquam a primo Comitatùs acquisitore.

Sed ex antedictis assumpti probatio minimè resultat, quippe nec pro Regum servitio Comes Guglielmus Augustæ Comitatum amisit, neque unquam propriis sumptibus recuperavit: &, si quid fortè a Comite in Reginæ servitium actum videtur, satis ultrà fuit a Regibus munificentissimâ largitione retributum.

Et sanè nullum penitus Reginæ cultum redolet, quòd eam Comes Guglielmus abstulit ab Arce Ursina. Compertum enim habetis, eruditissimi Patres, quòd post memoratam Regis Federici mortem, renovatæ fuut Procerum inimicitiæ, & præsertim inter Comitem Artalem Alagona & Comitem Manfredum Claramontium. Unde Comes Manfredus ejusque studiosi, (inter quos aderat, ut dictum est, noster Comes Guglielmus) Comitis Artalis dignitatem eo animo contendebant; ut Reginæ nuptiæ non aliter, quàm eorum omnium voto sequi deberent. Si enim ex solo consensu Comitis Artalis Regina nupsisset, primas cum novo Rege semper habuisset Comes Artalis eorum inimicus, & supra eos omnes eminere visus esset.

Quapropter publicâ seditione in Reginam excitatâ, invasisque civitatibus & oppidis, quæ ad ejus ditionem pertiuebant: ut Reginæ sponsalia, Comitis Artalis operâ cum Joanne Galeatio contracta, dissolverentur; Comes Guglielmus & Comes Henricus Russus Barchinonam petierunt, Regemque Petrum Aragonensem, hujus nominis Quartum, ac Reginæ non bene affectum (is enim in Reginæ exclusionem uti fœminæ, Siciliæ Regnum uti agnatus prætendebat) de Reginæ connubio cum Comite Galeatio fecerunt certiorem, sibique regius favor contra Comitem Artalem promissus fuit: ut testis est magnus Aragonensis Chronista Hieronymus Surita *in Annal. Aragon. lib. 10. cap. 31. f. m. 378. Vinieron*, inquit, *por este tiempo à la Corte del Rey el Conde Henrico Russo y D. Guillen Ramon de Moncada Conde de Agosta, à los quales el Rey ofrezio de dar todo favor contra el Conde D. Artal de Alagona, porque quiso poner Rey de su mano en aquel Reyno, y casar al Infanta D. Maria con Juan Galeazo Vicecomite, que fue el primer Duque de Milán.*

Quo facto: Comes Guglielmus in Regnum reversus, atque exiguâ trireme Catanam profectus, noctu ab Arce Ursina Reginam nihil tale suspicantem extraxit: proindeque non ex officio tantùm & fidelitate erga Reginam, neque ex sola pietate motus, sed ob proprium & Claramontanorum particulare interesse, Comes Guglielmus factum illud aggressus est.

Et

Et sic, si Comes Artalis Augustæ Comitatu potitus est; non in odium Reginæ id factum fuisse, constat, sed velut in ejusdem favorem, quia nempe Comes Guglielmus eo actu non fidem tantùm conservare, sed proprio etiam commodo consulere visus est. Ità colligitur ex mente siculorum scriptorum, quos viderim, inter quos Abbas Maurolycus *in Compendio rerum Sicanar. lib. 5. f. m. 169. retro. Post Federici obitum*, inquit Maurolycus, *revixit odium inter Artalium & Manfredum. Hinc cum Artalio fratres atque Guillelmus Peralta Comes, aliique insulæ proceres stabant. Inde verò Manfredus, Franciscus Vigintimillius Comes ejusque fratres, Henricus Ruffus Comes, Guglielmus Raymundus Moncada, aliique proceres illi adversabantur. Quæ partes, seditione excitatâ, Siciliæ civitates, oppida & arces certatim occupabant, intestina prælia commoventes. Interea Maria Regina sub Artalis curà & tutelà in arce Catinensi morabatur. Quæ eodem anno per ipsum Artalium desponsa fuit Joanni Galeacio Vicecomiti: sub hac tamen conditione, ut, si intra annum Galeacius in Siciliam, consumandi connubii gratià, non veniret; liberum esset Mariæ, cui vellet nubere. Interim verò, dum Artalius esset Messanæ, Guillelmus Raymundus Moncada minusculà trireme delatus, noctu Catanam profectus, & urbis arcem clam ingressus, Mariam nihil tale suspicantem, è cubili raptam ad Augustæ arcem transtulit. Quo cognito: Artalius copias parabat, ut, expugnato Augustæ præsidio, eximeret inde Mariam. Raymundus verò ejus adventum prævertens, Mariam triremi, quam Manfredus Claramontius Drepani ad ipsum instruxerat, impositam ad Leocatæ arcem transtulit, & inde in Cataloniam. Alibi autem lego, hanc Mariæ translationem è Catana in Cataloniam, per duas triremes (quarum uni Fedricus Spataforus, alteri Gerardus Bonfilius, Messenii præfuere) factam; idque anno salutis 1385. Maria igitur in Cataloniam ducta, Martino Martini senioris Ducis Albæ & Aragonum Regis filio nupsit 1390.*

Atque idem affirmat Fazellus *de rebus Siculis posterioris decadis lib. 9. cap. 7. Maria*, inquit Fazellus, *Friderici filia Siciliæ Regno, sub Artalis Alagona tutela, genitoris testamento successit: quam statim Artalis in Catinensi arce ab Ursino appellata, secum, ut tutior esset, detinuit. Sed non multò post inter Artalem & cæteros illius studiosos, atque Manfredum Claramontanum Motycæ Comitem & sibi adhærentes, simultates, Vicariatùs prætextu, repetuntur. Artali, ejus germani fratres, Guglielmus Peralta Comes (quem Guglielmonum vocabant, cuique Leonora Joannis Randatii Ducis Friderici Tertii prognati filia nupserat) & plurimi Siciliæ proceres fovebant; Manfredo verò Henricus Rubeus, Comes Guglielmus Raymundus Montecatenus & complures alii Principes viri adhæserant. Igitur Manfredus, Fridericus, Henricus eorumque studiosi, civitates ac oppida, quæ ad Reginæ ditionem pertinebant, invadunt, & simul-*

Q cum

cum Panormo occupant, ac seditione publicà in Reginam commoventur. Vintimilii & ipsi nonnulla oppida sibi usurpant, Alagonii pleraque alia, cætera proceres reliqui rapiunt. Ità Sicilia omnis discissa prope ac lacera, in diversas Regulorum conspirationes rursum per 13. annos distrahitur: quorum seditiones tametsì diligentissimè apud ipsum etiam Regis archivum quæsiverim, eas tamen hucusque invenire non potui. Interea Maria Regina, quæ Catanæ adhuc agebat, Joanni Galeatio Virtutum Comiti Artalis opera anno salutis 1378. *(si modo rectè scriptores supputant) mense Decembri hac lege nupsit, ut, si Comes infra annum Siciliam ad matrimonium consumandum non accederet, alias sibi nuptias appetendi libertas esset. Verùm, paulò post initum matrimonium, Guillelmus Raymundus Montecatinus Reginæ pietate permotus (cujus quidem detentio plurimum, Regni verò a proceribus occupati injuria, non minus sibi erat ac permolesta) paratà in portu Catanensi triremi, eodem ipso anno Nono Calendas Februarii, dum Artalis Alagona Messanæ cum Regia Curia esset, arcem noctu clam ingreditur, atque Mariam Reginam quamquam reluctantem rapit, triremique impositam ad arcem Augustæ, quæ sui juris erat, asportavit. Artalis ubi audax facinus cognovit, exercitum delectorum militum instruit, ac eandem repetere, oppidumque oppugnare decernit. Quo Guillelmus Raymundus cognito: cùm viribus haudquaquam se parem, æstimaret; Reginam inde ad arcem Alicatæ urbis transvexit.*

Nec Reginæ connubium cum Comite Galeacio, ex eo sortitum non est, quòd Comes Guglielmus è Castro Ursino Reginam adhuc dormientem extraxit; sed principaliter ex eo ortum habuit, quòd, cùm cognovisset Rex Petrus Aragonensis, Comitis Galeacii classem militum copiis instructam (quibus Reginæ inimicis C. Artalis resistere intendebat) è portu Pisano Siciliam versùs iter esse suscepturam; illam quasi vela solventem, alterâ classe sub Giliberto de Cruyllas incendendam curavit: ut Aragonensis historia factum enarrat, & Reginæ raptum secundariò tantùm ad intentum concurrisse, confirmat Surita *loco cit. cap. 25. f. m. 373. retrò*. ibi: *Estaba à quella Isla dividida en dos partes, como dicho es, y ardia en dissention y guerra civil. Y, teniendo en su poder el Conde Don Artal de Alagon à la Reyna D. Maria, concertò de casarla con Juan Galeazo Conde de Virtudes, sobrino de Barnabon Señor de Milan, y succedia à su tio en aquel estado, que era muy grande, y en la major parte de Lombardia: y havia de embiar trezientas lanzas y ciertas compañias de soldados al Conde D. Artal, para resistir à los rebeldes de la Reyna. Esto fue en fin del año de 1378. y por el mes de Junio siguiente havia el Conde de Virtudes mandado juntar su armada para el Reyno de Sicilia, y llevar mucha gente de guerra. Y teniendo de esto noticia el Rey, hizo armar à Don Gilabert de Cruyllas cinco galeras: y teniendolas muy en orden, mandò, que fuesse à conbatir*

y pe-

y pelear con la armada de Juan Galeazo. Esto se hizo con tanta celeridad; que, estando la armada de Lombardia en puerto Pisano para hazerse à la vela, que no aguardava sinò à la persona del Conde, y estando ya enbarcada toda la gente de guerra; una mañana al alva, quando la gente estava mas descuydada y durmiendo, Don Gilabert los acometio con sus galeras tan adesbora, que cadauna de las galeras pegò fuego à una nave, y se quemaron y perecio en ellas toda la gente y ropa que tenian. Fue esto un muy señalado hecho: porque allende de executarse valerosamente, como se pensò; fue causa, que se estorvasse el passage del Conde Juan Galeazo, y el matrimonio no huvieffe effecto. Bernardino Corio en su historia Milanesa, dize, que fueron las galeras del Rey de Aragon tres, y que pelearon con la armada del Conde Juan Galeazo, y fueron en ellas los Milaneses vencidos, y que se huvieron de bolver à Pavia sin poder hazer su viage. Sucedio otra cosa tambien estraña por el mismo tiempo: que teniendo el Conde D. Artal en su poder à la Reyna en el Castillo de Catania, y estando apoderado de la mayor parte del Reyno con titulo de Vicario; D. Guillen Ramon de Moncada Conde de Agosta con una galeota llegò tan escondidamente, que echò su gente en tierra: y estando el Conde D. Artal en la Ciudad de Messina, la sacò del Castillo, hallandola durmiendo en su cama, y la llevò al Castillo de Agosta, y de allì passòla à la Licata, adonde estuvo con grande guarda por temor del Conde Don Artal.

Sicuti etiam nec Reginæ translatio in Cataloniam, quidquam convincit, unde sustineri valeat, Comitatum in Reginæ servitium amissum esse. Quoniam Rex Petrus Aragonensis post debellatam Comitis Galeacii classem, quamprimùm de Reginæ raptu notitiam habuit, Rogerium Montecatenum misit Catalanasve copias, ut Reginam in Castro Alicatæ custodirent. Et cùm ad Regem iterum accessisset noster Comes Guglielmus, eique Reginam tradere promisisset, Regiumque præmium expectasset; hoc Rex non admisit; unde Comes Guglielmus ità irremuneratus in Siciliam reversus, cùm forsitan Reginam è manu Rogerii auferre studeret (ut Surita supponit;) Rogerius, Reginam cum Comite loqui, non permisit, etsì deinde Comes Guglielmus iterum Cataloniam petens, fuisset a Martino Montisalbi Duce (cui Rex Siciliæ Regnum sub nonnullis pactis donaverat) benignissimè admissus. Et quia conclusum erat Reginæ connubium inter ipsam & Martinum Exericæ Comitem, Ducis Martini filium; Comes Guglielmus a Martino sponsi patre, traditione quorundam feudorum, quæ in Regno Valentiæ existebant, fuit perquàm liberaliter exceptus. Quin etiam, licèt Aragonensis historia non affirmet; plerique volunt, Reginam a Comite Guglielmo in Castro Augustæ Rogerio de Montecateno fuisse traditam, ipsamque Reginam è Castro Augustæ Sardiniam petiisse. Legatur Surita (quem tantùm re-

fin de esperarle, y los que estavan en el Castillo de Agosta, no estuviessen para defenderse y parezìesse al Vizconde, que no convenia dexar à la Infanta de aquella manera; sacòla del Castillo con toda la gente, que en el avia, y vinose al Castillo de Caller, adonde dejò à la Infanta, basta que el Rey embiò despues por ella.

Hinc est, quòd, si Comes Artalis, dum narrata agebantur, Comitis Guglielmi bona dispersit; dicendum non est, quòd in odium Reginæ, sed quòd in Reginæ favorem, vel saltem ex proprio particulari odio contra C. Guglielmum id exequutus fuerit.

Unde non ex hoc, quòd Comes Guglielmus Comitatum recuperavit, ejus descendentes remanere debuerunt avitâ Comitatùs successione privati. Si enim Comes Guglielmus Comitatum deinde non quæsiisset; ad restaurationem omnium damnorum & interesse favore suorum descendentium teneretur: ipsius enim culpâ Comitatus amissus diceretur. Quod fortiùs procedere debet, quia verum non est, quòd C. Guglielmus propriis sumptibus Augustæ Comitatum iterum acquisivit. Compertum enim apud omnes est, Reges Martinum juniorem & seniorem ac Reginam Mariam e Catalonia cum instructa classe Regnum petiisse, fuisseque eorum armis rebelles expugnatos. Proindeque, Regum nomine & fidelium (inter quos noster C. Guglielmus) qui sub illorum vexillis (ut debebant) militarunt, Regni recuperationem fortitam esse visûm est: &, rebellibus profligatis, antiqui concessionarii possessionem bonorum, quæ hostes occupaverant, ipsò factò adepti sunt. Et aliter se res habere non poterat: Reges enim, jure belli Vasallorum bona ab hostibus occupata, sub regio demanio retinere non solent, ubi vel tyrannum vel rebelles vel hostes Regnum invadentes, Vasallis pro se pugnantibus, expugnant: siquidem feuda † a Vasallis ante bellum possessa, etsi fuissent in bello ab hostibus occupata, istis debellatis, apud fideles debent tanquam antiquum feudum remanere, ad textum expressum in *l. si captivus* §. *expulsis ff. de capt. & postlim. rev.* Gratian. *discept. cap.* 801. *n.* 62. Luca *de feud. disc.* 57. *n.* 4. Antuñez Portugal. *de donat. reg. lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 75. *&* 76. 1

Non negaverim tamen Regiam attestationem eam esse, quòd Comes Guglielmus Reginæ raptum in ejus liberatiouem fuerit exequutus: quòd exilium a patria, pericula, bonorum amissionem etiam eorum, quæ in Regno Valentiæ possidebat, & reliqua damna, in eorum obsequium & servitium ac pro fide regia illibatâ servandâ, ipse suique consanguinei sustinuerint: quòdque Regnum, accedentibus Comitis Guglielmi laboribus, industriâ & expensis fuerit præcipuè recuperatum. Ità enim Reges affirmant in confirmatione concessionis insularum Melitæ & Gaudisii earumque erectionis in Marchionarum cum aliis terris, feudis, villis & ca-

castris, antecedenter, nimirum anno 1392. eidem Comiti concessis.

Anno 1396. die 18. Novembris. *Olim*, ajunt Reges, *ad grandia & immensa servitia nostris Majestatibus præstita per vos nobilem & egregium Guglielmum Raymundum de Montecateno Comitem Augustæ & Nucariæ, ac Regni Siciliæ Magistrum Justitiarium & Comestabilem, consanguineum nostrum carissimum, tam in Regno nostro Siciliæ dum nos dicta Regina essemus in eodem Regno, in quo pro fide nostra regia servanda & nomen regium invocando ac fovendo, regale sceptrum nostrum dictæ Reginæ post multos labores & damna, quos & quæ passus extitistis ob obsidionem vobis impositam per rebelles nostrarum Majestatum, exilium passus fuistis cum uxore, filiis, fratribus & sororibus, & totâ vestri familia, servitoribus vestris hinc inde dispersis, comitatu, castris, terris & vestris bonis omnibus denudatus; quàm exinde in partibus Cataloniæ multis vos ibidem subiiciendo periculis & laboribus pro servitiis nostrarum Majestatum, & postmodùm in felici nostro adventu ad Regnum prædictum Siciliæ, quod vestris laboribus, industria, expensis & virtutibus, nostrâ mediante justitia præcipuè operantibus, Regnum nostrum recuperavimus & subjugavimus. Supradictum debitum habentes respectum, considerantes præsertim, quòd illos dignis & condignis honoribus promovere, teneremur, quos alti prosapia generis & natura fidei radicibus solidatos contrariis ventorum impulsibus flecti naturæ sinceritas non permittit, sed ex suis meritis laude dignis in nostro conspectu se clariùs admodum repræsentat, & alios devotionis & fidei claritate præpollent, quod sentire minimè possunt sanguinis identitate contagium nec proximè carnis dulcedine molliri patiuntur, nec minus diligenti meditatione pensantes, fidem puram & sinceræ devotionis constantiam, quas circa nos & honorem nostrum ac coronæ Regni nostri prædicti conservationem & exaltationem habuistis hactenus & habetis, prout facti evidentiâ demonstrastis, relevando & liberando nos dictam Reginam à manibus tyrannorum, qui nedum Regnum nostrum prædictum occupaverant ac tenuerunt multis temporibus occupatum; sed etiam quantò defactò poterant personam nostram captivaverant, & captivam quasi tenebant, nos de summo præcipitare deorsum, prout hæc & alia nobis ad oculum lucidè, experientiâ teste, demonstravit zelus fidelitatis accensus, quem ad nos geritis personæ vestræ ob causas prædictas pericula diversa & varia subeundo, vestrorumque comitatuum, terrarum, locorum & bonorum aliorum feudalium & burgensaticorum dispendiis non parcendo, prædictisque bonis vestris, ut prædicitur, spoliatus pro fide nostra illibata servanda, per plures & plures annos in exilium commorando, & propterea in felici nostro reditu ad Regnum nostrum prædictum castra & bona vestra situata in Regno Valentiæ distrabendo, & ipsorum pretium convertendo in armigeris & aliis utilibus & necessariis ad recupera-*

pera-

perationem Regni nostri prædicti. Quibus ex causis &c.

Quod verò ea omnia talia sint, ut Comes Guglielmus primus dici valeat Comitatùs quæsitor, nunquam concesserim: quoniam non ad finem prædictum servitia, a C. Guglielmo præstita, enumerata sunt, nempe quòd primus dici debuerit Comitatùs acquisitor; sed ut novæ concessionis motivum justificaretur, uti mox allegabimus. Et sanè ut historicorum dicta cum Regum assertionibus concilientur, advertendum est, quòd præmissa omnia Reges narrant eo tempore, quo matrimonium ex inimicitia C. Guglielmi cum C. Artali Reginæ Tutore & Regni Vicario, ex accessu C. Guglielmi ad Regem Petrum, & ex Reginæ raptu sequutum erat: ac narrant eo tempore, quo C. Guglielmus in Regno reperiebatur Magister Justitiarius, Magnus Comestabilis, & qui innumera castra, oppida, civitates & loca possidebat, cum quibus, assiduis Regni procerum rebellionibus, resistebat. Adeout cùm præmissa a C. Guglielmo (quomodocumque gesta sint) in Regum servitium & favorem cesserint; meritò ea omnia non aliter, quàm per enarratam servitiorum descriptionem enunciarunt, atque ut magis eum beneficiis devincirent, ea omnia Comiti Guglielmo concesserunt, ut advertit Pirrus *in Chronologia Regum Siciliæ* de Martino Siciliæ Rege XX. *pag.* 82. *retro, vers.Dum hæc seriùs aguntur.*

Sed quidquid sit de præmissis: regio prædicto privilegio aliisque concessionibus, quæ quasi innumeræ sunt, inhærendo, adhuc dicimus, quòd Comitatus fuit penès Comitem Guglielmum tanquam antiquum feudum conservatus, & in eo, ut regia præcedentia diplomata mandaverant, jure proprio ipsius descendentes succedere debuerunt. Quoniam damna prædicta, quæ C. Guglielmus passus est, quæque non consistunt nisi in eo, quod per decennium, quo in partibus Cataloniæ commoratus est, Comitatùs fructus amiserat (quos Martinus senior restauraverat per bonorum assignationem in Regno Valentiæ) quæque tandem non consistunt nisi in eo, quòd bona hujusmodi a Rege assignata, in Regis servitium vendiderat, aliasque rebellionis tempore expensas fecerat, eà inquam damna jam fuerunt satis superque a Regibus compensata. Siquidem in dicta confirmatione Marchionatùs Melitæ expressè dicitur, & memoratas Insulas, & erectionem in Marchionatum, necnon & Narum, Deliam, Suteram, Mussumelium, Manfredam, Gibillinos, Muxari, Montemclarum, Guastanellam, Misilmerium, Minæum & Mungialinum in damnorum remunerationem fuisse concessa: uti, postquam pro Comite Guglielmo insertam fecerunt servitiorum ac rerum bene gestarum narrationem, Reges immediatè in hæc verba descendunt.

Quibus ex causis moti pariter & inducti, per privilegium nostrum seu instrumentum publicum perpetuò & invio-

inviolabiliter duraturum, vobis dicto egregio Guglielmo Raymundo de Montecateno per nostras Majestates factum & firmatum, ut vos dictus Guglielmus Raymundus de Montecateno meliùs & honorificentiùs ad statum vestrum, sicuti decet & vestri exigit alti prosapia generis, immensa onera supportanda decenter sufficere valeret; gratis & ex certa nostra scientia per nos & omnes haeredes & successores nostros in remunerationem aliquam servitiorum prædictorum *& satisfactionem aliqualem damnorum prædictorum per vos passorum dedimus, donavimus & concessimus, donatione purà irrevocabili inter vivos, sub retentionibus & conditionibus infrascriptis, vobis dicto Guglielmo Raymundo de Montecateno & vestris perpetuò heredibus & successoribus: in feudum tamen sub servitio quinque equitum per vos & vestros successores nobis & nostris, quando de hoc per nos aut nostros fueritis requisitus, & vestri successores fuerint requisiti, præstando: Comitatum videlicet Maltæ & Gaudisi, castrum & terram Nari, castrum & feudum Deliæ, castrum & terram Suteræ, castrum Mussumellis cum terra Manfredæ & fortilitium & feudum Gibillinorum, castrum & terram Fabariæ, castrum & terram Muxari, castra, terras & feudum Montisclari, castrum & feudum Guastanellæ, castrum & terram Minei, castrum seu fortilitium & feudum de Mungialini infra Regnum nostrum prædictum situata & situatas cum omnibus juribus & pertinentiis universis prædictorum comitatus, castrorum, terrarum, feudorum & locorum, quæ vobis concessimus & donavimus, prout quondam Manfridus de Claramonte, & successivè quondam Andreas de Claramonte tenuerunt & possederunt tempore vitæ eorum, & usque ad tempus & tempora mortis ipsorum: & similiter prout Domini & Barones castri & terræ Minei, castri seu fortilitii & feudi de Mungialino tenuerunt & possederunt usque in Regnum nostrum prædictum felicem adventum, & ut personam vestri dicti Guglielmi Raymundi vestrosque successores superiùs expressatos ex donatione & concessione prædictis possemus, sicuti semper cupivimus & cupimus, honorare, honorabilisque dignitatis titulo insignire quantùm ex nostrâ regia potestate potuimus & possemus, ac valuimus & valemus, de prædicto Comitatu Maltæ & Gaudisii unà cum omnibus & singulis terris, castris, locis & feudis, & bonis superiùs expressatis cum suis omnibus juribus pertinentiisque universis Marchionatum fecimus & constituimus & de novò creavimus &c.*

Ulteriùs ex privilegio inferiùs inserendo, atque ex aliis, quæ infra referemus, constat, quòd in eandem servitiorum remunerationem Comiti Guglielmo fuit concessum officium Magistri Justitiarii, & illud Magni Comestabilis, aliæque dignitates, necnon Sortinum, Ferula, Monsclimacus, unciæque annuæ 500. super proventibus tractarum portùs Augustæ, aliaque feuda.

Nec soli C. Guglielmo conces-

siones ob damna passa factæ sunt; verùm etiam ejus fratribus, nimirum C. Antonio terra Assori, castrum & feuda Buzzettæ, ac castrum seu fortilitium & feudum Alagonæ, præter alia, concessa sunt: Petro autem altero fratri nonnullas dignitates memorati Reges impartierunt. Ut defactò ipsemet Comes Guglielmus Raymundus III. anno 1394. in suo impugnato testamento verbis expressis declarat, Comitatum Augustæ se non quidem proprio marte adeptum esse, neque a Regibus noviter concessum habuisse, sed ex paterna C. Matthæi sui genitoris successione, vel ex donatione obtinuisse, ejusque debita super eodem Comitatu solvenda esse præcipit, ut supra transcriptum est. Et quod valdè notandum in ampliatione Comitatùs Augustæ (de qua mox erit sermo efficiendus, & quæ a Regibus facta est sub anno 1396. dicto die 16. Novembris, quo Melitæ Marchionatus confirmatus est) Reges ipsi C. Guglielmum possessorem ex antiquis investituris enunciant, & Comitatum uti feudum antiquum in eodem C. Guglielmo, ipso præsente homagiumque præstante, confirmant. Unde est, quòd, a superiùs examinatis, nullo pacto affirmari potest, quòd C. Guglielmus dici unquam valeat primus Comitatùs quæsitor: quapropter vinculum ab eo super illius successione dispositum, venit omni jure reiiciendum.

Proponit secundò Adversarius, Comitis Guglielmi ultimam voluntatem esse servandam. Reges enim quamvis non dixerint, Comitem Guglielmum novum Comitatùs acquisitorem; nihilominus pro tali eum reputarunt, ubi, facto unico Comitatu de Terra Augustæ aliisque terris, castris, feudis, redditibus & bonis Comiti Guglielmo concessis, præter ea, quæ fuerunt insulis Melitæ & Gaudisii aggregata, ipsi, de eo sic ampliato, liberam disponendi facultatem in quem voluerit, tribuerunt: ut, repetitâ servitiorum historiâ superiùs in confirmatione Marchionatùs Melitæ insertâ, constituerunt Reges in hoc ampliationis privilegio sub anno 1396. eodem die 18. Novembris sub illis verbis: *Volentes prædictis ex causis moti pariter & inducti, Comitatum vestrum Augustæ supradictum novis additionibus ac redditibus & jurisdictionibus in terris & castris ampliare; addimus, adjungimus & coadunamus, de certa nostra scientia & plenitudine regia potestatis legibus absoluta, prædicto Comitatui Augustæ & juribus & pertinentiis ipsius, terras & castra infrascriptas videlicet, castrum & terram Xiurtini, castrum & terram Ferulæ, & castrum & feudum Montisclimaci infra Regnum nostrum Siciliæ prædictum situata & situatas cum omnibus & singulis eorum juribus &c. Necnon unc. auri 500. ponderis generalis, vobis & vestris hæredibus & successoribus in perpetuùm per vos & dictos vestros percipiendos annis singulis, ut prædicitur, in & super juribus & primis proventibus tractarum & exiturarum quolibet*

anno, ut prædicitur, ex ipso portu Augustæ extrahendarum, vobis & dictis vestris hæredibus & successoribus in perpetuùm, approbamus, acceptamus, ratificamus & pleno favore regio confirmamus, & de novò concedimus & donamus, ex certa nostra scientia & rationabili causa. Concedentes propterea vobis, hæredibus & successoribus vestris perpetuò in Comitatu prædicto succedentibus, ac donantes de certa nostra scientia & plenitudine regiæ potestatis, plenam licentiam, auctoritatem & potestatem, quatenus vos & vestri hæredes & successores prædicti, propriâ auctoritate, absque aliqua requisitione aut licentia nostris seu officialium nostrorum, possitis, de primis proventionibus jurium tractarum exiturarum ex dicto portu Augustæ extrahendarum, dictas unc. auri 500. *anno quolibet percipere & habere vestris & vestrorum hæredum & successorum in dicto Comitatu Augustæ utilitatibus & commodis applicando, quoniam nos dictas unc.* 500. *de certa nostra scientia eidem Comitatui coadunavimus, addimus & aggregamus: addentes & coadunantes etiam in dicto Comitatu Augustę jus tareni vobis & vestris successoribus debitum & haberi consuetum in & super portu Bruca per sereni ssimos Principes & Dominos Reges Siciliæ prędecessores nostros, memorię recolendę, ne nostris constat Majestatibus, jam concessum. Quod tareni super dicto portu Brucę, sive jus tareni vobis & vestris hęredibus & successoribus in perpetuùm acceptamus & confirmamus, & de novò concedimus & donamus.*

Et inferiùs, ibi: *Vosque egregium Guillelmum Raymundum supradictum pro vobis & vestris hęredibus & successoribus supradictis de ipso Comitatu Augustę sic ampliato, ut prędicitur, ac terris, castris, feudis Xiurtini, Ferulæ & Montisclimaci, cum dictis unc.* 500. *super primis exituris portùs Augustę ac jure tareni prędictis super portu Brucę, solemniter investimus, & per ensem ad majorem corroborationem de novò inducimus atque imponimus, quę ad vestrum profectum & commodum cedatur & semper intelligatur. Volentes, & per pręsentes privilegium declarantes & concedentes, vobis & vestris hęredibus & successoribus in perpetuùm, quòd in dicto Comitatu, vos & prædicti heredes vestri quem volueritis & ipsi voluerint faciatis, instituatis & ordinetis successorem.*

De quo indulto meminit ipse Comes Guglielmus anno 1397. die 18. Julii in suo codicillo, qui fuit regiis subscriptionibus roboratus, ubi dixit: *Conformandosi la nostra presenti voluntati cu la cuntinenzia di li privilegii a nui cuncessi e fatti pri li Sacri Regii e Reginali Maestati.*

Sed neque hujusmodi privilegium, Comitis Guglielmi dispositionem exequendam esse, convincit: etenim per universum privilegii tenorem super antiquo Augustæ Comitatu nil penitus a Regibus de novò, præter ampliationem, dispositum est, quinimo antiqua Comitatùs concessio, facta prædecessoribus Comitis Guglielmi, fuit expressis verbis confirmata.

mata. Quamvis autem clausula superiùs inserta (quæ in exequutivis est apposita) ea fuerit, quòd Comes Guglielmus & ejus hæredes & successores in perpetuùm possent quem voluerint in dicto Comitatu facere successorem; adhuc tamen non ad antiquum Comitatum clausula relata est, sed ad ea castra, terras, loca & feuda, quæ in ampliatione continebantur, vel ad hoc, ut potuissent Comes Guglielmus & ejus hæredes de dicto Comitatu in quem voluerint de contemplatis in primæva investitura disponere, non autem in extraneos: quasi quòd Reges jus quæsitum auferre intellexerint personis in antiquis privilegiis comprehensis.

Ut itaque id manifestum appareat, supremi Judices, considerandum est, quòd Reges per memoratum privilegium, liberam de antiquo Comitatu disponendi facultatem, Comiti Guglielmo & ejus successoribus concedere noluerunt: considerandum est etiam, quòd quatenus Reges ipsi voluissent, non potuerunt: & demum considerandum, quòd quatenus Reges C. Guglielmo disponendi facultatem concedere voluissent & potuissent, res ad eum statum redacta est, in quo eorum voluntas & potestas manifestè cessavit.

Reges, inquam, liberam disponendi facultatem per ascriptum privilegium Comiti Guglielmo & ejus successoribus concedere noluerunt, quia in eo Comitem Guglielmum recognoverunt ex antiquis privilegiis Comitatùs Augustæ dominum & possessorem. Et quia idem Comes Guglielmus ipsius Comitatùs fructibus, per plures annos pro fide regia illibata servanda, spoliatus remanserat, ac ingentia servitia Regibus præstiterat; dicunt Reges: *Volentes prædictis ex causis moti pariter & inducti, Comitatum* vestrum *Augustæ supradictum novis additionibus ac redditibus & jurisdictionibus ampliare; addimus, adjungimus &c. Castrum & Terram Sortini, Castrum & Terram Ferulæ, & Castrum & Terram Montisclimaci &c.* Deinde verò factâ jam aggregatione, Reges ipsi in hæc verba descendunt. *Et de iis omnibus & singulis, ut declaratur, ac eorum juribus & pertinentiis universis, ad decentiorem & ampliorem dignitatem, ipsius Comitatùs Augustæ unum facimus Comitatum.* Et subsequenter: *Quem Comitatum Augustæ jam dictum cum terris cultis & incultis &c. & aliis pertinentiis & juribus universis, prout* per vos & prædecessores vestros dicti Comitatùs Augustæ, *& per alios primos Dominos & Barones dictorum Castrorum & Terrarum &c. cum omni mero & mixto imperio ac gladii potestate, & cum omnibus aliis quocunque nomine censeantur ad prædictum Comitatum Augustæ de per se & modo cum dictis Terris & Castris &c. prædicta omnia & singula* approbamus, ratificamus, & pleno favore regio confirmamus, *& de novò concedimus & donamus &c. Mandantes serie hujus publici instrumenti (quod vicem epistolæ gerere volumus in hac parte) universis baronibus, militi-*

bus generosis, feudatariis, vasallis & aliis universis & singulis hominibus dicti Comitatùs Augustæ, & terrarum & locorum prædictorum eidem Comitatui additorum & coadunatorum, aut eis feuda tenentibus, quòd vos & vestros perpetuò hæredes & successores, pro eorum Dominis habeant et teneant, ac etiam recognoscant, vobis et vestris successoribus pareant et obediant, de servitiis consuetis et aliis omnibus et singulis in et de quibus nobis ante primam concessionem eorundem ac præsentem nostram coadunationem, confirmationem *& de novò donationem debebant et tenebantur respondere etc. Non obstantibus juribus canonicis et civilibus, constitutionibus, consuetudinibus, capitulis quibuslibet per serenissimos Principes olim Reges Siciliæ prædecessores nostros aut nos conditis etc. Nos enim quoad validationem ipsorum, quæ vobis* confirmamus, *concedimus et donamus, transferimus et concedimus in vos dictum egregium Guglielmum Raymundum, hæredes et successores vestros omnem jurisdictionem et jura quacunque quomodolibet competentes et competentia, seu quæ competere poterant nobis et nostræ Curiæ tam jure ordinario quàm consuetudinario, et illa quibus prædecessores nostri in dicto Regno Siciliæ, memoriæ recolendæ, uti poterant, et nos etiam uti poteramus in dicto Comitatu* ante concessionem vestris prædecessoribus factam de eodem, & confirmationem nostram præsentem, *ac uti et experiri nos poteramus in dictis castris, terris et feudis prædictis Sortini, Ferulæ et Montisclimaci ante nostram donationem* & confirmationem præsentem, *et illas jurisdictiones ac illa jura, quas et quæ* primi domini *et barones ipsorum Comitatùs, Terrarum, Castrorum et Feudorum habebant seu habere poterant &c.* Si autem Reges disponendi libertatem Comiti Guglielmo & ejus successoribus tribuere voluissent; utique non iis verbis usi essent, quæ puram tantùm antiqui Comitatùs confirmationem important, sed ad alia descendissent, ex quibus desumi posset, quòd tanquam feudum novum, antiquum Comitatum Comiti Guglielmo concesserant. Quod si non fecerunt; manifestissimum est, quòd antiquum Comitatum sub antiqua forma in C. Guglielmo tantùm confirmare voluerint, nunquam autem, quòd Comiti Guglielmo & ejus successoribus disponendi libertatem tribuere cogitaverint.

Ut defactò, quòd per ascriptum privilegium, nonnisi meram tantùm antiqui Comitatùs confirmationem habuerit, fatetur ipsemet Comes Guglielmus in calce ejusdem privilegii, ubi Regibus homagium præstat. *Et ego*, inquit, *Guglielmus Raymundus de Montecateno Comes Augustæ & Noariæ ac Regni Siciliæ Magister Justitiarius & Comestabilis, & Marchionatus Meliveti Dominus, recipiens a vobis dictis Dominis* confirmationem *& novam donationem cum additionibus supradictis, cum gratiarum humiliatione per me et meos hæredes et successores etc. omnia et singula in præ-*

præsenti publico instrumento contenta et per vos retempto, attendere et complere promitto etc.

Secundò. Reges liberam facultatem de antiquo Comitatu concedere non intellexerunt, quia ipsimet Reges credere non solent, quòd licitum sit, antiquam feudorum formam alterare (ut forma mutata diceretur, si ad antiquum Comitatum disponendi libertas referenda esset) in præjudicium eorum, qui in prima investitura sunt contemplati, etiamsi Vasalli consensus accedat, ut supra probatum est, & inferiùs confirmabitur. Quapropter, metiendo voluntatem à potestate, credendum non est, quòd Reges super successione antiqui Comitatùs, quam alterare non poterant, liberam Comiti Guglielmo disponendi facultatem concesserunt.

Tertiò. Libera disponendi facultas ad antiquum Comitatum referenda non est, quia nulla videtur facta derogatio antiquorum privilegiorum. Si enim Reges (quatenus potuissent) antiquam formam rumpere intellexissent, & liberam disponendi facultatem Comiti Guglielmo concedere voluissent de antiquo Comitatu, in quo per antiqua privilegia jus in eis contemplatis quæsitum erat; utique illis derogassent.
2 Quia tamen † in novo privilegio antiquarum concessionum derogatio non intercessit; nunquam dicendum est, Reges, quoad antiquum Comitatum, ab antiqua forma in privilegiis contenta recedere voluisse. Sanfelic. *decis.*68. *a n.* 11. *et seq.* Ludovis. *decis.* 164. *a n.*7.*ad fin.* Giurb. *de feud.prælud.* 4. *n.* 65. *et* 66. Ill. Præses Gaston. *discept.*26. *n.*5. Ill. Præses de Drago *in causa Hyeracis* §.7. *n.*650.*&* 652. Atque † adeò necessaria est 3
derogatio; ut aliter dici non possit privilegio derogatum, nisi derogatio, non quidem tacitè & in consequentiam resultet, sed expressè fiat, principaliter, & cum inserto tenore: quod in casu nostro non intercessit. Alexand. *lib.* 6. *consf.* 155. *per tot.* Rot. Rom. *p.*2.*divers. decis.* 139. *n.* 5. *et* 6. Mansi *tom.* 1. *consult.* 44. *n.* 37. 38. *et seq.* Ill. de Drago §. 6. *n.* 525.

Quartò † liberam disponendi 4
facultatem de antiquo Comitatu Reges concedere noluerunt, quia ipsa concessa videtur in clausulis exequutivis, ex quibus nulla prorsus consurgere potest formæ alteratio de feudo antiquo, cujus concessio confirmatur; sed ad juris formam sunt clausulæ ipsæ regulandæ, per quam nullo pacto Vasallo, qui feudi confirmationem obtinuit, libera disponendi facultas tribui potest. Decian. *cons.* 58. *lib.* 2. Menoch. *cons.* 61. *n.* 28. Cravetta *in suo responso pro Genero num.* 348. *et* 359. Cacheran. *decis.* 164. *ubi refert decisum.* Franch. *decis.* 6. *n.*7. *ubi* de Luca. Mastrill. *decis.* 190. *n.* 23. *et* 24. Corsett. *cons.*23. *n.*6. *et* 7. Giurba *decis.* 42. *n.* 24. Mozz. *de feud. tit. ex quib. caus. feud. amitt. num.* 15. *vers. secundo casu*. Rosenthal. *de feud. cap.* 2. *concl.* 37. *n.* 2. *et seq.* Molfes. *ad consuet. Neapol. p.* 3. *quæst.*

quæst. 3. *n.* 8. Sessa *decis.* 24. *n.* 5. *p.* 1. *Quos omnes refert & sequitur* Ill.de Drago *in causa Hyeracis* §.7. *n.* 689.

Quintò. Libera disponendi facultas de antiquo Comitatu, ex memorato privilegio Comiti Guglielmo concessa non fuit: quoniam potestatis amplitudo prætensa contenta in privilegio, de quo agitur, certè in eo non conti-
5 netur. Concessa † enim Vasallo disponendi facultas super antiquo feudo in quem voluerit, extraneos non includit; sed ad eos restricta videtur, quos antiqua investitura comprehendit. Quo fit, ut facultas tributa Comiti Guglielmo, impartita censeri debeat in favorē suorum descendentium, qui in antiquis privilegiis contemplati sunt, non autem ut potuisset Comes Guglielmus in alios ad libitum de Comitatu disponere: & sic antiqua forma alterata non fuit, ut ex Rot. Rom. *coram* Coccino *decis.* 2283. *n.* 48. *& seq.* Boscol. *in controv. feud. apud* Luc. *de feud. artic.* 3. *num.* 131. *& seq.* concludit Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §. 7. *n.* 659. Quod in casu nostro proculdubio locum ha-
6 bere debet, quia † libera disponendi facultas, non quidem soli Comiti Guglielmo concessa est; verùm etiam ejus hæredibus & successoribus in perpetuùm: quasi quòd quilibet possessor posset suum successorem in prima concessione designatum nominare. Dictum est enim: *Declarantes, & concedentes vobis & vestris hæredibus & successoribus in perpetuùm, quòd in dicto Comitatu vos* & prædicti hæredes vestri *quem volueritis, & ipsi voluerint, faciatis, instituatis, & ordinetis successorem.*

Et sextò demum, Reges liberam disponendi facultatem Comiti Guglielmo & ejus successoribus super antiquo Comitatu tribuere non intellexerunt, quia disponendi libertas concessa est in confirmatione antiqui feudi, atque in ea confirmatione additiones factæ sunt. Etenim † quæcun- 7
que innovatio à Rege facta per clausulas adjectas in antiqui feudi confirmatione, quæ fit aliquo addito vel aggregato, nonnisi super eo, quod additum est, & super aggregationibus sustinetur, nunquam autem super feudo confirmato. Oldrad. *cons.* 178. Afflict. *in const. cum circa just. n.* 12. Ursil. *ad eundem decis.* 112. *n.* 7. Rosenthal. *de feud. cap.* 2. *concl.* 25. *n.* 1. *& seq. ubi in adnot. litera A.* Aponte *cons.* 12. *num.* 15. *& seq. lib.* 2. Franch. *decis.* 7. *n.* 4. *ubi pro hac opinione bis refert decisum.* Georg. *allegat.* 8. *n.* 11. *&* 12. Mansi *consult.* 367. *num.* 31. *&* 32. *tom.* 4. Luca *de feud. disc.* 9. *n.* 14. *Quos omnes laudat & sequitur* Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §.7.*n.*690.

Verùm contra præmissa replicat Adversarius, quòd liberam disponendi facultatem super antiquo Comitatu Comiti Guglielmo Reges procùldubio concesserunt, quoniam id litera privilegii apertè demonstrat. Si enim Reges tam de antiquo Comitatu, quàm de novis additionibus unum fecerunt

runt Comitatum; clarè decernunt, quòd & Comes Guglielmus & ejus hæredes in Comitatu succesorem, quem voluissent, instituere poterant. Unde convincitur, quòd Reges nedum super additionibus, verùm etiam super antiquo Comitatu disponendi libertatem Comiti Guglielmo concesserint.

Impugnatur tamen objectio, quia privilegium non ostendit, quòd Reges de antiquo Comitatu loquuti sint, sed de ipso Comitatu sic ampliato. Et sic disponendi facultas tributa videtur super ampliatione, cujus concessio nova dicebatur; non autem super antiquo Comitatu, cujus concessio tantùm fuerat eo modo confirmata, quo a Regibus Siciliæ Comitis Guglielmi prædecessoribus impartita reperiebatur. Ut enim universus privilegii tenor concilietur, dicendum proculdubio venit, quòd semel ac Reges unâ manu quoad antiquum Comitatum pluries ac pluries se declararunt, quòd nihil aliud facere intendebant, nisi eum juxta concessiones antiquas confirmare, & quoad bona aggregata, illa de novò concedere: & ex alia manu liberam de Comitatu disponendi facultatem concesserunt; consequens est, quòd disponendi libertas non ad antiquum Comitatum, sed ad bona aggregata, quæ integrum Comitatum componebant, referenda sit. Et defactò secundùm nostram præsentem interpretationem, Doctores supra recensiti adducti fuerunt, qui liberam disponendi facultatem super universo feudo ampliato concessam fuisse, supponunt; & nihilominus super aggregationibus disponendi libertatem restrictam fuisse, concludunt.

Iterum replicat Adversarius, quòd de Regum voluntate, in concedenda Comiti Guglielmo libera disponendi facultate, dubitari non valet. Quippe a posteriori visum est, quòd Reges anno 1397. die 18. Julii (& proinde post emensum septem mensium curriculum a privilegio, quod anno 1396. die 16. Novembris concessum fuerat) Comitis Guglielmi codicillos obsignarunt, in quibus, vinculum a Comite Guglielmo super Comitatu institutum in testamento condito sub anno 1394. secundùm Regiæ facultatis oraculum, videtur expressè approbatum.

Sed in promptu est responsio: usus enim facultatis a Regibus per obsignatos codicillos Comiti Guglielmo impartitæ, non refertur ad disponendi libertatem; sed ad hoc, quòd Comes Matthæus in Comitatu institutus, illum diminutum reciperet, juxta formam privilegiorum, quæ noviter a Regibus concessa erant. Quippe in privilegio confirmationis insularum Melitæ & Gaudisii, hujusmodi Marchionatui aggregata fuerant feuda S. Calogeri & Murgiac Pantani Salsi, quæ erant de membris Comitatùs Augustæ: unde in dicto privilegio Ampliationis, quod fuit eodem die concessum, a prædicto Comitatu Augu-

stæ feuda jam dicta Sancti Calogeri ac Murgi & Pantani Salsi fuerant pariter dismembrata, ut litera dicti privilegii manifestat. *Et quia* (sunt verba privilegii) *dictas Terras & Castra Ferulæ Sortini & Montisclimaci, cum praedictis unc. quingentis ac jure tareni supradictis, præfato Comitatui Augustæ addidimus & coadunavimus, ut præfertur, per quas additiones & coadunationes supradictas dictum Comitatum Augustæ videtur satis ampliatum & augmentatum: ut in certis terminis Comitatus ipse limitetur & cognoscatur; supplicationibus etiam vestri Guillelmi Raymundi de Montecateno Comitis, separamus, segregamus & amovemus ab eodem Comitatu Augustæ ac viribus & juribus Comitatus prædicti, castrum & feudum Sancti Calogeri, & feudum Murgi: juribus tamen omnibus, quæ habet Ecclesia Sancti Jacobi ordinis Miliciæ in dicto feudo Sancti Calogeri, intactis remanentibus eidem Ecclesiæ, penitus, & illæsis: Castro ipso Sancti Calogeri cum suis juribus universis, vobis (dicto egregio Guillelmo Raymundo & vestris hæredibus & successoribus in perpetuùm) ac feudo Murgi separatis per nos ab ipso Comitatu, de per se integris cum eorum juribus remanentibus: cùm ipsa per aliud instrumentum publicum sive privilegium Marchionatui duximus applicanda Meliveti & coadunanda, prout ipsa castrum Sancti Calogeri cum feudo, & feudum Murgi, dicto Marchionatui addimus & coadunamus, ut in ipso instrumento publico seu privilegio continetur: Ecclesiæ tamen juribus, quæ habet ipsa Ecclesia in feudo tantùm prædicto Sancti Calogeri, remanentibus ipsi Ecclesiæ integris & illæsis, vobisque Guillelmo Raymundo Comiti Augustæ ac vestris hæredibus & successoribus in perpetuùm juribus & præeminentiis ac prærogativis, quæ vos Comes Augustæ prædictus & prædecessores vestri in dicto feudo Sancti Calogeri soliti estis & fuerunt vestri prædecessores habere & habetis vos, in dicto feudo remanentibus.*

Hinc est, quòd quando Comes Guglielmus dixit in codicillis (quos Reges obsignarunt) quòd suam dispositionem super Comitatu Augustæ confirmabat juxta formam privilegiorum, quæ sibi a Regibus noviter concessa erant; nō usus fuit liberâ disponendi facultate, quæ in eis sibi a Regibus quoad antiquum Comitatum attributa erat. Quare hoc dixit, ut C. Matthæus, non quidem integrum Comitatum consequeretur, nempe cum feudis Sancti Calogeri, Murgi & Pantani Salsi, ut in testamento mandatum erat; sed ut diminutum, nempe absque feudis prædictis, uti a Regibus in privilegiis fuerat demandatum, Comitatum haberet. En verba codicilli, quem Reges scripserunt. *In primis ratificando e confirmando lu dittu nostru testamentu (eccettu in quantu esti additu, diminutu, mutatu e diclaratu pri lu prisenti codicillu) vulemu e cumandamu, chi Matteu nostru figghiu primogenitu haja pri raxiuni di ligatu o fidecommissu, pri sua parti, lu Cuntatu d'Augusta, secundu la forma di li privilegi*

vilegii a nui cuncessi e cunfirmati noviter pri li ditti Signuri, cu li sustitutioni e carrichi notati in lu dittu nostru testamentu. Ly autem *secundu la forma di li privilegii a nui cuncessi e cunfirmati noviter pri li ditti Signuri*, eam orationis partem subsequitur, in qua Comiti Matthæo Comitatus Augustæ confirmabatur. Cùm enim superiùs relatio facta esset ad testamentum, in quo Comitatus integer relictus fuerat; ne integer quoq; confirmatus videretur, fuit de forma privilegiorum facta mentio, & subsequenter dictum est, *cu li sustitutioni e carrichi nutati in lu dittu nostru testamentu*.

Quod evidentiùs apparebit, si in memoriam revocabimus circumstantiam supra transcriptam, quæ in testamento continetur, nempe, quòd Comes Guglielmus ibi fatetur, Comitatum habuisse ex successione vel ex donatione Comitis Matthæi sui genitoris. Hoc autem in codicillis non improbatur: nam testamentum quoad omnia, præter ea, quæ fuerunt in codicillis innovata, approbatum est. Et proinde fideicommissum, non vigore facultatis a Rege concessæ ordinatum fuit; sed eo modo remansit, prout in testamento a C. Guglielmo, qui hujusmodi potestatem non habebat, fuerat institutum. Et sanè mentio privilegiorum in codicillis tam in prædicto capitulo institutionis Comitis Matthæi, quàm in aliis capitulis, ad eum finem tantùm facta est; ut de aliis bonis postea quæsitis & Marchionatui Melitæ aggregatis, Guglielmum Raymundum alterum filium suum & hæredem universalem honoraret, & alios filios suos in eis particulariter institutos.

Diximus autem, quòd, quatenus Reges liberam disponendi facultatem super antiquo Comitatu Comiti Guglielmo concedere voluissent, non potuerunt. Unde (non obstante quòd necessarium non esset, cùm voluntatis defectus evidentissimè probatus sit) potestatis defectum evidentissimè demonstrabimus. Juris enim † est 8
absolutissimi, quòd Regi licitum non videatur, antiquam feudi formam mutare in præjudicium eorum, quibus in prima investitura jus quæsitum est. Et neque de ordinaria, neque de absoluta potestate, etiamsi Vasalli consensus accederet: ut superiùs probatum fuit, &, ultra ibi citatos, advertit Giurba *de feud. prælud.* 4. *n.* 61. Capyc. Latr. *decis.*70. *n.*44. *&* 45. Cammarata *tom.* 2. *resp.* 4. *art.* 4. *n.*58. *& seq.* Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §. 4. *n.*372. *& seq. &* §. 7. *n.* 650. *&* 652. Et vera conclusio est. Non profectò quia de Regis potestate (quod nefas est) valeat dubitari; sed quia † Rex, per quæ- 9
cunque amplissima verba, nunquam videtur juri tertio quæsito præjudicium inferre: &, quatenus privilegii litera contrarium ostenderet, præsumendum est, Regem fuisse a partibus circumventum: ut iterum legi possunt Luca *& alii in præcedenti hujus discursùs parte citati*.

Instat nihilominus Adversarius,

licèt in præjudicium eorum, qui contemplati sunt in prima investitura, Regibus antiquam formam mutare non permittatur; adhuc tamen, si justa & legitima causa intercedat, id Regibus satis superque licitum sit. Unde, cùm in casu nostro de causæ justitia dubitari non possit (ut fatentur ipsi Reges in privilegio, in quo pro beneficio Regiæ Curiæ, & honore, & statu pacifico Regni, juri tertio quæsito derogare intellexerunt;) rectè sequitur, quòd Reges id facere proculdubio potuissent. Dixerunt equidem Reges: *Quoniam nos de certa scientia, & plenitudine potestatis legibus absolutâ, rationabili causâ præcedente, nostris Majestatibus satis clara, & pro beneficio nostræ Curiæ, & honore dicti Regni, & statu pacifico & tranquillo, & ut fidelibus servitoribus nostris, qui nostris obsequiis insudare non formidant, ac periculo subire multiplici se disponunt &c. Supplentes de nostræ plenitudine regiæ potestatis omnes defectus, si qui fortè intervenerint, aut fuerint in præmissis: quoniam volumus, quòd omnia & singula tacita & expressa, si in præsenti instrumento intelligantur, & interpretentur ad omnem vestri & vestrorum hæredum & successorum majus commodum & profectum &c. nos de certa scientia, & plenitudine regiæ potestatis legibus absoluta supplemus omnes defectus juris & facti.*

Verùm non obstat oppositio, quoniam punctus stat in applicatione. Præscindendo enim, quòd hæc non esset specialis derogatio aliunde necessaria, ut supra probatum est: derogatio ipsa generalis, non refertur ad concessam disponendi libertatem, sed ad concessionem feudorum, quæ in regio demanio existebant & nihilominus in Comitem Guglielmum alienata fuerant, & ad dismembrationem feudorum Sancti Calogeri, Murgi & Pantani Salsi è Comitatu Augustæ, de cujus pertinentiis erant. Quamvis autem dicatur etiam in privilegio, quòd ad dispensationem à Regibus deveniebatur ob servitia a Comite Guglielmo præstita, & ob pecuniam ab eo impensam in oppugnatione rebellium & in Regni recuperatione; nihilominus haud unquam ex eis ad liberam concedendam disponendi facultatem relatio fieri potest, sed ad idem, nempe ad feudorum alienationem & ad Comitatûs dismembrationem. Etenim servitia, expensæ, labores & alia a Comite Guglielmo in Regum servitium præstita, jam fuerant expressè remunerata per aggregationem factam Marchionatui Melitæ, & per aliorum feudorum, castrorum & terrarum aggregationem factam Comitatui Augustæ, ac aliorum feudorum & officiorum concessiones. Cæterum justa causa quoad effectum præsentem afficere deberet comprehensos in antiquis investituris: quod nullo pacto potest in casu nostro verificari.

Diximus tandem, quòd etiamsì Reges voluissent & potuissent liberam disponendi facultatem Comiti Guglielmo tribuere; nihilominus

minus res ad eum statum redacta est; ut quælibet disponendi libertas cessaverit. Et quidem animadvertendum est, quòd considerabile illud bonorum aggregatorum additamentum, ex quo prætendi posset antiquæ formæ alteratio, in linea Comitis Guglielmi non durat. Eo enim casu examinanda esset controversia, an Rex & Vassallus formam mutare potuissent? quo duraret prædicta castrorum aggregatio, & Comitis Guglielmi descendentes, retinendo aggregationes, eo fuissent contenti, non obstante quòd jure proprio ex antiquo fideicommisso in antiquo Comitatu succedere potuissent. Ubi verò ipsi contenti non sint,
10 † vel penès eos, & præcipuè penès ultimò defunctum bona aggregata non perveniant, adeout titulus aggregationis expiraverit; personæ, quæ in antiqua investitura comprehenduntur, successionem obtinere debent: nam feudum antiquum remanet in sua primæva natura & statu. Luca *de feud. disc.* 44. *a n.* 5. *ad* 8. Quod eò magis in nostro themate locum habebit, quò Comitatus in successores etiam immediatos dicti Comitis Guglielmi, nedum cum prædictis additionibus non pervenit; verùm etiam satis superque diminutus in filiis dicti Comitis Guglielmi & in sequentibus successoribus, facto ejusdem Comitis Guglielmi, conservatus est. Et sanè in prædicto privilegio, ut visum est, ad hoc, ut locum haberet aggregatio; feudum Murgi & feudum Sancti Calogeri ab antiquo Augustæ Comitatu dismembrata sunt, & cum Marchionatu Melitæ, cui fuerunt aggregata, publicationem subierunt. Unde usque in præsentiarum a regiis alienatariis possidentur, quoniam a Rege Martino juniore, ut infra dicetur, anno 1398. Comitatus Augustæ Comiti Matthæo II. filio dicti Comitis Guglielmi absque dictis feudis restitutus est.

Divinativa tamen visa est Adversario memorata ratio cessatæ facultatis ex cessata aggregatione: cùm in ampliationis privilegio non legatur, quòd in tantùm fuit Comiti Guglielmo & ejus hæredibus libera concessa disponendi facultas super antiquo Comitatu, in quantùm eidem novæ factæ fuerunt additiones; sed unum independenter ab alio concessum est: adeout, quamvis cessaverint aggregationes, disponendi libertas non cessaverit.

Sed ratio per nos adducta subsistens & adæquatissima judicari debet, nam ex claro ipsius privilegii contextu id evidenter apparet. Et Reges quidem, ampliationem Comitatùs Augustæ, per universum privilegium facere voluerunt, & accessoriè ad ampliationem assertam disponendi facultatem Comiti Guglielmo tribuerunt. Unde est, quòd, si aggregatio, quæ erat actus principalis, cessavit; cessare etiam debuit accessorium. *Vulgatis juribus*. Quod a posteriori indubitabile redditur. Cessante enim aggregatione ex delicto Comitis Guglielmi, ut dictum est: cùm voluisset Rex Mar-

tinus Comiti Matthæo II. primogenito ejusdem Comitis Guglielmi, restituere Comitatum Augustæ, quia de antiquo tantùm Comitatu constabat; ipsum Comiti Matthæo restituit anno 1404. prout Avus & Proavus ejusdem Comitis Matthæi II. nempe Comes Matthæus I. & Comes Guglielmus Raymundus II. possederunt.

Nec vim aliquam in contrarium facere potest Adversarii replicatio, quòd scilicet ad Comitatùs integritatem vel quantitatem a Rege facta est relatio, non autem ad modum succedendi; nam utrumque in dicto privilegio a Rege affirmatur. Dicitur enim, quòd eo modo habere deberet Comes Matthæus Comitatum; quo habuerunt ejus Avus & Proavus tam quoad diminutionem sequutam ex publicatis aggregationibus, quàm quoad modum succedendi: nam in dicto privilegio anni 1404. inseruntur privilegia annorum 1365. & 1373. in quibus modus succedendi per expressam clausulam juris francorum impositus est, ut infra fusiùs enucleabitur.

Tandem verò exageratum Comitis Guglielmi fideicommissum, quòd puræ masculinitatis sit, sustinuisse videtur U. J. D. D. Benedictus Porcarius Compater meus amantissimus, subtilissimus Jurisconsultus, ac Tribunalis Regiæ Monarchiæ Fisci Patronus, in suo elegantissimo discursu, quem edidit favore Domini Ducis Fernandinæ, ultimò defuncti, ut dictum est, ex Domina Cliente nepotis.

Utcunque tamen sit, atq; etiamsì Comes Cuglielmus primus esset quæsitor, & de integro Comitatu ageretur; adhuc tamen prædictum fideicommissum, pro Comitatùs successione, attendi non deberet, quoniam Comes Guglielmus in delicto decessit. Proindeque cùm feudum ad dominum reversum fuerit; antiqua forma extincta est, eaque debet observari, quæ a Rege in nova concessione demandata videtur. Isernia *in cap.* 1. §. *bujus autem generis n.* 12. *&* 13. *ex quibus causis feudum amittatur*.

Hujusmodi tamen veritatem Adversarius improbare prætendit ex multis, quæ cùm sacris nostræ Regiæ Cancellariæ monumentis apertè resistant, nullo jure veniunt admittenda. Et quidem opponit primò, quòd hujusmodi crimen præsumendum non est in C. Guglielmo viro nobilissimo, & de regio sanguine genito, & qui Regum servitio erat taliter addictus; ut fuerit ob suas virtutes & merita laudibus & encomiis, supra cæteros Regni proceres, a Regibus commendatus.

Sed quis unquam negabit, Comitem Guglielmum ex regio sanguine progenitum? Quisnam ea, quæ a Comite Guglielmo gesta sunt, quæque laudibus jam supra fuerunt cumulata, negare forsitan audebit? Verùm, iis non obstantibus, præsumptio cedere debet veritati, cui tantum præsens assumptum innititur, quæque fundatur in relatione eorum, quæ in regiis privilegiis continentur; non

non autem præsumptionibus & conjecturis, quæ per contrarias tolli possent.

Opponit secundò Adversarius, quòd, præscindendo a præsumptionibus, reverà C. Guglielmus nunquam deliquit, nam de suo delicto neque in genere constat.

Sed facilis est responsio, quoniam in multis plerisq;regiæ Cancellariæ privilegiis, id pro certò a Regibus affirmatur. Et inter alia Anno 1397. die primo Januarii. In electione Judicis Agrigenti in personam Jacobi de Randatio, hæc adnotantur. *Propter novitates hactenùs motas & factas per Guillelmum Raymundum de Montecateno nostrum proditorem enormem, volumus, pro nostri Regni tranquillo statu, ordinare nostros fideles officiales, maximè in Civitate nostra Agrigenti, ubi idem Guillelmus Raymundus diversas nefarias texuerat proditorias falsitates &c.*

Anno 1397. die quarto Januarii. In confirmatione donationis feudi *Burgii* & aliorum, facta favore Raynaldi de Landolina, ità affirmatur. *Et cùm post hæc omnia, præfatus Guglielmus Raymundus effectus fuerit noster hostis & publicus rebellis &c.*

Anno 1397. die 16. ejusdem mensis Januarii. In concessione feudi *Culcàsi* expedita ad favorem Notarii Antonii de Joanne, hæc verba leguntur. *Quod, cùm ob detestabilem & nefariam proditionem contra excellentias nostras commissam per quondam Guillelmum Raymundum de Montecateno olim Marchionem Meliveti, nostrum manifestum rebellem & publicum proditorem, omnia bona ipsius mobilia, stabilia, terræ, castra & singula bona feudalia ipsius, fuerint & sint nobis & fisco nostræ Curiæ debitè applicata & rationabiliter confiscata, prout de proditione ipsius & confiscatione omnium bonorum ejus, legitimè liquet & constat per sententiam contra eum & sequaces ejus latam per Magnam nostram Regiam Curiam in actis ejusdem Curiæ donatam & scriptam &c.*

Eodem anno & die. In concessione feudi *Sancti Juliani* emanata ad favorem Martini de Scalambro, sic etiam Reges affirmant. *Tum propter rebellionem detestabilem quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno olim Comitis Augustæ nostri manifesti rebellis & publici proditoris, tum etiam propter rebellionem & proditionem Antonii de Sacca rebellis nostri, & sequacis ipsius Guglielmi Raymundi, qui, vel alter eorum, dictum feudum tempore eorum fidelitatis possidebant, vel quocumque alio jure, ratione, vel causa fisco nostræ Regiæ Curiæ rationabiliter acquisitum, contra quos propter eandem eorum proditionem, contra nostras excellentias commissam & statum pacificum dicti Regni nostri, sententia condemnationis, proditionis & confiscationis bonorum ipsorum, & cujuslibet eorum per nostram M. R. C. lata fuit, prout in ejusdem actis Curiæ continetur.*

Eodem anno 1397. die 10. Februarii. In concessione castri & feudi vocati *lo Munti di Climici.* expedita ad favorem Conradi del Castello, extant verba sequentia.

Ca-

Castrum & feudum vocatum lo Munti di Clinici, *positum in valle Noti subscriptis finibus limitatum, quod seu quæ fuerunt quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno olim Comitis Augustæ nostri manifesti rebellis & publici proditoris, & ob ipsius Guglielmi detestabilem proditionem contra excellentias nostras & statum pacificum dicti nostri Regni commissam, latâ prius sententiâ proditionis ipsius & confiscationis omnium bonorum ipsius Guglielmi Raymundi per Magnam nostram Regiam Curiam, prout in actis dictæ Magnæ Curiæ continetur, fuerunt & sunt nobis & fisco nostræ Curiæ debitè acquisita & rationabiliter confiscata*.

Eodem anno 1397. die primo Martii. In concessione feudi *della Carrubba*, ad favorem Henrici Statella, hæc verba leguntur. *Deinde verò præfatus miles a tenuta & possessione dicti feudi extitit actualiter & defactò contra juris ordinem destitutus per Guglielmum Raymundum de Montecateno olim Marchionem Meliveti, Majestatis nostræ publicum rebellem & proditorem, qui feudum præfatum Joanni Schifano filio legitimo & naturali dicti Pini familiari & sequaci suo, in ipsius militis præjudicium & juris injuriam tradidit & assignavit. Nuper autem circa principium anni præsentis 6. Indict. præfatus Joannes Schifanus filius legitimus & naturalis dicti Pini &c.* Et subsequenter: *Contra serenitates nostras, & pacificum statum reipublicæ dicti nostri Regni, tanquam unus ex principalioribus sequacibus ipsius quondam nequissimi & ingrati nostri proditoris Guglielmi Raymundi de Montecateno olim Marchionis Meliveti, crimen læsæ majestatis commisit*.

Eodem anno 1397. die 6. Martii. In reductione ad regium demanium Terræ Tripis, hæc scripta videntur. *Cùmque pridie quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno olim Marchio Meliveti, debitæ fidelitatis immemor, se contra nostras Majestates rebellaverit unà cum suis filiis, specialiter cum Joanne de Montecateno ejus filio.*

Anno 1398. die 29. Aprilis. In concessione feudi *Scalisi* ad favorem Francisci Armaleone, hæc etiam scripta videntur. *Quod cùm dudum quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno olim Marchio Meliveti, & Joannes de Montecateno ejus filius, eorum tempore fidelitatis, dicto Francisco & suis hæredibus de suo corpore legitimè descendentibus in perpetuùm dederint & concesserint quoddam feudum vocatum* Scalisi, *situm in plano Milatii in territorio Terræ Tripis & Nugariæ, terminatum cum feudo vocato Sancta Barbara*.

Eodem anno 1398. die 6. Maii. In concessione cujusdam frusti terrarum, relaxata in favorem Marchionis Landolina, infrascripta enunciatio legitur. *Prout de proditione dicti Orlandi & confiscatione bonorum suorum, tanquam unius ex sequacibus quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno olim Marchionis Meliveti, cum quo, dum vixit, adhæsit, & post ejus decessum cum fratribus & filiis dicti quondam Guglielmi Raymundi, necnon cum An-*

Antonio de Vigintimillio olim Comite Gulisani, nostris manifestis rebellibus & publicis proditoribus, cum quibus perseveravit & perseverat de præsenti, apertè constat.

Opponit tertiò Adversarius, quòd iteratis prædictis Regum assertionibus standum non est: quoniam de jure, propter interesse devolutionis, regia assertio sufficiens non reputatur. Sicuti nec sufficeret, si Vasallus delictum confessus esset: quia hujusmodi confessionem in præjudicium successorum facere non posset.

Sed nihil refert hujusmodi objectio, quoniam id solùm allegari permittitur, cùm non aliter, quàm per nudam Regis assertionem delicti probatio prætendatur; non autem quando ipsa aliis veritatis adminiculis (ut nostro in casu) instructa videatur.

Ultra quàm quòd non est hæc mera Regum assertio; sed totius Sacri Regii Consilii publica declaratio. Siquidem in epistola conscripta Comiti Mileti, in qua Rex (ut dictum est in facto) Comitem Guglielmum cæteris principaliorem fuisse, renunciat; totum Sacrum Regium Consilium intervenit. Idemque etiam intervenisse videtur in supplicationibus, quæ Regibus factæ sunt a Comite Matthæo, a Comite Antonio & Joanne: in quibus quidem supplicationibus mentio hujusmodi facta est de delicto filiorum, quod idem est ac Comitis Guglielmi, quia omnes simul delictum perpetrarunt. *Quista è la finali intentioni di lu Serenissimu Signuri Rè supra li supplicationi e capituli prisintati a la sua Maistati pri parti di lu nobili misser Matteu, Antoni e Joanni di Muncata, cum deliberata provisioni ed esamine di lu sò Sacru Cunsigghiu.*

Quamvis autem solius Regis Martini fuerit assertio; non per hoc ad finem præsentem sufficientissima non esset: quoniam (quod est omni laude & admiratione dignissimum) Rex Martinus adeò circumspectè in hac causa se gessit; ut, etiamsi alia delicti probatio non concurreret, sola sua assertio, quanquam de proprio devolutionis interesse ageretur, delictum satis superque probaret. Atque in privilegiis a se concessis ante sententiam, quia tunc fortè spes aderat resipiscentiæ; C. Guglielmum nec ingratum vocat, nec suum inimicum, sed tantùm a suo servitio aberrantem: ita enim dicitur in privilegio electionis Locumtenentis in officio Magistri Justitiarii, quo Comes ipse fungebatur. Anno 1397. die 22. Octobris, *vers. Denique attendentes ipsius Magnæ Curiæ regimen a solitis præeminentia & debito exercitio, esse ad præsens aliqualiter deviatum ex eo, quod Guglielmus Raymundus de Montecateno dicti nostri Regni officio Magistri Justitiariatùs fungens, a semitis nostrorum servitiorum extitit alteratus satis & deviatus.*

Rursus, sententiâ jam pronunciatâ, ut Regni officiales Comitissam Stephaniam uxorem C. Guglielmi (utì non culpabilem) decenter in Regno exciperent;

An-

Anno 1398. die 8. Augusti. Rex Martinus ità rescripsit. *Tenore præsentium mandamus, quatenus nobili Stephaniæ de Montecateno familiari & fideli nostræ, seu legitimæ personæ pro ea, de omnibus & quibuscumque depositis, commendis & aliis debitis sub quacunque actione celebratis, & factis seu initis per eam seu alios, nomine sui, vel ad eam pertinentibus & spectantibus, contra quoscumque nostros fideles de dicta Civitate; non obstante rebellione quondam Marchionis mariti sui, in qua eam non consideramus esse culpabilem, responderi integrè faciatis summariè ei & suis procuratoribus, complimentum justitiæ ministrantes: obviando malitiis & frivolis, sive injustis defensionibus & incompetentibus allegationibus calumniantium debitorum.*

Ulteriùs dicto anno 1398. die 15. Octobris. Idem Rex Martinus, quia defactò compertum habuit, Isabellam & Eleonoram Comitis Guglielmi filias paterni delicti conscias non esse; eas non solùm ab actuali Reginæ servitio non amovit, imò etiam gratiis & favoribus cumulavit, & ità a Regni officialibus excipiendas esse, mandavit: ut in privilegio earum favore a Regibus expedito declaratur. *Declarantes, nobiles Isabellam & Eleonoram mulieres de Montecateno, familiares & fideles nostras, nobis continuè & nunc ad præsens nostras fuisse & esse fideles. Et licèt in nostro Regno prædicto, per nonnullos Barones nostros, multæ & diversæ fuerint revolutiones Comitissa contra nos & pacificum statum republica dicti nostri Regni; tamen præscripta nobiles Isabella & Eleonora fidem nostram regiam immaculatam pro continuò servaverunt. Volentes propterea, eis & cujuslibet earum, in omnibus negotiis & causis earum justitiam ministrari cum opportuno favore; vobis & cujuslibet vestrum tenore præsentium firmiter & expressè mandamus, quatenus præfatis nobilibus & cuilibet earum, vel ipsarum cujuslibet earum legitimis procuratoribus, de omnibus & singulis rebus & causis ad se & quamlibet earum spectantibus & pertinentibus quomodocumque, jure, actione, ratione, vel causà, & specialiter ratione hæreditatis suæ, jure naturę vel successionis maternę, aut ratione legati vel fideicommissi, ex quibuscunque testamentis seu codicillis, & aliis singulis actionibus atque causis per quascunque personas cujuscunque gradùs, conditionis vel dignitatis existant, vocatis & præsentibus coram vobis partibus, quæ tanguntur, & ipsarum probationibus defensionibus summariè & ex rupto plenariè intellectis, cognitàque substantia veritatis, velox & efficax complimentum justitiæ effectualiter ministretis, ritu aliquo non obstante: quoniam eisdem veluti nobilibus mulieribus, familiaribus, servitricibus, domesticis nostris, continuè stantibus in famulatu & servitio dictę Reginę, & inhabilibus ob temporum malitiam ad diutius litigandum, sic summariè ex rupto & de plano expeditam justitiam ministrari, volumus & jubemus cum justifico favore.* Et demum Rex Martinus in sæpius enunciatis capitu-

pitulis, ac firmatis *anno 1398. die 10. Junii*, Comitis Matthæi & Comitis Antonii & Joannis nedum clementissimè misertus est, & a delicto absolvit; verùm etiam Augustam, Adernionum & Ferulam eisdem liberaliter concessit.

Urget autem quarto loco Adversarius, quòd (quidquid sit de antedictis) ut Vasalli bona publicentur; requiritur delicti plenissima probatio ex processu resultans, & sententia omnibus vallata solemnitatibus. Atqui de his in casu nostro non constat, quamvis in nonnullis ex insertis privilegiis sententia fuerit in genere enunciata. Consequens ergo, quòd C. Guglielmus nunquam rectè dici potuit Regis inimicus.

11 Sed respondemus, quòd † nostro in Regno in Regis inimicis notoriis, & facti permanentis, juris communis solemnitates non desiderantur; sed ipsò factò possunt illorum bona occupari, ad regium ærarium reduci, atque a Regibus tanquam de re propria fieri concessiones: ità enim sancitum est ab ipsomet Rege Martino *in capitulo Regni* 48.

12 Verum est autem, quòd † in capitulo 49. ejusdem Regis statutum etiam videtur, quòd in crimine læsæ majestatis procedi debeat, *factà prius probatione*, ait ipsemet Rex, *de crimine coram Judicibus nostrę Magnę Regię Curię, aut aliquo ex eisdem* (& paulò post) *eò ipsò, quòd in dicta Magna Curia crimen, ut dictum est, constabit* (atque inferiùs) *sic, quòd nulla alia solemnitas in hoc casu servetur, ex quo constet de crimine supradicto.*

13 Verùm enimvero † per hujusmodi immediatum capitulum non videtur antecedenti derogatum: cùm nihil aliud in eo statutum veniat, nisi quòd per probationes constare debeat de delicto in genere sumpto, non autem quòd in delictis notoriis & facti permanentis eædem requirantur solemnitates, quarum necessitas per antecedens capitulum sublata videbatur. *Nostrates passim*. In casu autem nostro, omnes penitus servatas esse solemnitates, formatumque processum ac sententiam, bonorumque publicationem per Magnam Regiam Curiam, Regibus & toto Sacro Consilio præsentibus, & copiosà intercedente populi multitudine, juridicè indictam fuisse cum die & Consule, in aliis quidem infrascriptis privilegiis affirmatur, ultra ea, quæ pariter inferiùs referentur.

Et quidem anno 1397. die 16. Januarii. In concessione Terræ *Saponariæ* facta Nicolao Castagna, hæc adnotantur. *Quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno Marchio Meliveti, & Joannes de Montecateno ejus filius, aliique fratres & filii sui tanquam ingratissimi, eorum beneficiis & salutis immemores, conjurationem & rebellionis calcaneum contra nostras majestates, & statum pacificum dicti nostri Regni erigere improvidè prę-sumpserunt. In qua rebellionis perfidia dictus Guglielmus Raymundus mortuus extitit: & prędictus Joannes ejus filius cum avunculis & fratre suis, tanquam rebelles et proditores,*

tores, quamplurimorum actuum etiam stantium & nequiter perseverat. Ob quorum omnium prædictorum, & specialiter dicti Joannis rebellis, & proditionis crimen, omnia eorum & ejus feuda & bona quæque, & specialiter terra & castrum Sapunariæ, *fuerunt & sunt fisco nostro applicata, & ea ejusdem nostri fisci juribus, per sententiam Magnæ Regiæ Curiæ in scriptis, duximus, declaravimus, fuisse & fore applicata, confiscata & acquisita, prout in ipsa sententia lecta pronunciata, omnibus solemnitatibus observatis, quæ in talibus requiruntur, in castro nostro civitatis Cataniæ, nobis pro Tribunali more solito sedentibus, die 16. Novembris præsentis anni 6. Ind. latiùs continetur, & constat.*

Anno 1397. die 18. Januarii: In concessione castri & feudi *Cassibilis* expedita ad favorem Jacobi de Arezio ità etiam affirmatur. *Quod cùm ob notoriam & incautam rebellionem ac crimen læsæ majestatis, per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno, Marchionem Meliveti, Regnique Siciliæ Magistrum Justitiarium, contra nostras excellentias nefariè perpetratum, bona ejus omnia & singula tam castrentia quàm feudalia & burgensatica, fisco nostro legitimè & rationabiliter devoluta, aperta seu etiam confiscata, & per sententiam per Magnam Regiam Curiam solemnitatibus debitis inde latam; eundem Guglielmum Raymundum & ejus sequaces decrevimus, reos fore criminis læsæ majestatis: & propterea etiam ipsum Guglielmum, ejusque sequaces adhærentes prædictos, omnibus eorum bonis tam mobilibus quàm stabilibus, castrensibus & paganicis, videlicet feudalibus & burgensaticis, ac bonoribus, dignitatibus, officiis & beneficiis eorum quibuscunque, per eandem sententiam Magnæ nostræ Curiæ privavimus, & privatos fore, declaravimus: ut in eadem sententia per dictam Magnam Curiam, ut prædicitur, lata die 16. mensis Novembris præsentis 6. Ind. in castro nostro civitatis Cataniç, sedentibus toto nostro Consilio, & aliis in multitudine copiosa assistentibus, plenissimè continetur. Quam sententiam hìc haberi volumus pro sufficienter inserta, posita & expressa.*

Anno 1397. die 27. Februarii. In concessione feudi *Guastanellç* facta ad favorem Philippi de Marino, hæc adnotantur. *Quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno dudum Marchio Meliveti, & Joannes de Montecateno ejus filius, aliique fratres et filii sui tanquam ingratissimi, eorumque beneficiis et salutis immemores, conjurationem et rebellionis calcaneum contra nostras majestates, et statum pacificum nostri Regni prçdicti, erigere proindè prçsumpserunt. In qua rebellionis perfidia dictus Guglielmus Raymundus mortuus extitit et defunctus. Ob quorum omnium prçdictorum, et specialiter prçdicti quondam Guglielmi Raymundi rebellionis et proditionis crimen, omnia eorum et ejus castra, feuda et bona quçcumque, specialiter castrum* Guastanellæ *fuerunt et sunt fisco nostro applicata, et ea ejusdem nostri fisci juribus, per sententiam Magnç Regiç Curiç in scriptis, duximus, declaravimus et de-*

denunciavimus, fuisse & fore applicata, confiscata & aequisita: prout in ipsa sententia lata, lecta & pronunciata, omnibus solemnitatibus observatis, quae in talibus requiruntur, in castro nostro Civitatis Cataniae, nobis pro Tribunali more solito sedentibus, die 16. Novembris praesentis anni 6. Indict. latiùs continetur, & constat.

Anno 1397. die ultimo Februarii. In concessione Castri & Terrae *Muxari* facta ad favorem Philippi Marino infrascripta adnotantur. *Quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno dudum Marchio Meliveti, & Joannes de Montecateno ejus filius, aliique fratres & filii sui tanquam ingratissimi, eorumque beneficiis immemores, conjuratorum & rebellionis perfidià dictus Guglielmus Raymundus mortuus extitit & defunctus. Ob quorum omnium praedictorum, & specialiter dicti quondam Guglielmi Raymundi rebellionis & proditionis crimen, omnia eorum & ejus castra, feuda & bona quaecumque, & specialiter Castrum & Terram* Muxari *fuerint & sint nostra Regiae Curiae fisco applicata, & ea ejusdem nostri fisci juribus per sententiam Magnae nostrae Curiae in scriptis duximus, declaravimus & pronunciavimus, fuisse & fore applicata, confiscata & aequisita: prout in ipsa sententia lata, lecta & pronunciata, omnibus solemnitatibus observatis, quae in talibus requiruntur, in castro nostro civitatis Cataniae nobis pro Tribunali sedentibus more solito, die 16. Novembris praesentis anni 6. Indict. latiùs continetur & constat.*

Anno 1397. die 16. Martii. In concessione feudorum *Spallae* & aliorum, facta ad favorem Agathae Ala, infrascripta enunciantur. *Quod cùm ob crimen laesae majestatis, contra serenitates nostras & pacificum statum reipublicae dicti nostri Regni nefariè commissum per quondam ingratum Guglielmum Raymundum de Montecateno, olim Comitem Augustae, nostrum rebellem & publicum proditorem, omnia bona ejus mobilia, stabilia, feudalia & burgensatica, & praesertim Comitatùs Augustae cum omnibus feudis & territoriis ipsius Comitatùs, in ejus territorio infrascripta quatuor feuda situantur, dicti quondam Guglielmi fuerint & sint nobis & fisco nostrae Curiae debitè applicata & rationabiliter confiscata, per sententiam latam per Magnam Regiam Curiam nostram, nobis pro Tribunali sedentibus, in praesentia totius nostri Consilii & multitudinis gentium copiosae, in castro civitatis Cataniae 16. Novembris p. p. 6. Indict. omnibus debitis solemnitatibus juris observatis, quae in talibus requiruntur, contra eundem Guglielmum Raymundum & sequaces ejus, ut in actis ejusdem Curiae clariùs continetur.*

Denique anno 1398. die 8. Junii. In concessione Terrae & Castri *Sortini* facta ad favorem nobilis Francisci Zagarriga, sequens enunciatio habetur. *Quod cùm ob notoriam & incautam rebellionem ac crimen laesae majestatis, per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno olim Marchionem Meliveti, Regnique Siciliae Magistrum Justitiarium, contra nostras excel-*

lentias nefariè perpatrata, bona ejus omnia & singula tam castrensia quàm feudalia & burgensatica, & specialiter terram & castrum Sortini *cum omnibus vasallis, feudis, membris, ac* juribus *& pertinentiis eorum, fuerint & sint fisco nostro legitimè & rationabiliter devoluta, aperta seu confiscata, & per sententiam per Magnam nostram Curiam omnibus solemnitatibus debitis inde latam, eundem Guglielmum Raymundum & ejus sequaces decrevimus, reos fore criminis læsæ majestatis. Et propterea ipsum Guglielmum Raymundum, ejus sequaces & adhærentes prædictos, omnibus eorum bonis tam mobilibus quàm stabilibus, castrensicis & paganicis, videlicet feudalibus & burgensaticis, ac honoribus, dignitatibus, officiis & beneficiis eorum quibuscunque, per eandem sententiam Magnæ nostræ Curiæ, privavimus & privatos fore, declaravimus: ut in eadem sententia per dictam Magnam Curiam, ut prędicitur, lata die* 16. *mensis Novembris* 6. *Indict. in castro civitatis Cataniç, nobis pro Tribunali sedentibus, toto nostro consilio & aliis in multitudine copiosa assistentibus, plenissimè continetur. Quam sententiam haberi volumus pro sufficienter inserta, posita, & expressa.*

Sed in contrariùm hoc loco replicatur, quòd quamvis hujusmodi solemnitates in sententiæ prolatione servatæ fuerint; eæ tamen in processu formando servatæ non sunt.

Verùm tamen hujusmodi replicatio locum habere non potest, quoniam ipsæmet enunciativæ satis probant, omnes penitus solemnitates de jure requisitas fuisse observatas. Quin etiam omnia ferè privilegia, & apertiùs postremum insertum privilegium affirmat, eas etiam in compilatione processus, fuisse adhibitas. Illud enim docet, quòd de delicti perpetratione plenè constitit: quod per necesse processum instructum supponere debet. *Prout* (sunt verba privilegii) *de perpetratione criminis hujusmodi, ejusque bonorum & jurium confiscatione, plenè constat.*

Opponit quintò Adversarius, quòd tandem ascriptæ assertiones, nec Regum sint, nec Sacri Consilii, sed Petri Serra Episcopi Catinensis, & Bartholomæi de Joenio regii Cancellarii, quorum quisque Comiti Guglielmo infensus erat, & suprainserta privilegia subscripsit.

Sed hoc est purum figmentum, & quidem intolerabile. Licèt enim omnia prædicta privilegia a memoratis Consiliariis signata videantur, quia id ad eorum munus pertinebat; non per hoc è Regum oraculo processisse, quisquam inficiabitur. Quanquam autem Petrus Tomic *in Historia Regum Aragoniç & Comitum Barchinonç cap.* 45. asserat, quòd Cardinalis Episcopus Catinensis, & Franciscus Saguarriga (non autem Bartholomæus de Joenio) Comitem Guglielmum perdiderint; id tamen non concludit, quòd ea, quæ in privilegiis habentur, Reges ignoraverint. Quinimo

imo tot tantæque concessiones de novò a Regibus factæ, innumeraque officia ex persona C. Guglielmi in alios translata, & quæ Reges non retractarunt, satis convincunt ipsorummet Regum scientiam: etsi Reges illa non signassent, & Protonotarius in suis libris (ut usque in præsentiarum conservantur) Regibus insciis, non registrasset. Quod multò magis procedere non potest in Bartholomæo de Joenio, de quo author prædictus nullum quidem verbum facere videtur. Cùm enim Joenii inimicitia non ex alio desumatur, nisi quia, publicatâ contra C. Guglielmum sententiâ, Joenius fuit Noariâ investitus, quasi quòd ad hunc finem privilegia absque Regum mandato signaverit; cùm tamen id satis debile sit argumentum, dignum non censeo cui respondeam.

Nec esset alteri respondendum, quòd prædicti Comitis inimici, de concessione bonorum omnium Comitis Guglielmi solliciti fuerunt, ne fortè, ejus detectâ innocentiâ, bonorum excorporatio sequeretur: eam enim Rex ordinavit nedum contra bona Comitis Guglielmi, verùm etiam omnium delinquentium. Ità dicitur Anno 1398. die primo Julii in quodam privilegio expedito ad favorem Joannis de Paternione, ibi: *His diebus elapsis in divisionibus & distractionibus bonorum rebellium, per nos factis fidelibus nostris.* Eodem anno 1398. die 10. ejusdem in concessione Castri *Mungialini*, ibi.: *Ut de sententia ipsa in actis nostræ Magnæ Curiæ, & de donatione ipsius Castri in quaternis distributionis dictorum bonorum rebellium, hæc et alia extentiùs continetur.* Anno 1399. die 9. Junii in concessione gabellæ vini Civitatis Platiæ facta favore Nicolai, ibi: *Cùm olim in distributione bonorum rebellium confiscatorum nostræ Curiæ, ob rebellionem quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno & aliorum &c.*

Unde, quoniam eâ tempestate nedum solus Comes Guglielmus a regia fide discessit, sed cum eo quamplures alii Regni proceres, ut infra sua sede dicetur, & proinde non solùm ejus bona, sed etiam bona aliorum fuere incorporata, & distributa; cessat penitùs assumptum, quòd Cardinalis & Cancellarius, ad evitandam bonorum Comitis Guglielmi excorporationem, ea statim fecerunt aliis vassallis & sibimet ipsis assignari. Et sanè, iterum repetam, hujusmodi Cardinalis aliorumq; Consiliariorum inimicitia cum Comite Guglielmo, purum est figmentum: nam & Cardinalis & Bartolomæus de Joenio omnia ea privilegia, quæ in Comitis laudem & encomium a Regibus dicta sunt, paucis antea mensibus signaverant. Fideles enim Regum ministri, regia oracula Comiti modò favorabilia, modò contraria fidelissimè scripserunt.

Sextò opponit Adversarius, quòd Reges de Comitis Guglielmi delicto usq; adeò dubitarunt; ut, in aliquibus concessionibus post Comitis delictum factis, ejus filio-

filiorum interventum voluerint.

Hujusmodi tamen objectio non est attendenda: quoniam non ex eo filii in paucissimis feudorum concessionibus intervenerunt, quòd necessum fuit Regibus, ut ipsi alienationibus assensum prębeṙent; sed quia sic magis expediebat concessionariis ex causa onerosa. Cùm enim nonnulla feuda, quæ concedebantur, antiqua essent, & non ex solo Guglielmo, sed ex aliis filiorum suorum ascendentibus provenissent, qui forsitan in eorum dispositionibus fiscum excluserant; ad uberiorem cautelam, & ne imposterum forent ab illis molestati, eorum assensum requisierunt, ut id privilegia ipsa manifestant.

Opponitur septimò, quòd, non obstante bonorum devolutione, ex qua omnes penitùs hypothecæ resolutæ sunt; adhuc tamen voluerunt Reges, quòd debita a Comite Guglielmo contracta solverentur: quinimo ex illis nonnulla in dimissionem debitorum assignarunt.

Sed licèt verum certumque sit, quòd resoluto jure Vasalli, Rex ad eorum debita non teneatur; solent nihilominus Reges ex summa clementia atque humanitate illa persolvere: unde non quia forsan ob Comitis innocentiam contra Vasalli bona potuissent se creditores dirigere, nec quia Reges de illius delicto dubitarunt, sed ex pura tantùm clementia illorum dimissio demandata est, ut manifestum apparet.

Octava objectio est, quòd Comes Guglielmus habitus fuit a Regibus pro fideli, & quidem post emensum brevissimum tempus a sententia, qua delictum declaratum est: nempe a die 16. Novembris 1397. quo fuit pronunciata, usque ad diem 10. Junii 1398. quo fuit a Regibus gratia concessa Comiti Matthæo, Comiti Antonio & Joanni, vel usque ad diem 20. ejusdem mensis Junii, quo fuit eidem Joanni concessa Terra *Ferulæ*. Imò in hoc postremo privilegio & in aliis, Comes dicitur Nobilis, & non ampliùs infidelis.

Non est tamen attendenda hujusmodi objectio: præscindendo enim quòd modicum non sit tempus, quod ab uno ad alios actus intercessit: hoc ipsum, quod ex adverso obiicitur, non probatur. Et quidem id non probant capitula facta die 10. Junii 1398. nam in iisdem capitulis ipsimet fratres & filii, qui gratiam obtinuerunt, in possessione bonorum, quæ pater & respectivè germanus frater occupaverat, usque adeò perstitisse, confessi sunt; ut illorum restitutionem, quorundam infra diem, quorundam infra biduum, Regibus promiserint, ut defactò restituerunt. Unde, ut fuit ponderatum, in hujusmodi capitulis potiùs delictum Comitis Guglielmi fuit declaratum, quàm controversum.

Ulteriùs, neque id, quod ex adversò proponitur, convinci potest ex concessione *Ferulæ* factâ Joanni die 20. dicti Junii 1398. Quamvis enim negari non pos-

sit,

sit, quòd in eo privilegio Comes Guglielmus, Nobilis titulo condecoretur; tamen id in sequelam præcedentium capitulorum factum est, non autem quia Reges Comitem Guglielmum innocentem existimarunt: ibi enim promiserant Reges, illius fratrem & filios uti suos fideles tractare, & ab eis delicti commissi maculam omnem abstergere. Quapropter cùm Reges signassent privilegium, quo uti debebat Joannes Comitis filius, qui illud impetravit; rectè ibi ejus patrem delinquentem non appellarunt.

Implicitè autem id affimare Reges non omiserunt: quippe in eodemmet privilegio, quia debebat constare de possessione *Ferulæ* a posse Comitis Guglielmi a Regibus incorporatæ; Comitis delictum sic manifestant. *Cùm ex certis justis causis Terra & Castrum* Ferulæ, *cum omnibus vasallis, redditibus & suis juribus universis, fuerint & sint in manibus nostræ Curiæ noviter devoluta, & rationabiliter applicata &c.* Non enim justis ex causis nec rationabiliter bona Comitis Guglielmi publicata fuissent, si ipse delictum non commisisset.

Quod adeò verum est; ut Reges in aliis privilegiis, sequentibus annis & mensibus expeditis, eâdem delicti assertione constantissimè usi fuerint: quidquid sit, an in privilegiis filiis concessis, Nobilis titulo illustrent. Siquidem anno 1398. die 5. Julii. In concessione Capitaniæ & Castellaniæ Civitatis Sancti Philippi facta in personam Raymundi de Abèla, infrascripta leguntur. *Notabilibus servitiis consideratis: dederamus & concesseramus nobis, terram & castrum Xiurtini, nostro fisco devoluta ob crimen rebellionis quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno eorundem terræ & castri Baronis, noviter verò in reductionem nobilis Matthæi, Antonii & Joannis de Montecateno filiorum & fratris ejusdem quondam Guglielmi Raymundi, vos pro maximo nostro servitio ac majori expeditione redutionis ejusdem affectans, nihilominus redutionem statum pacificum Regni nostri, de vestra spontanea voluntate donationi dictorum Terræ & Castri renunciastis expressè.*

Eodem anno 8. ejusdem mensis Julii. In concessione feudi *Fontanæ frigidæ* in personam Joannis Virzì, hæc verba leguntur. *Quod fuit olim Guglielmi Raymundi de Montecateno Marchionis, nostræ Majestatis rebellis, & ob ejus crimen rebellionis nostro fisco per sententiam Magnæ nostræ Curiæ inde latam, rationabiliter devolutum.*

Eodem anno 1398. die 10. ejusdem mensis Julii. In concessione Castri *Mungialini* facta ad favorem Henrici Statella, hæc etiam leguntur. *Castrum* Mungialini *cum omnibus & singulis feudis ac juribus & pertinentiis suis debitis & consuetis, quòd olim concesseramus ingratissimo quondam Guglielmo Raymundo de Montecateno, olim Marchioni Meliveti, nostro rebelli & publico proditori, tunc nostro fideli, & ob proditionis facinus per ipsum Guillelmum contra serenitates nostras*

stras & statum pacificum reipublicæ dicti Regni nostri commissum (in qua proditione & indamnata memoria mortuus fuit) extiterat nostræ Curiæ legitimè devolutum & rationabiliter confiscatum & applicatum, per sententiam legitimè prolatam & datam, contra eundem Guillelmum & sequaces suos, per Magnam nostram Curiam Regiam olim 16. die mensis Novembris anni præsentis 6. Indict. omnibus debitis solemnitatibus juris observatis, quæ in talibus requiruntur: ut de sententia ipsa in actis Magnæ nostræ Curiæ, & de donatione ipsius Castri in quaternis distributionis dictorum bonorum rebellium hæc & alia per extensius continentur.

Eodem anno 1398. die ultimo Augusti. In concessione terrarum facta Thomæ de Zanellis sic etiam Reges affirmant. *Quæ fuerunt quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno, ob cujus rebellionem extiterunt fisco nostræ Curiæ debitè acquisita.*

Eodem anno die 18. Octobris. In concessione medietatis feudi *Fontanæ frigidæ* facta ad favorem Jannutii Riccio hæc conscripta sunt. *Quod cùm ob nefariam & detestabilem proditionem quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno olim Marchionis Meliveti, nostri publici proditoris, omnia ejus castra & terræ, loca, feuda & bona quæcunque tam feudalia quàm burgensatica, & præcipuè quæ fuerunt illorum de Claromonte, posita undique in Regno nostro Siciliç (quç dicto Guglielmo Raymundo, existente nostro fideli, concesseramus) fuerint & sint nobis & fisco nostrç Curiç debitè acquisita & rationabiliter confiscata: prout in sententia contra eum de ipsius proditione & suorum bonorum prçdictorum confiscatione lata, lecta & pronunciata per Magnam Regiam Curiam, omnibus solemnitatibus observatis, quç in talibus requiruntur, in castro nostro civitatis Cataniæ, nobis pro Tribunali more in talibus solito sedentibus die 16. Novembris 6. Ind. latiùs continetur.*

Eodem anno 1398. die 27. Decembris. In solutione debitorum ordinata ad favorem Calcerandi de Peralta super pretio *Fontanç frigidç*, ità Reges affirmant. *Tanquam bona dicti quondam Guglielmi Raymundi, & ob ejus rebellionis & proditionis crimen, nostrç Curiç sive fisci juribus devoluti & applicati.*

Eodem anno 1398. die 16. Januarii. In privilegio concessionis Castri *Fabariæ* facto ad favorem Eumilii Perapertùsa, sequens fit enunciatio. *Castrum Fabariç situm in valle Agrigenti, quod fuit quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno olim Marchionis Meliveti, quç dudum ob proditionis facinus abborrendum, & crimen læsæ majestatis per eum sibi, vità comite, contra nostras excellentias nefariè perpetratum, omnibus suis bonis feudalibus & burgensaticis, ac dignitatibus, officiis, sententialiter in scriptis privavimus & privatum fore, declaravimus, ut in actis Magnç nostrç Curiç liquet satis plenè.*

Eodem anno 1398. die 14. Martii. In concessione feudi & castri *delli Gibillini* ad favorem Philippi de Marino hæc etiam regi-

gistrantur. *Quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno, dudum Marchio Meliveti, & Joannes de Montecateno ejus filius, aliique fratres & filii, tanquam ingratissimi eorumque beneficiis & salutis immemores, conjurationem & rebellionis calcaneum improvidè præsumpserunt: in qua rebellionis perfidia dictus Guglielmus Raymundus mortuus extitit & defunctus. Ob quorum omnium prædictorum, & specialiter dicti quondam Guglielmi Raymundi rebellionis & proditionis crimen, omnia eorum & ejus castra, feuda & bona quaecunque, & præcipuè castrum vocatum* li Gibillini, *fuerint & sint fisco nostro applicata, & ea ejusdem nostri fisci juribus per sententiam Magna nostra Curia in scriptis declaravimus, duximus & pronunciavimus fuisse applicata, confiscata & acquisita: prout in ipsa sententia lata, lecta & pronunciata, omnibus solemnitatibus, quæ in talibus requiruntur observatis, in castro nostro civitatis Cataniæ nobis pro Tribunali sedentibus more solito, die 16. Novembris anni præsentis 6. Ind. latiùs continetur, & constat.*

Anno 1399. die 15. Aprilis. In privilegio concessionis feudi nominati *della Franca* ad favorem Martini Lopez de Lihori, adsunt infrascripta verba. *Cùm olim per quondam Guillelmum Raymundum de Montecateno Comitem Augustæ, quoddam feudum dictum* lu fegu di la Franca, *quoddam territorium dictum* lu territoriu di lu Curdunettu, *& aliud territorium dictum* lu territoriu di la Muntagna, *& quoddam hospitium & una apotheca existentia in dicta terra Minai & ejus territorio, suis finibus limitatum, iniquè ac indebitè & injustè fuerunt violenter ablata, a quondam Federico de Parisio milite & Vivarda ejus uxore dum viverent, patronis legitimis bonorum eorundem, ex quo dictam terram Minai defendebant, quòd de nostro esset reali dominio, contra propositum Comitis supradicti: quæ bona exinde dictus Comes certis personis divisit hoc modo, videlicet, dictum feudum quondam Petro de Montagnano, territorium* di la Plana *presbytero Antonio de Foco, & dictam apothecam & prędictum hospitium Tancredo & Mallio tradidit & donavit, dictum territorium* di la Muntagna *sibi penitùs reservando ..... verò dicti Comitis rebellione, & perdurante contra nomen nostrum prędictis Petro, presbytero Antonio & Tancredo dictam terram Minęi, per eundem Comitem, ut prędicitur, occupatam, nostrę fidelitati regię restituentibus; dicta bona duximus confirmanda, dictumque territorium, quod idem Comes sibi tenuit reservatum, Guglielmo de Landolina fideli nostro, qui unà cum prędictis Philippo & sociis pro reductione dictę Terrę fideliter laboravit, concessimus gratiosè. Et noviter ad audientiam nostram rationabilis querela Aloysię & Agathæ filiæ & neptis dictorum militis vacanda pervenit, qualiter dictus Comes indebitè & defactò pro causa prædicta ab earum parentibus patre & filiis & avo protinus elevavit, & personis distribuit supradictis.*

Anno 1399. die 14. Maii. In concessione nonnullarum domorum,

rum, & aliorum in Civitate Leontinorum ad favorem Tholucii de Tropìa, ſequens aſſertio facta eſt. *Quod cùm ob rebellionem incautam, ingratitudinem deteſtandam, & crimen læſæ majeſtatis per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno, olim Marchionem Meliveti, contra noſtras excellentias nefariè commiſſum & perpetratum, bona ejus omnia & ſingula tam mobilia quàm ſtabilia, feudalia videlicet, burgenſatica, ac jura quævis ſibi in quibuſcunq; bonis quomodolibet ſpectantia & pertinentia, fuerint & ſint noſtræ Curiæ fiſco legitimè devoluta, aperta & confiſcata: prout de perpetratione criminis hujuſmodi, ejuſque bonorum & jurium confiſcatione, plenè conſtat per ſententiam per Magnam noſtram Curiam contra dictum Guglielmum Raymundum ejuſque ſequaces & adhærentes lectam, latam & promulgatam in caſtro civitatis Cataniæ die 16. Novembris 6. Indict.*

Anno 1399. die 18. Junii, In privilegio conceſſionis feudi *Carminelli* factæ ad favorem Judicis Joannis de Notarraynerio, infraſcripta leguntur. *Ex cujus quidem terræ redutione facta per manus Judicis Joannis prædicti, proculdubio ſequuta fuit redatio terræ Leontini & aliarum terrarum rebellatarum, per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno, olim Marchionem Meliveti, quæque etiam redutio terræ Minai ceſſit in totius Regni Siciliæ ac reipublicæ utilitatem ac commodum, ac ſtatum pacificum & quietum.*

Eodem anno die 19. ejuſdem. In conceſſione gabellæ *Tintoriæ* Civitatis Meſſanæ facta ad favorem Berengarii de Avignòno, adeſt ſequens enunciatio. *Cùm ob rebellionem læſæ majeſtatis, contra excellentias noſtras & ſtatum pacificum reipublicæ dicti noſtri Regni, nefariè commiſſum per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno, olim Comitem Auguſtæ, omnia ejus bona tam feudalia quàm burgenſatica, & ſpecialiter gabella* Tintoriæ *dictæ civitatis Meſſanæ, quam ex conceſſione noſtra regia tenebat & poſſidebat, fuerint & ſint nobis & fiſco noſtræ Curiæ debitè applicata & rationabiliter confiſcata; &c.*

Et anno 1399. die 4. Novembris in privilegio conceſsionis ſeu confirmationis terræ *Noariç* facta ad favorem Bartholomæi de Joenio, ſic legitur. *Tunc noſtræ Curiæ devoluta, aperta & confiſcata, ob rebellionem incautam ac crimen læſæ majeſtatis commiſſa contra majeſtates noſtras tam per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno, quàm ob rebellionem incautam ac crimen læſæ majeſtatis commiſſa & perpetrata contra majeſtates noſtras per Matthæum & Joannem de Montecateno ejus filios, ut in dicto privilegio præfato nobili Bartholomæo inde facto, pleniùs & diffuſiùs continetur.*

Nona objectio eſt, quòd ſaltem Regibus Comitis Guglielmi innocentia conſtare debuit, ſi, poſt breve tempus a delicto commiſſo, filiorum & fratris miſerti ſunt.

Hoc tamen in conſideratione habendum non eſt, quoniam tunc Reges filio ac fratribus veniam vi-

videntur concessisse, cùm, pœnitentiâ ducti, sexto jam mense elapso, eorum clementiam implorarunt, atq; intercedentibus nonnullis Regum familiaribus, gratiam impetrarunt. Ità enim asseritur Eodem die 10. Junii anno 1398. quo fuerunt firmata capitula, In cōcessione Comitatùs Adernionis facta Comiti Antonio, ibi: *Volentes misereri potiùs quàm ulcisci, ad quorundam familiarium & domesticorum nostrorum humiles intercessus.* Ita etiam asseritur, die ultimo Martii, anno 1400. In quodam privilegio, in quo C. Matthæo II. exemptio a solutione paternorum debitorum conceditur. *Ad humiles intercessus quorundam nostrorum fidelium baronum eidem nobili Matthæo restituerimus comitatum Augustæ.*

Decima objectio est, quòd verè Comes Guglielmus delictum non commisit, quia id, de quo fuit imputatus, & pro quo per sententiam condemnatus, læsæ majestatis crimen non importat. Siquidem, postquam terra & castrum Tripis fuere a Regibus Comiti Guglielmo concessa, & ab eo Joanni proprio filio donata; ipse Comes Guglielmus ejusque filii arma sumpserunt contra commissarios Messanensis universitatis, quæ cum mandato Regum illos miserat, ut castrum & terram ad regium demanium redigerent.

Sed quidquid sit, an id læsæ majestatis delictum importet (ut illud importare nemo dubitabit, cùm aliud sit, arma sumere contra Vasallos, qui vellent se a Baronis dominio eximere & ad regium demanium confugere, aliud autem contra Regis commissarios arma suscipere) probatio criminis, quod fuit a Comite Guglielmo atque a suis perpetratum, non solùm ex actu prædicto, sed ex aliis quampluribus resultat, quæ in allegatis privilegiis adnotantur.

Et in individuò, C. Guglielmum & Matthæum ejus filium, Agrigentum per violentiam possedisse, expresè dicitur in confirmatione episcopatùs civitatis Agrigentinę Anno 1397. die 4. Januarii facta in personam Berengarii de la Pucella. *Et demum* (sunt verba confirmationis) *ortis & motis rebellionibus & scandalis in dicto nostro Regno, ob ingratitudinem & nequitiam quondam Guglielmi Raymundi de Montecateno, & quorundam aliorum Baronum nostrorum rebellium, dictàq; civitate Agrigenti per Matthæum de Montecateno filium dicti quondam Guglielmi Raymundi rebellem, tyrannicè rebellatà & aliquandiu fallaciter occupatà; idem Matthæus præfatum venerabilem Joannem Episcopum, ut supra, ab eodem Episcopatu & ejus possessione destituit & dejecit. Postque dictus venerabilis Berengarius, sequutis dictis negotiis, ut dictum est, nequiens ejus fidelitatem ampliùs occultare; ardore ipsius fidelitatis accensus, nullis suæ personæ periculis evitatis, nec mortis timori parcens, nostrum nomen regium invocando, dictam Civitatem, ejus ingeniosis actibus atque gestis, ad fidelitatem & obedientiam nostram advocavit & viriliter reduxit, dictumq; Matthæum*

de Montecateno rebellem, omnesque alios ejus complices & sequaces (eandem Civitatem, ut praedicitur, occupantem) ab eadem expulsit & dejecit.

Ultra Agrigentum, alias civitates & loca, terras & castra, C. Guglielmum occupasse, probatur ex commissione a Regibus data Raymundo de Abèla & Guglielmo Raymundo de Montecateno, ut ad regium demanium redigerent, Anno 1397. die 2. Novembris. *Vos* (sunt verba commissionis) *cum tota armigera gente nostra punctualiter conferentes in civitate Agrigenti (quae, depulso erroris velamine, quo per Guglielmum Raymundum de Montecateno, Marchionem Meliveti fuerat faciliter circumventa, ad nostram fidelitatem regiam se reduxit) succurrere & subvenire, nostri invocatione nominis, debeatis, & omnem favorem, auxilium & juvamen, quae poteritis, tribuendo: & quòd terras, castra & loca tam nostri regii demanii, quàm dicto Marchioni & ejus nequitiis & gravis voluntatibus adhaerentia, ad fidelitatem nostram reducere teneatis & debeatis.*

Denique plures alias civitates & terras Comitem Guglielmum occupasse, confirmatur ex concessione feudi *Carminelli* factâ Joanni de Notarraynerio Anno 1399. die 18. Junii. *Ex cujus quidem Terrę redutione* (sunt verba concessionis) *facta per manus Judicis Joannis prędicti, proculdubio sequuta fuit redatio terrę Leontini & aliarum terrarum rebellatarum per quondam Guglielmum Raymundum de Montecateno, olim Marchionem Meliveti, quęque etiam redutio terrę Minęi cessit in totius Regni Sicilię & reipublicę utilitatem ac commodum, & statum pacificum & quietum.*

Ex adversò tandem opponitur, quòd siculi scriptores, vel qui de Siciliae rebus scripserunt, C. Guglielmum innocentem praedicant.

Contrarium tamen clarissimè testantur historici omnes, inter quos Abbas Maurolycus *in Compendio rerum sicanarum lib. 5. fol. mihi 170.* ibi: *Guillelmus autem Raymundus Moncata, amisso dominio Agrigenti, ex dolore interiit.*

Sed in contrarium allegatur, quòd Petrus Tomic, *loco supra citato*, Comitem Guglielmum, omnia bona per calumniam Cardinalis Episcopi Catanensis, & D. Francisci Saguarriga, & absque culpa amisisse, restatur per haec verba è Catalano idiomate in Italicum conversa. *Il Rè* (loquendo de Rege Martino seniore, antequam, post mortem Regis Joannis ejus fratris, se in Cataloniam contulisset) *nella sua ordinazione, lasciò maggiore sopra suo figlio il Rè, l'egregio Barone Don Ramon di Moncada Conte d'Agosta, e gli fè pigliare titolo di Marchese di Malta, e gli raccommandò suo figlio il Rè, e lasciò, nel consiglio del Rè suo figlio, il Cardinal di Catania e D. Francesco Saguarriga: li quali dopò fecero bastanti male opere col detto Marchese sopradetto, facendogli perdere tutto il suo, secondo si disse, senza colpa.*

Quae per authorem patrio suo praedicto idiomateità conscripta sunt. *Lo Rey en su ordenatiò, laxàs ma-*

maiòr sobre son fill lo Rey, lo egregi Barò Mossen Ramon de Moncada Conde de Agosta, y aquel lo dit Rey fè prendre titol de Marques de Malta, e li acomanà son fill lo Rey, e laxà consell del Rey el Cardenal de Catania e Mossen Francisco Zaguarrigua: los quales après feron prou mals obras ab lo dit *Marques de sus dit, faendoli perdre tot el sou, segun se diu, sin colps*.

Verùm non ex hoc quis dixerit, Comitem Guglielmum fuisse innocentem, sed tantùm quòd memorati duo regii consiliarii illum perdere voluerunt, vel ejus gesta minùs sincerè (antequam delictum commisisset) Regibus referendo, vel quid simile in Regum mentem contra eum insinuando: unde Comes Guglielmus per hujusmodi insinuationes invisus Regibus factus, crimen contra Reges commisit.

Et profectò, si hæc verba, *doppo fecero molte male opere col detto Marchese, facendogli perdere tutto il suo*, si hæc inquam verba in hunc sensum accipiantur, quòd scilicet Cardinalis & Saguarriga simul cum Comite Guglielmo aliquid mali fecerunt; ex hujusmodi assertione hoc consurgere non potest, quòd Comes innocens fuerit. Nunquam enim ex eo, quòd quisquam insimul cum alio quid mali fecit, innocens dici potuit; sed uterque reus dicendus est: & casui tribuendum (non innocentiæ) si non ambo, qui delictum commiserunt, sed unus tantùm delicti pœnam sustinuit.

Et quamvis ex adversò fuerit propositum, quòd verba prædicta id sonent, quòd Cardinalis & Saguarriga non simul cum Comite, sed contra Comitem, vel dicto Comiti malas operas fecerint; non per hoc innocens Comes Guglielmus præsumendus est. Quanquam enim ipsi contra Comitem insidias apertè intendissent; adhuc tamen delictum cohonestari non valet. Peccassent equidem illi, qui innocentem calumniarunt: sed ipse contra Reges arma sumendo, reus omnino factus est. Stare siquidem simul potest, quòd Cardinalis & Saguarriga Comiti calumniam intenderint, & quòd proinde Comes delinquens factus, talis fuerit justissimè declaratus. Et illi viderint: si enim hoc crimen commiserunt, Deum habuerunt ultorem.

Iterum tamen repetam, quòd litera authoris non dicit, Cardinalem & Saguarrigam quidquam mali Comiti fecisse; sed eos insimul cum dicto Comite malas operas fuisse exequutos. Forma enim, qua se declarat Petrus Tomic, ea est, quòd illi fecerint multas malas operas *ab lo dit Marquès*. Quod non dativum, sed ablativum cum præpositione *cum* importat, ut legi potest apud omnes authores catalanos, qui linguâ vernaculâ scripserunt, & præsertim apud Raymundum Montanèr *in Chronica, seu in Descriptione rerum a Rege Jacobo I. gestarum catalano idiomate conscriptâ Barchinonę anno* 1562.

Si verò altera assertio consideratur, nempe quòd Comes Gugliel-

glielmus absque culpa, bona omnia amisit; id sanè non venit intelligendum, quòd culpam, idest delictum non commisit, sed quòd absque culpa passus est prædictorum ministrorum calumniam. Ob quam, cùm Comes Guglielmus contra Regem (eorum operâ indignatum) sumpsisset arma; rectissimè bonorum omnium amissionem sustinuit. Ità siquidem prædictam Petri Tomichii assertionem interpretatus est Hieronymus Zurita, qui catalanum idioma satis callebat. Dicit enim Comitem Guglielmum, reum fuisse, licèt Cardinalis delicto causam dederit (quasi quòd hic cum fecisset in foveam incidere) non autem quòd Comes innocens fuerit. Surita *in Annal. Aragon. lib.* 10. *cap.* 67. *fol. mihi* 428. *col.* 2. ibi: *T, antes que los dispidiesse* (loquendo de Aloysio Rajadèl & de Salimbenio Marchese, quos Rex Martinus senior in Siciliam mittere decreverat) *por el mes de Noviembre del año passado, estando en Saragoza, supo, que los Condes de Agosta y Veyntemilla se avian levantado en sus tierras, y otros muchos Varones, que los seguieron: teniendose por agraviados de los estados, que se davan à otros, y pensando en aquella turbazion de acrecentar los suijos. T con esta nueba embiò el Rey de Sicilia à su padre un cavallero, que se dezia Gravaloja: y luego partieron Luis de Rajadèl y Salimbeni con zierta suma de dinero, para socorrer à la gente de las armas, que el Rey de Sicilia tenia en la Isla: y proveyose, que D. Bernaldo de Cabrèra se pusiesse luego en orden, para passar allà con su armada. Fue el principal en esta revoluzion el Conde de Agosta, que era muy sagaz: a quien el Rey dexò mas encargado al Rey de Sicilia su bijo, y era el primero en su consejo, y aviasele dado gran estado, y la Isla de Malta con titulo de Marques. T, segun Pedro Tomic escribe, se signieron estas novedades à gran culpa del Obispo de Catania, que buscò forma, como aquel cavallero se perdiesse, y sirvieronle sus bijos y bermanos y muchos varones principales del Reyno.*

Et iterum quæso, ad uberiorem hujus facti notitiam, & ut causam rigidæ exequutionis contra delinquentes quisque cognoscat, eamque Regibus tribuat, non autem assertis Comitis Guglielmi inimicis, iterum quæso legatur idem Surita *loco cit. fol. m.* 429. *col.* 1. ibi: *Antes que la armada llegasse à Sicilia; el Rey dio su sentenzia contra el Conde de Agosta, como contra rebelde e ingratissimo à las mercedes y beneficios, que bavia recibido del y del Rey su padre. T se confiscaron à la corona las Islas de Malta y del Gozo, y las Villas de Mineo y Naro. T otros muchos seguaces de los Varones, que se bavian rebelado, y el Conde murio luego: y con la llegada de la armada, la execuzion se bizo rigurosamente contra ellos &c.*

Ex qua quidem Suritæ relatione, argumentum indissolubile resultat, quòd, aut ly *senza colpa*, quo utitur Petrus Tomic, refertur ad Cardinalem Episcopum Ca-

Catanensem, quasi quòd istius culpa Comes Guglielmus in delictum inciderit; & non propterea venit innocens judicandus, ut dictum est, & a Surita confirmatum videtur. Aut id refertur ad Comitis Guglielmi innocentiam, quasi quòd absque culpâ, nempe innocenter bona omnia amiserit; & cùm idem Tomic expresse dicat, *secondo si diffe*, scilicet se id ex fama audivisse; fama illa mendax fuit, si Hieronymus Surita, vir in hac materia satis superque versatus, Comitis Guglielmi innocentiam non admisit. Neque approbat nostra regia Cancellaria, quæ contrarium per tot tantaque documenta demonstrat: cui tandem, quidquid dicant historici, standum est.

Et profectò, etiamsì Petrus Tomìc asseveranter affirmasset, quòd C. Guglielmus innocens fuisset, & quòd Cardinalis Catanensis, malis artibus, Comitem Guglielmum culpabilem apud Regem demonstrasset; adhuc Petro Tomichio credendum non esset. Siquidem Petrus Serra Episcopus Catanensis ac Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis meritissimus, dici non potest, quòd regiam gratiam & favorem ex Comitis ruina expectaverit: ipse enim erat Regis consanguineus ac primus minister, bonis imbutus moribus ac maturæ ætatis, prout in ejus promotione ad Episcopatum testatur Rex Martinus senior in regiæ Cancellariæ monumentis anno 1396. die 3. Octobris, quæ quidem refert Abbas Pirrus *in Notitia prima Ecclesia Catanensis tom. 1. fol. m. 51.* ibi: *Sic, ut præmittitur, Pastore vacaret; tandem direximus Ecclesiæ nostræ Catanensi reverendum in Christo Patrem Petrum Serra Decretorum Doctorem, familiarem, consiliarium nostrum, virum utique plenæ & maturæ ætatis, & in sacerdotio constitutum, nostrum sobrinum, cum plena, libera, & generali gubernatione et administratione &c.*

Quinimo, quòd Eminentissimus de Serra plura adeptus erat munera ac dignitates (ex quibus omnino comprobatur, Regum servitio vacasse) ex eadem regia Cancellaria comprobat ac prosequitur idem Abbas Pirrus *loco cit.* ibi: *Petrus is Serra, sobrinus Regis Martini, fuit patriâ Barcinonensis, Canonicus Vicentis, Archidiaconus de Benedès, Barchinonæ ibi regius Vicecancellarius. Anno 1383. & 1390. Romam ad Pontificem Maximum, ad Cardinalium Collegium, ad dispensationem obtinendam (ut supra diximus) connubii contrahendi cum Maria nostra Regina, & postea ad Regem Neapolis Ludovicum pro fœdere ineundo, fuit transmissus a Rege Martino. Inde in Siciliam anno 1392. cum eodem Rege transmeavit. Mox fit Collector jurium Sedis Apostolicæ, datis literis Catanæ die 19. Januarii 15. Ind. Administrator primùm Ecclesiæ Montis Regalis, post Catanensis. Anno 1397. die 27. Septembris electus est Presbyter Cardinalis, nuncupatus Petrus Serra senior, titulo Sancti Angeli Cardinalis Catanensis, tempore schismatis a Pero de Luna, qui dictus est Benedictus XIII. Sed anno 1409. 21. Ju-*

21. Junii, Serra, cum aliis novem Cardinalibus, in Concilio Pisano, œcumenicę electioni Pontificis Alexandri V. adhæsit.

Et (quod etiam atque etiam notandum) Cardinalis Catanensis multa pleraque beneficia in Comitem Guglielmum contulit, &, post ejus mortem, in ejusdem Comitis filios. Quandoquidem præcedentes gratiæ, dignitates & concessiones, quæ in Comitem factæ & collatæ fuerant, sub propria signatura expeditæ videntur, ultra ea, quæ post patris mortem filiis elargitus est. Si autem fuisset genitoris inimicus, pravisque insinuationibus illum in bonis atque in fama occidisset; filios aliunde delinquentes absolvere non fecisset, nec Regum benevolos reddidisset. Quod adeò verum est, ut ex tunc Regis servitio addicti, in regia devotione usque ad mortem perstiterint.

Sed neque etiam Petro Tomichio fides adhibenda: quia nedum Comes Guglielmus, sed cum eo etiam quamplures alii Regni proceres delictum commiserunt, ut superiùs in insertis privilegiis adnotatur. Hinc proinde, quia sententia non solùm contra Comitem, sed etiam contra hujusmodi proceres dicta est, & de sententiæ injustitia nemo unquam ipsorum reclamavit; signum evidens, quòd delictum ab omnibus fuit effectivè commissum. Et ne unquam dubitari possit, quin hæc propositio vera sit; non solùm alii delinquentes, sed neque etiam ipsius Comitis filii, nec ejus frater Comes Antonius, bonorum publicationem impugnarunt. Quapropter, sicut, ubi eorum pater & respectivè frater innocens fuisset, ipsi etiam innocentes esse debuissent; quia delictum simul cum patre commissum est, idcirco neque ipsi neque eorum pater reclamarunt: unde & ipsi & eorum pater delictum commiserunt. Sed quòd magis, nec usque in hodiernum diem quid contra sententiam dixerunt successores, ut inferiùs suo loco dicendum est.

Unde demum Petro Tomichio non deferendum, quia omnes omnino, scilicet Comitis Guglielmi uxor, filii, & frater, & viri & patris & proprium delictum confessi sunt. Quia igitur omnes simul cum patre delictum commiserunt, ut ex allegatis privilegiis compertum est; hoc ipsum, quòd proprium delictum confitentur, idem importat, ac paternum etiam delictum confiteri.

Et sanè Comitis Guglielmi delictum confessi sunt Comes Antonius, Comes Matthæus & Joannes in sæpius citatis capitulis initis cum Rege Martino die 10. Junii 1398. in quibus, quòd hujusmodi crimen commiserunt, a semetipsis fatentur. Rursus, ubi Comes Matthæus Augustæ Comitatum petiit *utì Avus & Proavus possederant*; ibi patris delictum etiam confesus est. Si enim pater delictum non commisisset; utique Comes Matthæus restitutionem petiisset utì pater posederat, & ità etiam Rex concessisset.

Insuper Comitis delictum confessa

fessa est Comitissa Stephania, ubi Regibus exposuit, se simul cum proprio viro delictum non commisisse, unde petiit (ut defactò obtinuit) propriæ innocentiæ declarationem. Si enim unquam C. Guglielmus innocens fuisset; Comitissa non solùm de propria declaratione sollicita esset, verùm etiam de Comitis innocentia declaranda, vel saltem mariti culpam non fateretur.

Idem etiam confessæ sunt Comitis Guglielmi filiæ Isabella & Eleonora, quòd jam obtinuerunt, ut a Regni officialibus benè exciperentur, & materna bona, non autem paterna sibi assignarentur. Quod clarioribus verbis confirmat, ut supra dictum est, Joannes in concessione Ferulæ dicto die 20. Junii 1398. ubi petiit, sibi Ferulam concedendam esse, atque ità Reges rescripserunt: *Cum ex certis justis causis terra & castrum Ferulæ, cum omnibus vasallis, redditibus & suis juribus universis, fuerint & sint in manibus nostræ Curię noviter devoluta, & rationabiliter applicata.* Et clarissimè etiam confirmat Comes Matthæus II. in privilegio expedito die ultimo Martii 1400. ad effectum obtinendi exemptionem a solutione debitorum C. Guglielmi patris. *Restituerimus* (sunt verba privilegii) *dictum Comitatum Augustę ex certis justis causis fisco nostrę Curię tunc applicatum.* Et profectò, si Ferula & Comitatus Augustæ, quæ Comes Guglielmus possidebat, *justis de causis* ac rationabiliter publicata sunt, atque ita processum fuisse, consentiant C. Matthæus & Joannes, qui in expeditione privilegiorum præsentes aderant; quòd ità patris delictum approbaverint, nemo unquam inficiabitur.

Et demum, ne unus quidem desit ex filiis, qui ratum patris delictum non habeat, Simon Montecatenus Comitis Guglielmi dictus *il Bastardo*, idem apertissimè confiteri non desinit. Anno enim 1397. die primo Februarii, in concessione, quæ sibi a Regibus facta est de terra & castro *Castellutii*, infrascripta leguntur. *Ad humilem supplicationem nostris culminibus devotè factam per Simonem de Montecateno, familiarem & fidelem nostrum, considerantes puram fidem & devotionem sinceram, quam idem Simon erga excellentias nostras semper gessit & gerit in animo, &, cùm fuerit opus, experimento manifesto monstravit grata quoque & accepta servitia serenitatibus nostris per eundem Simonem gratanter pręstita, & pręsertim dum quondam Guglielmus Raymundus de Montecateno, olim Marchio Meliveti, necnon Antonius, Petrus, Joannes & Matthęus ejusdem Guglielmi Raymundi fratres & filii, tanquam ingratissimi nostri rebelles, contra nostras excellentias se rebellarent, & idem Simon tanquam filius naturalis dicti quondam Guglielmi Raymundi, castrum & terram Mottę Sanctę Anastasię teneret & possideret; nos dictus Rex Sicilię, ad dictam terram Mottę personaliter conferentes, eundem Simonem ad nos fecimus advocari,*

X *ut*

ut ad nostram præsentiam non solùm veniret, verùm terram & castra prædicta Motta ad nostram reduceret majestatem. Qui veluti sui domini naturalis vocem & mandatum audiens & agnoscens, quantumcunque habuisset castrum, ipsum tenimentum, & poterat se habiliter per temporis spatium defensare; subitò nolens infidelitatis contagio maculari, nec prosequi proditiones patrum & fratrum suorum, qua decuit reverentià, exivit de castro prædicto, & pronus prostatusque ad terram, deosculans regios pedes nostros, veniam nostræ clementiæ humiliter propulsavit, & castrum prædictum absque aliqua pactione cum omnibus & singulis armis & fornimentis suis liberaliter nostræ restituit majestati, & tantùm gratiam nostræ serenitatis humiliter reservavit. Et ab inde in antea nostra servitia fidelia non desinit: quinimo ea prosequitur de præsenti, eumque speramus in futurùm meliora, annuente Domino, præstiturum.

Ex quibus omnibus absque ulla hæsitatione concludimus, quòd Comes Guglielmus in delicto decessit, & quòd etiam ex hoc ejus testamentaria dispositio pro præsenti successione non veniat, ut dictum est, observanda; sed quod parendum sit clausulæ juris francorum, vel præsumptæ in principali Comitatùs acquisitione, vel expressæ in privilegio anni 1365, ex qua Comes Guglielmus post mortem C. Matthæi sui genitoris videtur successisse: vel demum formæ a Rege datæ post prædictam Comitatùs devolutionem. quidquid sit, an Illustris Marchio de Mondèjar Comitem Guglielmum declamaverit innocentem; ejus enim assumptum in eo maximè fundatum est, quòd non ex alio sententia processit (ut in sequenti parte dicetur) nisi quia Comes Guglielmus & ejus filii & fratres, in terra Tripis arma sumpserunt contra vasallos, qui regio demanio se dare intendebant. Verùm omnia per Ill. Marchionem allegata evidentissimè cessant, si, ut visum est, res ità executa non est.

Et alios actus refert regia Cancellaria in insertis privilegiis, qui C. Guglielmum culpabilem reddunt. Atque Illustris Marchio, si regios codices (ut nos revolvimus) & ipse etiam revolvisset, in aliam sententiam forsan incidisset. Hoc unum etiam superest, nempe an Guglielmus Raymundus alter Comitis filius, delicti tempore minor ætate, coram Rege Martino a sententia confiscationis reclamaverit? hoc autem (in quo pariter se fundat Illustris Marchio de Mondejar) in sequenti parte discutiendum.



DI-

DISCURSUS PRIMI
PARS QVARTA.

De Inverisimilitudine declarationis innocentiæ Comitis Guglielmi Raymundi III. & De non exequendo etiam per eam ejusdem Comitis testamento nec in præsenti, nec in quovis alio altiori judicio, etsi per possibile declaratio vera esset: ac De Concessione Comitatùs facta Comiti Matthæo II. sub antiqua clausula juris francorum.

SUMMARIUM.

Affertur assertum privilegium a Rege Martino seniore emanatum ad declarandam prætensam Comitis Guglielmi Raymundi III. innocentiam. n. 1.

Impugnatur tamen, & inverisimile demonstratur à n. 2. usque ad 14.

Rex Martinus junior, postquam dedit posteris virtutum exempla, obiit anno 1409. in Sardinia. n. 5.

Rex Martinus senior anno 1610. 31. Maii ex repentino accidenti commotus, vitam reliquit. n. 8. ibidem ad intentum exhibetur nota historica Laurentii Valla.

Rescripta, quæ a Regni successoribus non apparent confirmata, inverisimilia judicantur. n. 11.

Declaratio prædicta innocentiæ, inverisimilis concluditur, ex quò nunquam apparet exequuta per restitutionem bonorum a n. 14. ad 20. ubi resolvuntur objectiones propositæ adversùs prædictas inverisimilitudines, & non factam restitutionem.

Discrimen adducitur inter Moncadas siculos, & Moneadas à Catalonia. n. 17.

Rex Ferdinandus, ob nimiam suam integritatem & justitiam, fuit Justus *denominatus. n. 18.*

Monteateni, ob servitia præstita Reginæ Blancæ, quamplures dignitates, gratias & honores in Sicilia obtinuere a Rege Ferdinando & à Rege Alphonso. n. 19.

Resolvuntur nonnullæ considerationes ex adversò adductæ ad suadendam veram innocentiæ declarationem à n. 21. ad 25.

Rex Ferdinandus anno 1412. 28. Junii ad Siciliæ thronum evehitur. n. 23.

Probatur nullitas & inefficacia privilegii prætensæ declarationis innocentię, ob defectum regię subscriptionis regiique sigilli, & ex quo pariter non fuit registratum in regia Cancellaria, nec in Regno exequutoriatum. latè n. 26. & 27.

Exequutoriæ sunt a jure communi ordinatę ad inquirendam precum ve-

veritatem, atque ad fraudes repellendas. n. 28.

Exequutoriç in Regno sunt ex immemorabili introductç. n. 29.

Cap. 395. Regis Alphonsi, *quid constituat circa exequutorias, declaratur n.* 30.

Exequutoriç necessitas fuit injuncta a Rege Martino per cap.67.*quod anno* 1408. *conditum fuit. n.* 31.

Rex Petrus I. Aragonensis post annum 1284. *in Aragonia decessit. n.* 32.

Exequutoriç necessitas exigitur etiam in rescriptis proprii Principis, juxta juris dispositionem & veterem Regni praxim. n. 33.

Adducuntur nonnulla regiç Cancellariç rescripta ante annum 1414. *executoriata. n.* 34.

Instrumentum publicum a Rege confectum exequutoriis non subjacet. n. 35. *sed contra n. seq.*

*Rescripta regia, publica instrumenta dicuntur, & synonyma sunt. n.*36.

Publica Regum instrumenta indigent exequutoriis. n. 37.

Declaratio. exequutoriis non indiget, ubi non ad partis instantiam, sed motu proprio Regis procedit, & in propriç conscientiç exonerationem. n. 38.

Rescriptum, ubi ad partis instantiam conceditur, etiam adjectà clausulà motu proprio, *semper ad partis instantiam, quoad omnes juris effectùs, dicitur impetratum. n.* 39.

*Exequutoria ex facie privilegii apparere debent. n.*40.

Enunciativis antiquis standum est, prçsertim accedentibus adminiculis. n. 41.

Declaratur historica assertio Petri Tomich, Hieronymi Surita, Illustris Marchionis de Mondèjar & Reverendi de Lengueglia, *ex adversò allegata pro innocentia Comitis Guglielmi Raymundi III. n.* 42.

Afferuntur nonnulla privilegia, ex quibus compertum est, Comitatum Augustç fuisse Matthçо II. jure antiqui feudi restitutum, & cum clausula juris francorum. à n. 43. *ad* 47.

Defenditur dicta clausula juris francorum quoad omnes effectùs, ab opposita nostratum interpretatione & successorum observantia. a n. 48. *ad finem.*

Concessiones factæ post Regni Const. In aliquibus & Ut de successionibus *publicatæ anno* 1221. *ac fortiùs post* Cap. Si aliquem Regis Jacobi *publicatum anno* 1285.*retinent jus francorum quoad omnes effectùs. n.* 50.

Clausula in concessione apposita, prout Avus & Proavus habuit & possedit, *quid operetur? n.* 52. *& seq.*


Ot tantisque regiæ Cancellariæ documentis, ex quibus Comitis Guglielmi Raymundi III. delictum probatum est, cedere tandem deberet Adversarius: ipse verò fortior insurgit, & veluti certum affirmat, quòd C.Guglielmus innocens a Rege Martino seniore fuit declaratus, quòdque Rex Martinus junior ejusdem Regis filius, injustus fuit suorum bonorum

norum occupator. & sic delictum, quòd regia diplomata præcedenter admiserant, eadem Regis assertio subsequenter abstulit.

1 Et quidem asserit, quòd, † instante Comitissâ Stephaniâ Carròz uxore Comitis Guglielmi, ac Guglielmo Raymundo eorum filio (qui fuerat in Marchionatu Melitæ & Gaudisii aliisque locis, castris & villis hæres a genitore institutus:) Rex Martinus senior in ultimis constitutus, *die* 31. *Maii* 1410. pro exoneratione propriæ conscientiæ, C. Guglielmum per quoddam privilegium (quod originale prætenditur) in Archivio domùs conservatum, sub his verbis innocentem declaravit. *Attendentes, Serenissimum Martinum, eàdem gratià, Regem Siciliæ, primogenitum nostrum carissimum, memoriæ recolendæ, occupasse, accepisse & apprehendisse ad manus suas Marchionatum de Malta, & alias villas, castra, & loca & bona (quæ fuerunt nobilis quondam Guglielmi de Montecateno Marchionis de Malta, ac Comitis Augustæ) in Regno Siciliæ consistentia: fueritque, pro parte nobilium Stephaniæ Caròza uxoris quondam Marchionis & Comitis antedicti, ac vestri Guglielmi Raymundi de Montecateno dictorum conjugum filii, humiliter supplicatum, quòd, cùm Marchionatus prædictus, & alia bona, villa, & castra vobis dicto Guglielmo Raymundo & hæredi patris vestri prædicti pertineant & spectent, fuerintque occupata & apprehensa, nullo inde facto processu nec cognitione judiciarià subsequutà; dignaremur, Marchionatum prędictum & omnia alia supradicta, vobis jam dicto Guglielmo Raymundo, de nostri clementia, restituere & tornare, vosque dictum Guglielmum in eis omnibus reintegrare cum suis juribus universis. Nos itaque, supplicatione benignè admissà supradictà, moti ex caussis prędictis & aliis ad nos rationabiliter inducentibus, & signanter pro exoneratione conscientię nostrę, pręsentis publici instrumenti cunctis temporibus valituri, vos dictum Guglielmum Raymundum in Marchionatu prędicto & in aliis quibuscunque castris, villis & locis, cum vasallis, jurisdictionibus, & aliis juribus & pertinentiis eorundem tam in Marchionatu prędicto, quàm extra consistentibus, quę vobis dicto Guglielmo Raymundo utì hęredi prędicto, ac jure hęreditario dicti patris vestri pertineant & spectent, ac pertinere & spectare debeant, a quibus dictus pater vester fuerat per dictum Regem Sicilię potenti manu expoliatus, & in eorum plena, corporali & vacua possessione reintegramus, tornamus & restituimus, sicuti & prout dictus pater vester erat ante occupationem, acceptationem & apprehensionem prędictas, & quę retroactis temporibus tenebat & possidebat, sibique pertinebant & spectabant ex titulis & instrumentis inde confectis, prout in eis continetur: salvis tamen nobis & successoribus nostris jure dominii & aliis juribus quibuscunque nobis pertinentibus & pertinere debentibus in marchionatu, villis, castris & locis prædictis, quæ pro nobis tenebat dictus pater vester in feudum,*

prout

prout in titulis & instrumentis acquisitionum, donationum, concessionum & conventionum inde factarum, pleniùs enarratur.

Sed hoc novum assumptum nostræ regiæ Cancellariæ fidem non immutabit: satis enim inverisimilis est hujusmodi declaratio, nulliusque valoris & nullius efficaciæ. Est itaque inverisimilis, quia declaratio ipsa † supponit, Comitis
2 Guglielmi bona, nullo facto processu, nullâ judiciariâ cognitione subsequutâ, fuisse a Regibus occupata, ubi aliunde ex privilegiis hucusque allegatis contrarium evidenter appareat: nam ante publicationem bonorum C. Guglielmi aliorumq; consanguineorum, processus fuit legitimè compilatus, & sententia a Magna Regia Curia, ut decebat, prolata coram Regibus, coram Sacro Regio Consilio, & coram frequentia civium incredibili. Hisce autem antiquissimis & quidem iteratis enunciativis quòd stari omnino debeat, præsertim adjunctâ observantiâ, nemo unquam *ex Doctoribus* in dubium revocavit.

Secundò, inverisimilis est de-
3 claratio, quia † facta, prætenditur, a Rege pro exoneratione propriæ conscientiæ. Et sanè, cùm injustitia Regibus Martino & Mariæ tribuatur; non quidem patris, qui iniquitatis particeps esse non poterat, quoniam eâ tempestate in Regno præsens non erat, sed filiorum conscientia esse debebat, & in illorum, non autem in paternæ conscientiæ exonerationem facienda esset declaratio.

Tertiò, inverisimilis est declaratio, quia † si vera esset Comitis 4
Guglielmi innocentia; utique eam declarasset ipsemet Rex Martinus junior, qui, ut sæpius ab Adversario firmatum est, a suis ministris deceptus fuit. Et menti quidem venit recolendum, quòd † anno 5
1409. idem Rex Martinus junior ad seditiones extinguendas, cum Comite Matthæo II. & cum Comite Joanne Comitis Guglielmi filiis, ac ducibus strenuissimis, Sardiniam profectus est: quòdque, prostratis jam rebellibus, eodem anno 1409. mense Julii, malignâ febri correptus, illuc obiit, ejusque regium cadaver sub excelso marmoreo tumulo in Cathedrali Sardiniensis metropolis conservatum est. Et conveniunt omnes etiam exteri, & testatur regium epitaphium ibi insculptum, quòd Rex in mortis articulo constitutus, ea dedit posteris virtutum exempla; ut meritò suorum omnium lachrymas obtinuerit. Hinc proinde si verum esset, quòd Rex Martinus injustè C. Guglielmi bona occupasset; in articulo mortis, præsentibus Comite Matthæo & Comite Joanne sibi charissimis, & a quibus maximis officiis obstrictus erat, maximaque & recepta servitia retulerat, utiq; C. Guglielmi innocentiam declarasset. Unde, si, non obstantibus hujusmodi circumstantiis, Comitis innocentiam Rex non declaravit; consequens est, quòd neque Rex nec ejusdem Comitis filii Comitem Guglielmum innocentem reputarunt.

Quar-

Quartò, inverisimilis est declaratio, † quia sic, per publicam scripturam Rex Martinus junior aliunde integerrimus, a patre justissimo æque ac sapientissimo in mortis articulo constituto, tyrannus diceretur, non ex alio, quàm ob mendicatam interesse habentium assertionem. Quod satis superque juri, rationi, prudentiæ & christianæ charitati repugnat.

6

Quintò, videtur inverisimilis declaratio, † quia per eam jus tertii (ipsomet tertio inaudito) præjudicaretur. Supra enim ostensum est, Comitis Guglielmi bona fuisse ex causa onerosa, nempe ob servitia præstita & pecunias erogatas, nonnullis Regi fidelibus concessa: unde, si vera esset prætensa innocentiæ declaratio, iisdem bonis iidem possessores spoliati essent, absque eo quòd res (ut debebat) fuisset judicialiter examinata. Quinetiam Reges successores castris illis spoliati essent, quæ in regio demanio persistebant. Hoc autem in Rege justissimo præsumendum non est.

7

Sextò, videtur inverisimilis declaratio, † quia supponitur facta anno 1410. die 31. Maii, quo die Rex Martinus mortuus est, & a die 29. mensis ejusdem, quo, cùm sui compos non existeret, actùs hujusmodi capax non erat: subito enim accidenti commotus, talibus fuerat doloribus cruciatus; ut nullum temporis intervallum intercesserit, quo asserta declaratio fieri potuerit. Factum fideliter & latissimè enarrant, qui ab Adversario allegantur, Surita *in Annal. Aragon. lib. 10. cap. 90. fol. m.* 457. & Laurentius Valla *De rebus a Ferdinando Aragoniæ gestis lib. 2. a n. 10. ad n. 40. inclusivè in tom. 1. Hispaniæ illustratæ*, ibi: *Hæ mulieres, die Jovis, ante diem dominicum solemnibus legitimationis destinatum (quæ erant futuræ kalendæ Junii) vesperi dicuntur anserem saginatum, quem ministris porrexisse per speciem demerendæ Reginæ, ut Regem, & adipibus & quartanâ torpidum, ad venerem procreationis gratiâ excitarent. De quo ansere utì comedit Rex, statim vehementi dolore stomachi conflictari cæpit, ac lamentari: moxque, ardentissimâ febri insequutâ, signaq; & maculæ quædam in defuncti corpore (secundo autem die defunctus est) apparuerunt. Quanquam potuerunt esse signa pestilentiæ: nam quod dubium est in tanta re, id ego nolo, fieri mea asseveratione certum. Omnes enim ferè ex eadem domo, post Regem, vel peste vel febri extincti sunt: quales etiam plurimi ex civitate. Potest & id in causa Regis fuisse, non malitia, sed simplicitas mulierum atque stultitia, quæ quotidie, citra medicorum conscientiam, cibariis ad venerem quàm ad salutem aptioribus inferciebant virum, unguentisque oblinebant. Siquidem defuncto Rege, & domo (ut fit) a fœminis subitò derelictâ: est inventa cellula his cibariis unguentisque differta. Utcumque res administrata sit: certè Comes in morte Regis, præter cætera, hanc spem secutus dicitur, quòd gubernatoris munus, invitis inimicis, administrare posset, cum id per legem, defuncto Rege, non prohiberetur: aut saltem impuniùs* Ar-

8

Archiepiscopum cæterosque de medio tollere, ut nihil sibi posthac superesset impedimenti. Cui rei eventus ipse testimonium dedit.

Ut autem ad rem redeam: ubi totam illam noctem Rex per æstùs atque cruciatùs insomnem duxisset; cùm illuxit, legati Barcellonæ multique proceres lectulum circumsteterunt, multi mortiferam sentientes & inter se consusurrantes. Sed in horas magis ac magis ad extrema vitæ spiritus properare videbatur: cùm interea mater Comitis atque uxor Regem adeunt, rogantque, ut nunc saltem, ipso extremo vitæ tempore, Comitem declararet Regni in successorem. Non respondenti, atque ut solebat (sed alio somno) sobdormitanti, apprehendit matrona vestem a pectore, atque inquit: Filii mei est Regni successio, filii mei, quem tu succedere vetas contra fas jusque. *Ad quam ille inspiciens:* Ego, *inquit,* ignoro istud, & ità esse, non credo. *Simulque Guglielmus Moncada & unus legatorum, retractà manu à brachio, fœminæ admonuerunt, ut reverentiùs tangeret Regem. Postridiè, deploratà jam ejus salute, ne maturiùs præfocaretur, constituunt in sella, amictum tenui tantùm amiculo. Ac dispectatum (erant enim soles æstivi) illuc eum complures adierunt, & jam quasi defunctum lamentabantur. Et in primis Siculi legati, Federicum sibi Regem dari, cum fletu, lacbrymisque poscebant: quibus Rex ingemiscens, verbis ac vultu, quantum poterat, commendavit. Tum legati Barcellonenses, ne quid responsum Regis fortasse scrupuli moveret; imposterum adbibitis rebellionibus interrogarunt,* Juberetne ejus Regna esse, cui jure deberentur. Ità se jubere, *respondit. Præclarum profectò responsum, vel quòd mulieribus, vel quòd Siculis, vel quòd Barcellonensibus reddidit. Primum quidem liberum, ingenuum ac præfractum, sed sine bile atque indignatione. Alterum verò molle atque affectu plenum, sed ità; ut justitiæ magis quàm affectui se paratum ostenderet. Ultimum autem simplex ac solidum; ut nihil petendum sibi æstimaret, nullo competitorum in succedendo populis proceribusque commendato.*

Jam omnis familia per domum propemodùm lymphata ferebatur. Jam cubicula illa, quæ nuper ornamentis mulierum, symphoniis atque omni jucunditatum genere exultaverant, deseruntur, denudantur, &, velut ad hostium adventum, aut si Erinnys invasisset, lugubria videntur ac feralia: cunctis partim occultiùs, partim apertiùs emigrantibus. Quorum unus fuit Ægidius Aragoniæ gubernator: qui, intelligens quàm infestos haberet inimicos, per causam dormiendi, meridie cubiculum suum intravit, &, mutato habitu, cum regio confessore Barcellonam abiit: rumorque fuit, conatos esse quosdam, in domo Regis, vincula ei inicere. Credo hanc opinionem ex eo ortam, quòd Comes certis hominibus negotium dederat, ut ei vincula injicerent, captumque ducerent, aut necarent: nam Barcellona, cùm eò venit gubernator, plena armatorum erat ex maxima parte eorum, qui Comiti studebant. Et intrantes urbem perque viam euntes Civitas sci-

scita-

ſcitabantur, An Rex adhuc ſpiraret, an ibi Gubernator Aragoniæ adeſſet? *quo maturiùs ille, tantoperè ſe quæri ab inimicis, cognoſcens, ſibi delitefcendum putavit. Atque eà nocte, cùm ſecus atque conſuetudo ferebat, clauſæ forent portæ, audiebat è domo, in qua latebat, in propinqua (ubi multi verſabantur armati) colloquentes, admirantes, quærentes*, Ubi eſt gubernator? quid de eo factum eſt? quò abiit? *Hic autem, ubi, multâ jam die, apertæ jam portæ eſſent, non equum ſed navigium conſcendit, Peniſcolamque, quæ ſibi amica erat, ſe contulit.*

Hæc retuli, ut, quàm violento ad affectationem Regni fuerit animo Comes Urgellenſis, appareat. Nunc referam id (quod, an veneni, an peſtis, an alterius rei ſignum ſit, medici viderint) quod ipſe, qui vidit; quid fuerit, ſe ſcire, negat: idemque, Regem veneno periiſſe, non credit. Is eſt Borra ſcurrarum eximius, quatuor & octoginta hodie natus annos, necdum a ſcurrando vacans. De quo ne quis miretur me facere mentionem: in tanta fuit apud complures ſemper Reges (dignitate dicam, an opinione, an benevolentia?) ut eum in libris meis faſtidire non debeam, quem Reges nullo quolibet ſerio in negotio faſtidierunt: cùm præſertim (quod apud vulgi opinionem valet) plurimum dives ſit, adeout ad centummillia aureorum profiteri poſſit. Vir profectò natus ad exprobrandum literarum ſcientiæque ac ſapientiæ ſtudioſis: qui doctrinam, non veri contemplatione, non ſummi boni fine, non ipsâ virtutum laude, ſed pecuniâ & umbratili populorum honore metiuntur. Ad hos quotidianum Borræ convicium pertinet, dicentis, Plus ſe & pecuniæ & honoris comparaſſe, dum ſtultum agit; quàm qui literarum ac ſapientiæ ſtudioſi vacantur. *Quod cùm audiunt plerique literati, ornatumque hominis regalem vident; & erubeſcunt, & dolent, & (ſi vera fateri volunt) etiam invident. Nimirum, infra omnes ſcurras, hiſtriones mimoſque, detrudendi malè meriti de liberalibus artibus: quibus invidioſam, volunt, eſſe vitam ſcurribilem. Hic igitur Borra de numero erat eorum, qui ſuis rebus non ſibi timerent: in quibus aſportandis cùm aliquot horis diſtrictus fuiſſet; tandem ad conſpectum rediit Regis. Cui ille, vix ſuppetente voce*, Unde, *inquit*, Domine Borra, qui tamdiu adfuiſti? *Hic, ſimul ut rem diſſimularet, ſimul ut Regem cupidum, ſuavis alloquii (ſi poſſet) bilaritate, afficeret*; Ego verò, *inquit*, è vinea redeo, ubi neſcio qui hinnulum meum per caudam ad ficum ſuſpenderent: quaſi ficos furto ediſſet, qui nondum maturi ſunt. *Ad hanc factam vocem Rex cùm arriſiſſet; mox animam celeriùs agere cœpit. Borra, ut erat ex adverſò, videbat umbram quandam breve loci ſpatium occupantem, paulatim a medio ventre aſcendentem, prout anima continenter inferiora relinquebat. Id viderit ne, an videre viſus ſit, an convexitas aliqua corporis obumbraverit, fides penès oculos ejus ſit. Ubi ad guttur evaſit, & ipſa evanuit, & Rex animam efflavit.*

Hæc Laurentius Valla: cujus quanta ſit in ſcribendo facilitas

atque elegantia, haud facilè sine
commendatione dici potest. Ve-
rùm in fide authorum, qui à se
allegati sunt, non adhuc quiescit
Adversarius, iterum enim affir-
mat, quòd Rex Martinus, etsi
morbo confectus, & testamentum
condidit, & plures alias fecit di-
spositiones. Nos autem dicimus,
quòd per responsa ad nonnullas
interrogationes (ut adamussim ea
refert Laurentius Valla & alii ex
adversò allegati) Rex Martinus
in eo statu constitutus, quodam-
modo regiam voluntatem aperuit
circa Regni successionem & alia
publicum statum respicientia. Ve-
rùm ex hoc atque ex aliis, non
adhuc compertum est, quòd ultra
prædicta, aliquid aliud in ea cir-
cumstantia Rex disposuit vel di-
sponere potuit, quod privatum
negotium importaret.

Septimò, est inverisimilis de-
9 claratio, † quia ipsiusmet decla-
rationis historici non memine-
runt. Et sanè scriptores omnia ea
referunt etiam minima, quæ post
morbum improvisum Regi obve-
nerunt: unde illam profectò enar-
rassent, si verè facta fuisset, cùm
demum tanquam res magni mo-
menti omittenda non esset.

Octavò, inverisimilis est decla-
10 ratio, † quia prætendit Adversa-
rius, eam C. Guglielmum obti-
nuisse usque ad diem obitùs Re-
gis. Et profectò si certum asseri-
tur, Comitissam Stephaniam &
Guglielmum Raymundum, Bar-
chinonæ per multum temporis
spatium fuisse commoratos; si uti-
que de Comitis Guglielmi inno-
centia Regi constitisset, eo tem-
pore Rex declarationem fecisset:
quam si tunc temporis non fecit;
multò minùs credendum, Regem
in tanta rerum confusione illam
concessisse. Hujusmodi autem di-
latio, non potest, ut Adversarius
prætendit, ad Regis prudentiam
referri: quasi quòd nolens Rex
filii famam deturpare, ad id tem-
poris distulit declarationem, quo
proximum erat Dei judicium:
nullo enim jure nec divino nec
humano ad eam declarationem
faciendam pater in filii præjudi-
cium tenebatur.

Nonò, videtur inverisimilis de-
claratio, † quia non fuit a Re- 11
ge Ferdinando immediato Regis
Martini successore, nec a quoli-
bet alio Rege confirmata. Mor-
tuo enim Rege: ubi vera sunt re-
scripta, quæ antecessoris exhi-
bentur, a successoribus debent
confirmari, cùm non aliter eis in
Regno concedantur exequutoriæ
aut exequutio tribuatur: ut ser-
vatum est in quadam assignatione
facta a Rege Martino cuidam Ro-
sæ Arlotta anno 1405. die 3. Au-
gusti, quæ fuit a Rege Ferdinan-
do confirmata anno 1413. die 25.
Maii, & de qua infrà in exequu-
toriis, quæ fuerunt postmodùm
dictæ confirmationi concessæ. Sed
(quod magis est) confirmatio
denegata præsumi debet: nam
ipsemet Guglielmus Raymundus,
ut prætendit Adversarius, anno
1414. assertæ declarationis inno-
centiæ transumptum petiit, ut
Regi Ferdinando exhibere posset.
Sed confirmatio non ostenditur:
signum

signum igitur evidens, quòd, etsì fuerit Regi Ferdinando præsentata, illam Rex tanquam inverisimilem confirmare noluit.

Decimò, videtur inverisimilis
12 declaratio, † quia anno 1421. ipsemet Guglielmus Raymundus, qui eam dicitur obtinuisse, ejus non meminit in quadam donatione, quam fecisse, dicitur, Comiti Matthæo II. fratri suo de omnibus juribus sibi spectantibus super Comitatu Augustæ: in ea enim donatione, etsì mentio fiat de paterno testamento, ut infra dicetur, nil penitus enunciatur de hujusmodi declaratione. Sicuti etiam neque hujus declarationis meminit idem Guglielmus Raymundus in suo asserto testamento, sub quo decessit anno 1448. ad quæ usque tempora vixit: & tamen (quod est notatu dignissimum) in hujusmodi testamento de C. Guglielmo mentionem habuit, sed genitorem suum non appellavit.

Undecimò, inverisimilis est de-
13 claratio, † quia Guglielmus Raymundus, qui eam obtinuit, nedum in donatione & in memorato testamento, sed neque etiam in privilegiis a Regibus ob dignitates in se collatas expeditis, saltem per puram denominationem aliquando Marchio Melitæ dictus est, ut dici ex prætensa declaratione debebat.

Et tandem duodecimò, decla-
14 ratio videtur inverisimilis, † quia nunquam fuit exequutioni demandata. Neque enim insulæ Melitæ & Gaudisii, neque alia castra, loca & villæ, quæ vigore prædictæ declarationis restitui debebant, Guglielmo Raymundo (qui privilegium impetravit, quia tempore commissi delicti infans erat, dolique particeps esse non poterat) neque in minima parte restituta fuere. Nec innocentiæ declaratione usi sunt alii fratres eorumque omnium descendentes & successores: quoniam ex eis nullus, ob prædictam declarationem, feudum aliquod recuperavit.

Replicat nihilominus Adversarius, quòd ideò insulæ Melitæ & Gaudisii non fuerunt Guglielmo Raymundo restitutæ, ut decebat in exequutionem declarationis innocentiæ, quia utì Regno contерminæ disjungi non debebant a Sicilia in Regis detrimentum.

Sed etiam insubsistens replica-
tio est: † ipsæ enim, ut sæpius ci- 15
tata testatur Regia Cancellaria, anno 1420. fuerunt pignori datæ cuidam D. Antonio de Cardòna, & anno 1425. cuidam D. Gundisalvo Monroy, & tandem a Rege Alphonso propriis Melitensium pecuniis liberatæ & regio demanio restitutæ die 20. Junii 1428. ut testantur verba, quæ ad intentum refert Vicecancellarius de Abèla *lib. 2. not. 14. f. m. 290. retro. In dicto regio demanio*, inquit Rex Alphonsus, *seu numero & consortio Civitatum & Terrarum ipsius, prout sunt & erunt felix Urbs Panormi, Civitas nobilis Messana, & Civitas Catania, authoritate prædicta perpetuò adjungimus, restituimus, tornamus & aggregamus*..

Replicat secundò Adversarius, quòd, Reges sine prudentia fecissent, si (quidquid sit de insulis Melitæ & Gaudisii) cætera castra & terras, quæ statim post commissum delictum nonnullis Regni proceribus fuerant concessa, Guglielmo Raymundo restituere cogitassent: quoniam eâ tempestate rumores in Regno erant propter Bernardum de Cabrèra, qui Reginæ Blancæ, quòd Regni Vicaria erat, authoritatem contendebat.

Verùm hæc nova replicatio nihil prodest: ea † enim, quæ fuerant Regum fidelibus concessa, facilè poterant, siqua fuisset innocentiæ declaratio, ex regia authoritate restitui: & præsertim feudum *Murgi*, *Sancti Calogeri & Pantani Salsi*, quæ primùm fuerant Marchionatui Melitæ aggregata, & deinde a Rege concessa: necnon feuda *Spallæ*, *Musticari & Priòli*, quæ fuerant ob delictum C. Guglielmi concessa Agathæ de Ala: quæ omnia erant de pertinentiis antiqui Comitatùs Augustæ, & debebant redintegrari, si non identificè (quia Comitatus Augustæ cum Comitatu Caltanissettæ sub anno 1407. fuerat permutatus) saltem per assignationem aliorum bonorum, quæ ipsorum vice subrogarentur. Cæterùm *Narus*, *Minæum & Sutèra* sub regio demanio omnino existebant, & in eo usque in præsentem diem conservantur. Unde earum restitutio, non quidem ex hoc prætextu, sed quia nunquam Comes Guglielmus fuit innocens declaratus, exitum non habuit.

16

Et quòd *Sutera* effecta est de regio demanio, habetur privilegium in regia Cancellaria concessum post delictum Comitis Guglielmi, die primo Februarii 1397. ibi: *Ipsamque Terram & Castrum, quæ ob dicti Guglielmi Raymundi ingratitudinem ac crimen læsæ majestatis, vitâ sibi comite, contra nostras excellentias per eum nefariè perpatratum, ad nostras manus est reducta & legitimè devoluta*. Et inferiùs ibi: *Reducimus ad nostrum demanium, & aliis locis nostri demanii perpetuò aggregamus*. Ac paulò post, ibi: *Non obstantibus donationibus &c. & præsertim donatione & concessione factis de dictis Terra & Castro quondam Guglielmo Raymundo & dictis suis hæredibus, quæ ratione prædicta est cassa, irrita atque nulla, quàm etiam hujus serie de certa nostra scientia absoluta cassamus, irritamus, & penitus annullamus: sicque nullo unquam tempore in judicio nec extra aliquam obtineant roboris firmitatem, sed pro cassis, vanis, irritis, atque nullis penitus habeantur*.

Et idem dicitur quoad *Narum*, per privilegium emanatum die 25. Maii 1398. ibi: *Ipsamque Terram & Castrum, quæ ob ingratitudinem detestandam, ac crimen læsæ majestatis, per dictum Guglielmum Raymundum contra nostras excellentias nefariè commissa & perpetrata, est ad manus nostræ Curię reducta & legitimè devoluta, aperta, & confiscata*. Et inferiùs, ibi: *Reducimus ad nostrum demanium, & aliis locis nostri demanii perpetuò aggregamus*.

Et

Et paulò post, ibi: *Imò donationes, concessiones, seu alienationes quæcumque de dictis Terra & Castro quomodolibet factæ, præsertim donatio & concessio dicto quondam Guglielmo Raymundo suisque hæredibus de dictis Terra & Castro* Nari *facta, sint cassæ, irritæ atque nullæ, & pro non factis penitùs censeantur, quòdque nullam in judicio vel extra judicium roboris obtineant firmitatem*.

Idemq; quoad *Minæum* affirmatur in privilegio relaxato sub die 1. Junii 1398. ibi: *Cùm sint ad manus nostræ Curiæ noviter legitimè devoluta, aperta & confiscata, ob rebellionem incautam & crimen læsæ majestatis contra nos commissum per Guglielmum Raymundum de Montecateno olim Marchionem Meliveti*. Ac inferiùs, ibi: *Terram* Minæi *prædictam cum ejus castro & territorio ac hominibus habitatoribus ipsius, ad nostrum demanium reducimus, & aliis locis nostri demanii perpetuò aggregamus.*

Replicat tertiò Adversarius, quòd fortè Rex Ferdinandus declarationi exequutionem non concessit, quia Moncadas satis odio habebat, utpote qui adhæserant Jacobo Aragonio Comiti Urgell, quando ille Regni successionem prætendebat contra ipsum Ferdinandum tunc temporis Castellæ infantem.

Verùm tamen id afferere nefas
17 est, † quoniā in primis Siculi Moncadæ cum Moncadis a Catalonia non aliam habebant necessitudinem, quam eam puri cognominis:
18 & † Rex Ferdinandus eâ integritate ac justitiâ pollebat; ut *Justus* fuerit denominatus. Quinetiam † eâ tempestate Moncadæ, 19
quia Reginæ Blancæ omni studio inservierant, multas ac maximas dignitates, gratias & honores in Sicilia obtinuerant: & subsequenter apud Regem Ferdinandum & Regem Alphonsum sic, fortè commendati erant; ut apud eos gratiâ plurimùm valuerint. Et defactò anno 1413. die 3. Decembris, Rex Ferdinandus gratiosè donavit Joanni de Montecateno florenorum mille quingentum. Et dicto anno 1413. die 20. Aprilis, Regis vicemgerentes, solvendas esse, mandarunt, dicto Joanni de Montecateno (cui defunctus Rex Martinus senior die 12. Decembris 1409. assignaverat) certas tractas ex causa dotis illi promissas, ob matrimonium contractum cum Andræva de Isfonellat ejus uxore. Quæ nedum odium non supponunt, imò etiam Regis Ferdinandi benevolentiam convincunt.

Et tandem replicat Adversarius, quòd, quamvis identifica bonorum publicatorum restitutio facta non fuerit; nihilominus bona prædicta fuerunt restituta per æquipollens: siquidem omnes omnino Comitis Guglielmi filii plures concessiones atque innumeras dignitates a Regibus impetrarunt.

Sed postrema hæc Adversarii replicatio non sustinetur: † Re- 20
gia enim diplomata, ut legi possunt, gratias a Regibus impartitas non referunt, nisi ad servitia præstita post obtentam redintegratio-

tionem: quia videlicet omnes vel Regem Martinum juniorem in Sardiniam proficiscentem comitarunt, vel Regem Alphonsum & belli & pacis tempore sequuti sunt, & præsertim Joannes tunc primùm Baro Ferulæ & subsequenter Comes Adernionis, qui dictam Andrævam de Isfonellar Reginæ Blancæ familiarem & fortè consanguineam cum consensu Regis uxorem duxerat.

21 Cæterùm neque † innocentiæ declarationem verisimilem reddunt nonnullæ considerationes, quæ ad eam suadendam ab Adversario cumulantur: ipsæ enim levissimæ sunt, & non minùs quàm ea, quæ adversùs inverisimilitudines a nobis allegatas apposita sunt, planissimè resolvuntur.

Et quidem infirma est prima consideratio, quòd scilicet innocentiæ declaratio satis verisimilis videatur, quia fortè fuit Barchinonæ transumptata ad instantiam Guglielmi Raymundi, qui eam impetravit. Infirma est enim, quia
22 † hujusmodi transumptum (si verum est) factum esse videtur *anno* 1414. *die* 7. *Augusti*, proindeque post annos quatuor & totidem menses a die assertæ impetrationis. Si autem vera fuisset innocentiæ declaratio; illicò vel sal-
23 tem † usque *a die* 28. *Junii* 1412. quo Rex Ferdinandus ad Siciliæ thronum evectus erat, fuisset transumptata. Præthereà finis, per quem transumptum fieri dicitur, sequutus non est: quoniam Guglielmus Raymundus, declaratione (ut in principio transumpti affirmatur) opus habebat, tam pro ea exhibenda Domino Regi, quàm pro ea exhibenda in insula Siciliæ, & quia dubitabat de amissione originalis. Et sic neque Regi Ferdinando unquam fuit, ut dictum est, nec in Regno præsentata.

Infirma est secunda consideratio, quòd scilicèt eodem tempore, quo fuit transumptata innocentiæ declaratio, videatur etiam transumptatum in Catalonia *de anno* 1414. Comitis Guglielmi testamentum & codicillus: quasi quòd illud ex eo factum fuisset, quòd Rex Martinus Comitem Guglielmum jam innocentem declaraverat, ubi aliunde testamentum ex delicto annihilatum remanserat & eo amplius filii uti non poterant. Verùm stare † simul 24
potest, quod factum fuit & testamenti & codicilli transumptum (si pariter illud verum est;) & quòd nihilominus Comes Guglielmus in delicto decessit, quòdque innocens usque ad illud tempus non fuit declaratus. Siquidem Comitis Guglielmi filii (qui jam inde post obtentam absolutionem, sese omnes Regibus addixerant) quoniam antiquorum bonorum notitiam desiderabant; ad futuram rei memoriam, testamentum & codicillos, in quibus ea omnia descripta erant, transumptare fecerunt. Quod quidem redditur innegabile, quia (uti prætendit pars adversa) universum testamentum in civitate Syracusarum anno 1403. & nonnulla illius capitula in Terra Sancto-

rum

rum Fratrum anno 1405. fuerunt transsumptata: & tamen eo tempore Rex Martinus senior assertam innocentiæ declarationem minimè fecerat, nec facere cogitaverat.

Sed in hanc postremam assertionem replicatur, quòd ex hoc Comitis Guglielmi innocentia magis confirmatur, quippe filii de ea non dubitantes, etiam ante Regis declarationem, testamentum & codicillos transsumptare fecerunt. Verùm infirma est replicatio: supra enim satis ad evidentiam demonstratum est, Comitem Guglielmum delinquentem extitisse, atque in delicto decessisse. Cæterum dici posset, quòd filii patris testamentum & codicillos transsumptare fecerunt, ut ex Regis clementia quorundam ex bonis paternis, quæ sibi in testamento & codicillis relicta erant, assignationem obtinerent. Quod facto consentaneum videretur, quoniam delictum non excluderet.

Tertia Adversarii consideratio ea est, quòd in actis publicis, & insinuatis coram Illustri hujus felicissimæ Urbis Prætore, Comes Guglielmus, post paucos annos ab obtenta innocentiæ declaratione, dignitatibus & titulis, quibus vivens gavisus erat, condecoretur: ut videri potest in suprascripta donatione a Guglielmo Raymundo (qui declarationem obtinuit) facta Comiti Matthæo II. fratri suo, atque insinuata *anno* 1421. mense Januarii *& die* 30. *ejusdem mensis. In præsentia* (sunt verba donationis) *magnifici & egregii Domini Guglielmi Raymundi, filii quondam incliti Domini Guglielmi Raymundi de Montecateno, olim Marchionis Maltæ, Comitis Augustæ & la Noara, Magistri Justitiarii & Magni Comestabilis in Regno Siciliæ.*

Quinetiam (subjungit Adversarius) in actis coram Domino Prorege & Sacro Consilio publicatis, iisdem titulis illustratur: ut servatum videtur in quadam transactione inita *anno* 1424. *die* 29. *Maii* 2. *Indict.* inter Comitem Guglielmum Raymundum IV. filium Comitis Matthæi II. & Gastonum ejus fratrem, coram nonnullis Regni proceribus, & coram Spectabilibus M. R. C. Judicibus: quæ quidem transactio in actis M. R. C. insinuata est in conspectu Domini Proregis & totius Sacri Regii Consilii *die* 7. *Junii ejusdem anni* 1424. *Olim* (sunt verba transactionis) *tenente & possidente, tanquam vero domino & patrono prędicto, quondam Comite Matthęo eorum genitore, ex successione quondam magnifici Domini Guglielmi Raymundi de Montecateno Comitis Augustę & Marchionis Meliveti &c. ejus reverendi genitoris, Comitatum & Baroniam Terrę & Castri Augustę.*

Facilis tamen est oppositæ considerationis resolutio. Inprimis enim † donatio nihil convincit, quia in propria essentia stipulata videtur Caltanissettæ a Notario Comitis Matthæi vasallo, & insinuata coram Illustri Panormitano Prætore in forma communi: & sic tituli & dignitates, quibus Comes

mes Guglielmus insignitur, nec approbatæ nec reprobatæ videntur. Quinetiam donatio & insinuatio eo tempore facta est, quo, a crimine commisso, anni ferè 27. elapsi erant, & res ierat in oblivionem. Verum tamen est, quòd, ut supra dicebam & iterum dicam, actus hujusmodi filiis prohiberi non poterant: quoniam in capitulis initis inter Regem & Comitis Guglielmi filios, ipsis gratiam & honorem Reges promiserant, & aliunde mentio paterni delicti maximum eisdem dedecus irrogare potuisset.

Quò verò ad transactionem, in qua *magnificus* tantùm Comes Guglielmus appellatur; idem videtur repetendum, etsì coram Domino Prorege & Sacro Consilio insinuata transactio videatur. Præscindendo enim, quòd facta non sit sub solemnitate, quæ apud acta registrata videtur, sed eo privato & simplici modo, quo illorum decretum in actùs insinuatione interponi solet: nec Princeps, nec Sacrum Consilium hujusmodi titulos negare poterant, si, ut supra visum est, iidem Reges in privilegiis, jam usque ab annis 1397. & 1400. Comitem Guglielmum, honoris tantùm gratiâ, nobilem vocaverant. Sed id tantùm fecerunt in filiorum præsentia: nam aliunde & eodem tempore & subsequentibus temporibus, absentibus filiis, eum suum inimicum vocare non destiterunt.

Hæc eadem responsa omnino applicantur tam ad omnes alios actùs & privilegia, in quibus Comes Guglielmus post prædictum *annum* 1410. iisdem titulis illustratur, quàm ad privilegium a Rege Alphonso relaxatum. *anno* 1444. ad confirmandam civilitatem, quam Catanensis Senatus Comiti Guglielmo concesserat. Quinimo, ex eomet quòd Rex favore filiorum Comitis Guglielmi civilitatem confirmavit; ex eo, inquam, delictum Comitis Guglielmi confirmatum est. Si enim Comes Guglielmus pro innocenti habitus esset; necessaria non fuisset Regis confirmatio: quoniam ad Universitatem pertinebat civem allicere atque ad se trahere. Unde, si super hoc filiis gratia concessa est; nulla prorsus sententiæ retractatio, sed potiùs ejusdem confirmatio expresè consurgit.

Quarta consideratio est, quòd filii Comitis Guglielmi, post prædictam innocentiæ declarationem, paternum testamentum executi sunt. Quippe Guglielmus Raymundus Comiti Matthæo II. qui suus erat frater, quique per testamentum Comitis Guglielmi communis patris in Comitatu Augustæ titulo particulari institutus erat, *anno* 1421. donationem fecit de omnibus juribus sibi competentibus super Comitatu Augustæ. Et *anno* 1424. inter Comitem Guglielmum Raymundum IV. & Gastonum fratrem, stipulata est transactio, in qua dicitur, Comitem Matthæum II. ex successione Comitis Guglielmi ejus patris Comitatum uti feudum antiquum habuisse.

Ve-

Verùm facilè confutatur hujusmodi consideratio, quia
25 † præscindendo, quòd in prædictis contractibus nulla prorsus fiat mentio de innocentiæ declaratione, ut supra notatum est, & præscindendo etiam, quòd hujusmodi contractus fieri potuerunt etiam independenter ab innocentia: profectò in ipsis haud ulla testamenti executio legi potest, quinimo ex ipsis omnino testamenti impugnatio resultat.

Et quidem impugnatur per dictam donationem: quia licèt Comes Guglielmus Raymundus Guglielmum filium secundogenitum hæredem universalem instituisset; nihil tamen super Comitatu Augustæ eidem Guglielmo reliquerat, sed in eo Comitem Matthæum suum primogenitum particulariter honoraverat, sub onere tantùm solvendi sororibus dotes de paragio. Jam verò, si Guglielmus Raymundus donavit Comiti Matthæo fratri primogenito (cui Comitatus Augustæ tanquam feudum antiquum ex Regum clementia fuerat restitutus) omne id, quod sibi super Comitatu Augustæ competere potuisset (scilicet solam vitam & militiam, quam nonnisi per intestatam patris successionem super eodem Comitatu prætendere poterat;) rectè sequitur, quòd per hanc donationem Guglielmus Raymundus patris testamentum irritum dixit: nihil enim dicto Guglielmo Raymundo competere poterat super Comitatu Augustæ, nisi patris testamentum nullum esset, & quia ex paterna hæreditate nil penitus ipse Guglielmus Raymundus hæres universalis capere potuerat. Si autem validum fuisset testamentum, Guglielmus Raymundus nunquam potuisset defuncti genitoris factum improbare, qui sub onere tantùm solvendi sororibus dotes de paragio C. Matthæum in Comitatu Augustæ, ut dictum est, instituerat.

Impugnatur etiam per ascriptam transactionem Comitis Guglielmi testamentum, quia quamvis in ea dicatur, Comitem Matthæum II. communem transigentium genitorem, Comitatum Augustæ possedisse ex successione quondam C. Guglielmi Raymundi patris ejusdem Comitis Matthæi Secundi; id tamen non ad eum finem affirmatur, quòd Comes Matthæus successerit ex testamento Comitis Guglielmi, sed quasi per intermediam illius personam. Et defactò immediatè subjungitur, quòd Comes Guglielmus Raymundus IV. Comitatum Caltanissettæ possidere deberet locò Comitatùs Augustæ ex antiquis privilegiis, & ex permutatione a Comite Matthæo II. ejus genitore facta cum Rege Martino *anno* 1407. Quod testamento Comitis Guglielmi Raymundi III. apertè repugnat: quoniam, per eam permutationem Comes Matthæus eo modo Regi Augustæ Comitatum relaxaverat, quo avus suus Comes Matthæus Primus & proavus suus Comes Guglielmus Raymundus Secundus, non autem quo Comes Gugliel-

mus Raymundus Tertius genitor suus possidebat, ut in facto suppositum est.

26 Jam verò ✝ innocentiæ declaratio, ut in principio hujusce partis proposuimus, nedum inverisimilis est, sed nullius valoris & efficaciæ: ut nullo pacto unquam possit ejus exequutio prætendi. Et sanè allegatum regiæ declarationis privilegium, regiâ subscriptione regioque caret sigillo: sine quibus incassum privilegii existentia prætendi potest. Et quamvis regiæ subscriptionis defectus habeatur etiam in aliis privilegiis, quæ in Archivio domùs conservantur; adhuc tamen in istis, in quibus regia subscriptio deficit, apparet regium sigillum vel regii sigilli vestigia, quæ in nostra declaratione nec adsunt. Sicuti etiam nec in dorso privilegii legitur nota, *quod privilegium fuit registratum in regia Cancellaria cum subscriptione officialis, qui id attestetur*. Quæ registri *nota* & officialis signatura, etiam in officio regii Prothonotarii, nedum apposita videtur in privilegiis, quæ in Regno concessa sunt; imo etiam in eis, quæ fuerant Barchinonæ concessa: ut apparet in eorum exequutoriis, in quibus inserta leguntur. Et inter alia privilegia, hujusmodi *nota* legi potest in exequutoriis datis Catanæ die undecimâ Junii 1419. privilegio concessionis feudi *Murgi*, factæ a Rege Martino seniore cuidam Blasco Scammacca die 8. Septembris 1409. in quo sequens adnotatio inspicitur.

Datum Barchinonæ die 8. Septembris 3. Indictionis anno a nativitate Domini 1409. Regnique nostri Aragonum decimoquarto, & intitulationis nostri Regni Siciliæ primo. REX MARTINUS. Registrata in Cancellaria. Registrata per Prothonotarium de mandato Domini Regis. Dominus Rex mandavit mihi Stephano Blundo pro Prothonotario.

Sed statim opponit Adversarius, quòd forsitan regium sigillum in nostra declaratione intercessit: quòd ex temporis antiquitate amissum est: & quòd intantùm ejusdem sigilli vestigia & *nota* registri cum subscriptione officialis non apparent; inquantùm privilegium ipsum secatum invenitur in sua extremitate, in qua sigilli vestigia, & *nota* registri, & subscriptio officialis inspici solent, ut habetur ex aliis privilegiis, quæ in Archivio domùs existunt.

Verùm nostra in promptu est responsio, neque enim hoc ipsum præsumi potest ex prædicta secatione: quia secatio non ex temporis injuria sequuta est, sed appositè facta videtur. Unde non credendum, quòd, qui eam attentavit, privilegium in ea parte secare voluit, in qua sigilli vestigia & registri nota cum subscriptione officialis apparebant, ex quibus omnibus privilegii subsistentia pendebat; imò potiùs in ea parte secatum præsumitur, in qua aliquid legebatur, quod privilegii imperfectionem denotabat; vel quod privilegium ipsum infringebat.

De-

27 Ulteriùs † nullam unquam asserta innocentiæ declaratio exequutionem mereri potest, quoniam ipsa in Regno exequutoriata non reperitur. Si enim ea fuisset exequutoriata; profectò interinationis nota, si non in libris regiæ Cancellariæ (ob eorum defectum in nonnullis annis, ut prætendit Adversarius) saltem in ejus dorso conscripta legeretur.

Hoc autem loco opponit Adversarius, quòd pro exequenda innocentiæ declaratione necessariæ non erant exequutoriæ, quia tempore declarationis, exequutoriæ in Regno adhuc introductæ non erant, nam ex tunc Reges a Regno procul abesse cæperunt, unde Regni capitula pro exequutoriis postmodum edita sunt. Necessariæ non erant exequutoriæ: quia declaratio utì contractus & non privilegium executoriis non indigebat: quia forsan ex Regis dispensatione executoriis non indigebat: vel quia utì emanata motu proprio Regis, exequutorias non expectabat. Et tandem concludit, quòd ex lapsu tanti temporis exequutoriæ præsumantur.

Verùm prædicta omnia, quæ in contrariùm allegantur, nequicquam opponuntur. Neque enim obstat primum, quòd scilicet *anno* 1410. quo facta est asserta declaratio, seu meliùs *anno* 1414. quo factum est transumptum (antea enim exequutoriata declaratio non fuerat) exequutoriç non erant

28 in Regno introductæ: nam † etiam de jure communi rescriptorum executio necessaria erat, *& de veritate precum inquiri oportebat; ut, si fraus intervenisset, de omni negotio cognosceretur.* Textus est *in l. & si non cognitio C. si cōtra jus vel util.* Galeot. *controv.* 49. *à n.* 1. *& seq.* Rovit. *in pragm.* 1. *per tot. de privilegiis infra annum exequendis.* Quinetiam, quòd † executoriæ 29 in Regno nostro fuerint servatæ de antiquissima consuetudine, de qua non est memoria hominum in contrariùm, testantur Mastrill. *de magistr. lib.* 5. *cap.* 2. *à num.* 220. Cutell. *ad ll. Federici notit.* 46. *n.* 11.

Sed replicat Adversarius, quòd memorata consuetudo trahi non potest usque ad annum 1414. quoniam per capitulum 395. Regis Alphonsi anno 1446. exequutoriæ demandatæ videntur: unde post prædictum annum locum habere incipit consuetudo, quæ *a memoratis Doctoribus* allegatur.

Satis autem infirma est replicatio, quoniam adhuc † in prædicto 30 Regis Alphonsi capitulo antecedenter exequutoriæ introductæ supponuntur, & tantùm nonnullæ præcipiuntur solemnitates in eis relaxandis adimplendæ: nempe quòd partes audiri debeant, & ea fieri interpretatio, quæ alterius jura salva relinquat. Et sic, ubi allegati Doctores de prædicto Regni capitulo, & de aliis subsequentibus faciunt mentionem; si nihilominus dicunt, in Regno exequutoriarum consuetudinem fuisse antiquissimam, verum nobis est dicere, quòd consuetudo, de qua testantur, ea non sit, quæ videtur introducta post prædictas re-

regias regni sanctiones, sed quæ antecedenter servata videbatur.

31 Quod adeò verum est; ut † capitulum habeamus Regis Martini 67. quod fuit conditum anno 1408. in quo injuncta exequutoriarum necessitas conspicitur. Et ultra in regia Cancellaria de anno in annum leguntur exequutoriæ, scilicet ab anno 1413. usque ad dictum annum 1446. quo supradictum Regis Alphonsi capitulum publicatum est: & inferiùs illæ, quæ sub anno prædicto 1413. concessæ sunt, individualiter referentur.

Et aliter res esse non poterat, quippe Regum absentia non quidem incæpit a Rege Martino seniore post mortem junioris (quæ foret sufficiens in nostro themate, quia mors Regis Martini junioris in Sardinia, præcedenti anno 1409. fataliter evenerat;) sed eorum absentia satis antea frequens erat, & quidem tempore Imperatorum Henrici & Federici, & aliorum Regum Suevorum, et demum tempore Regis Petri I. Aragonensis, de cujus absentia dubitari non potest, ipse enim post annum 1284. abesse cæpit, & post

32 eundem annum † in Aragonia mortuus est. Sicuti etiam absens a Regno fuit Rex Martinus junior, qui cum Regina Maria sua uxore Cataloniam petiit patrem Regem visendi gratiâ, & deinde solus in Sardiniam profectus est, ubi decessit.

33 Nec mirum, † si agatur de rescriptis ipsorummet Regum, cùm aliunde interinatio quoad illa alterius Principis servari soleat: etenim & textus allegati loquuntur de proprio Principe, a quo literæ directæ sunt, & hoc jure in Regno utimur. Hinc est, quòd laude digni semper habiti sunt invictissimi Regni Siciliæ Reges, quòd etiam propria rescripta exequutioni mandari non permiserunt, nisi priùs per suos locumtenentes & ministros recognoscerentur. Quod igitur super alicuis rescriptis exequitur, de propriis etiam Regum decretis prædicatur: & hæc est consuetudo, de qua testantur citati Patres, nempè, quòd etiam propriis nostrorum Regum rescriptis exequutio non tribuatur, nisi priùs exequutoriæ fuerint impetratæ.

Et defactò † exempla, quæ 34 regiæ Cancellariæ adducuntur, de rescriptis sunt nostrorum Regum, etiam ante annum prædictum 1414. quo adhuc declaratio exequutoriata non erat. Et quidem anno 1413. die 10. Augusti, per Regis Vicesgerentes exequutoriæ conceduntur electioni a Rege Ferdinando factæ de officio Capitanei Civitatis Agrigenti, in personam Antonii Bonito per privilegium datum Barchinonæ die 13. Junii 1413. Eodem anno 1413. die 16. dicti mensis Augusti, iidem regii Vicesgerentes exequutorias concesserunt cuidam rescripto Barchinonæ expedito die 23. Maii 1413. favore Rosæ de Arlotta nutricis Dominæ Violantis (filiæ naturalis quondam serenissimi Regis Martini) ad obtinendam solutionem

nem unciarum sex annualium super gabella vini civitatis Catanæ : quæ quidem unciæ sex annuales eidem Rosæ a Rege Martino assignabantur vigore literarum, quæ datæ etiam erant Barchinonæ die 3. Augusti 1405. Eodem anno, Regii prædicti Vicesgerentes exequutorias concesserunt alteri rescripto Regis Ferdinandi, quod datum est Leridæ die 30. Decembris 1413. quodque obtinuit Joannes de Montecateno Dominus Ferulæ. Hoc autem rescriptum fuit ab Infante Joanne confirmatum per literas datas Catanæ die 19. Novembris 1415. in quibus rescriptum prædictum insertum est, & memoratæ exequutoriæ enunciantur. Et proinde concluditur, quòd rescriptorum exequutoriæ in Regno eâ tempestate introductę reperiebantur, & quòd consuetudo respiciat illud tempus, quo relaxata innocentiæ declaratio prætenditur.

Alterum, quod affirmat Adversarius, in hoc consistit, quòd exequutoriæ necessariæ non erant, quia declaratio, de qua agitur, privilegium non est, sed publicum
35 instrumentum : tale enim † ab
ipsomet Rege denominatur, & clausulas continet instrumento magis, quàm privilegio accommodatas, unde propterea (concludit Adversarius) exequutoriis non subjacet, ex Revert. *decis.* 481.

Verùm non obstat assertio, quia
36 † regia rescripta, publica instru-
menta dicuntur, & synonyma sunt privilegium & publicum instrumentum. Ità sanè innuere videtur Rex ipse quasi in omnibus privilegiis in regia Cancellaria expeditis. Et quidem videri possunt Privilegium confirmationis insularum Melitæ & Gaudisi factæ favore nostri C. Guglielmi Raymundi III. die 16. Novembris 1396. Privilegium ampliationis Comitatus Augustæ factæ favore ejusdem nostri C. Guglielmi Raymundi III. dicto die 16. Novembris 1396. Privilegium concessionis Castri nominati de *Mungialini* factæ Henrico Statella die 10. Julii 1398. & ferè omnia alia privilegia, quæ in processu edita sunt.

Quinimo, † publica etiam Re- 37
gum instrumenta literis exequutorialibus indigent, ex Anell. Amat. *cons.* 33. *a n.* 11. quod, si benè perpendatur, nec negat Reverterius ab adversario allegatus. Et quòd instrumenta literis executorialibus indigeant, probant exequutoriæ, quæ ad instantiam Comitis Guglielmi Raymundi IV. die 16. Septembris anno 1441. a Rege Alphonso concessæ sunt cuidam venditioni (quæ instrumentum est) unciarum duodecim annualium, & quæ dicto Comiti facta est pro pretio ducatorum ducentorum: & hoc per privilegium datum in castro civitatis Adversæ die 24. Aprilis ejusdem anni 1441. Cæterùm asserta innocentiæ declaratio purum est privilegium : licèt enim legatur clausula *constituti*, & aliæ, quæ publico instrumento consentiant ; tamen declaratio dirigitur omnibus & singulis regni officialibus, ad hoc scilicet, ut insulas Melitæ & Gau-

disii

disii Guglielmo Raymundo supplicanti deliberarent. Atque ea defactò videtur firmata a Raymundo de Cumbis, a quo cætera regiæ Cancellariæ privilegia subscripta sunt.

Asserit tertiò Adversarius, quòd fortè nostrum rescriptum exequutoriis non egebat, quia in eo executionis necessitas fuit remissa per ea verba. *Et, ut nullum in restitutione prædicta possit poni impedimentum; per primam, secundam & tertiam jussionem mandamus, quatenus prædictum marchionatum, loca, villas & castra, vobis seu vestro procuratori aut procuratoribus restituant & deliberent, quoniam factis præstitis prædictis juramento & homagio &c.*

Sed nihil obstat hujusmodi assertio: hoc enim, quòd nullum poni possit executioni ejusdem privilegii impedimentum, non quidem importat exequutoriarum remissionem, sed constantis regalis animi repetitam expressam deliberationem, ne fortè rescripti exequutio retardaretur. Atqui exequutoriæ non sunt ad dilatandum introductæ, sed ut Regis rescriptum recognoscatur, antequam exequutioni mandetur. Consequens igitur, quòd clausula prædicta non fuit ad eum finem apposita, ut exequutoriæ remitterentur; sed ut, illis concessis, sub nullo prætextu rescripti exequutio impediretur. Et defactò in supra enunciata venditione unciarum duodecim annualium, quæ anno 1441. a Rege Alphonso facta est Comiti Guglielmo Raymundo IV. etsì fuissent appositæ clausulæ prægnantiores, nihilominus exequutoriæ & petitæ & concessæ fuerunt.

Affirmat quintò Adversarius, quòd † declaratio exequutoriis 38 non indigebat, quia non ad Partis instantiam, sed motu proprio Regis processerat, & in propriæ conscientiæ exonerationem, ex Theodoro *allegat.* 53.

Confutatur tamen assertio, quia loquitur Author de rescriptis, quæ Universitatibus a Rege tanquam per punctum generale conceduntur. Confutatur etiam, quia nostrum rescriptum ad Partis instantiam relaxatum est: dicitur enim, quòd restitutio Marchionatus Melitæ & Gaudisii, quem Rex Martinus junior (recolendæ memoriæ) occupaverat, petita est pro parte Stephaniæ & Guglielmi Raymundi: & quòd, eorum supplicatione benignè admissâ, ex causis expositis (nempe non facti processûs nec judiciariæ authoritatis interpositæ) illam Rex concessit. Quo nil clariùs. Quamvis autem in principio rescripti, Rex Martinus senior bonorum occupationem a filio factam supponat, quasi independenter ab expositis: & ultra in Marchionatùs restitutione affirmet, prædictam restitutionem fieri nedum ex causis ab oratoribus enarratis, verùm etiam ex aliis, quæ Regem rationabiliter induxerunt, & signanter in propriæ conscientiæ exoneratione; adhuc tamen non per hoc quis dixerit, motu proprio Regis declarationem fuisse factam: ubi

enim

39 enim † rescriptum ad Partis instantiam conceditur, etiamsi expressè clausula *motu proprio* adjecta sit; nunquam tale illud habendum erit, sed ad Partis instantiam quoad omnes juris effectus, dicitur impetratum, ad textum expressum in *Cap. si motu proprio vers. si ad petitionem De prabend. in* 6. Paris. *cons.* 1. *n.* 76. *p.* 1. Barbos. *claus.* 69. *n.* 22. Rot. Rom. *p.* 2. *rec. dec.* 656. *n.* 4. *Et communiter omnes.*

Et demum non obstat quintum, quòd cùm libri regiæ Cancellariæ integrè non reperiantur, nostrum rescriptum in Regno exequutoriatum, per lapsum tanti temporis, præsumatur. Quidquid enim sit de libris hujusmodi: nostrum rescriptum exequutoriatum non fuisse proculdubio constat, & quidem ex eo, quòd neque a serenissimo Rege Ferdinando, neque a serenissimis ejus successoribus confirmatum est. Nostrum, inquam, rescriptum ante annum 1414. quo transumptum factum prætenditur, exequutoriatum non fuit: unde subsequenter exequutoriari non potuit, quia mortuus erat Rex, qui dicitur illud concessisse. Prout defactò, ut supra dicebam, in ejus dorso exequutoriarum *nota*, ut mos est, scripta non legitur. Quod omnem prorsus controversiam tollit: ubi enim

40 † ex facie ipsius privilegii apparet, exequutorias non fuisse concessas, de aliis circumstantiis quærendum non est. Beltramin. ad Ludovis. *decis.* 416. *n.* 8.

Jam ergo hæc omnia, quæ ad impugnandam innocentiæ declarationem hucusque adduximus, satis omnino ad convincendam declarationis inverisimilitudinem sufficiunt: sed hæc eadem evidentissima etiam redduntur ex actibus positivis, quos C. Guglielmi descendentes, post obtentam assertam innocentiæ declarationem, exequuti sunt in observantiam restitutionis Comitatùs Augustæ, quæ Comiti Matthæo post Comitis Guglielmi delictum facta est. Et compertum quidem habemus, quòd Augustæ Comitatus, postquam ob delictum a Comite Guglielmo commissum, Regi (scilicet Martino juniori) addictus est, ab ipsomet Rege anno 1398. Comitis Guglielmi primogenito (scilicet Comiti Matthæo II.) ex regali clementia impertitus est, & deinde a Comite Matthęo cum eodem Rege permutatus locò Comitatùs Caltanissettæ, vigore permutationis initæ sub anno 1407. Atque hæc permutatio facta est, non quidem prout possidebat Comes Guglielmus Comitis Matthæi pater, sed *prout ejus avus Comes Matthæus I. & ejus proavus Comes Guglielmus Raymundus II. possidebant*. Jam ergo, si vera fuisset innocentiæ declaratio, Comitis Guglielmi descendentes, non quidem virtute capitulorum, quæ cum Rege Martino sub prædicto anno 1398. inita sunt, sed vigore antiquorum privilegiorum, & utì possedit Comes Guglielmus, atque utì filii Comitis Guglielmi post assertam innocentiæ declarationem possidere debuissent.

Verùm non ità res abiit, quoniam

niam iidem descendentes, non obstante hujusmodi declaratione, supradictis tantùm capitulis usi sunt. Et quidem, Comes Guglielmus Raymundus IV. Comitis Matthæi II. primogenitus: qui capitula anno 1398. inita inter patrem, & Regem Martinum (in quibus Augustæ restitutio habetur,& delictum confirmatur) transumptare fecit, ne amitterentur, Messanæ *die* 12. *Septembris* 1425. in actis Notarii Antonii de Mirabellis: & subsequenter *anno* 1444. *die* 24. *Novembris* obtinuit a Rege Alphonso confirmationem permutationis Augustæ cum Comitatu Caltanissettæ, in qua, ut dictum est, delictum Comitis Guglielmi confirmatur. Idem etiam exequutus est Comes Guglielmus Raymundus IV. *anno* 1453. *die* 10. *Augusti*: quo tempore ab eodem Rege Alphonso fuit permutatio prædicta, instante eodem C. Guglielmo Raymundo IV. sub eadem delicti assertione iterum approbata. Ulteriùs hoc ipsum observarunt descendentes Comitis Joannis filii secundogeniti ejusdem Comitis Guglielmi. Quippe Comes Joannes (qui postmodum fuit Comes Adernionis) post patris delictum, Comitatum Ferulæ *anno* 1398. a regibus obtinuit, & quidem sub enunciativa delicti Comitis Guglielmi proprii genitoris. Atque exinde *anno* 1453. *die* 13. *Augusti* ad instantiam Antonii Perii Ambrosii filii Antonii Perii (qui filius erat ejusdem Joannis) fuit a Rege Alphonso concessio prædicta sub eadem delicti assertione confirmata. Quocirca, si vera fuisset declaratio, Comitatus Ferulæ nunquam potuisset in descendentibus Comitis Joannis confirmari, ut jam modò dicetur.

Et tandem ità etiam observarunt omnes alii descendentes, qui vel Comitatùs Caltanissettæ vel Baroniæ Ferulæ confirmationem petierunt: in iis enim privilegiis, restitutiones, quæ ex Regis clementia post Comitis Guglielmi delictum factæ sunt, solummodò approbantur, & nullibi nequidem verbum de innocentiæ declaratione. Et, quod valde notandum, nec Comes Matthæus II. nec ejus descendentes, a Comite Joanne vel ejus descendentibus, post assertam innocentiæ declarationem *Ferulam* petierunt. Valde, inquam, notandum: quia per Comitis Guglielmi testamentum, in Baronia *Ferulæ*, non Comes Joannes, sed Comes Matthæus fuerat institutus: & Comes Joannes nonnisi per Regum concessiones Comitatum *Ferulæ* post patris delictum adeptus est. Si vera igitur fuisset innocentiæ declaratio; statim profectò vel Comes Matthæus vel ejus descendentes, a Comite Joanne vel ab ejus descendentibus prædictum *Ferulæ* Comitatum perquirere potuissent.

Jam igitur evidentissima sunt, quæ modò adduximus: sed hæc omnia longè evidentissima redduntur, si diligenter expendatur, quod per universam orationem, in eo, quod respicit Comitis Guglielmi delictum vel innocentiam,

tiam, pro certo supponit Adversarius. Et quod maximè intendit, in hoc potissimùm versatur, quòd vera fuit & justa quidem innocentiæ declaratio, quia videlicet a Rege Martino juniori, ex suggestionibus inimicorum, Comiti Guglielmo delictum imputatum est. Et sic pro constanti supponitur, quòd Comes Guglielmus assertos inimicos habuit, & quòd Rex Martinus junior Comitem Guglielmum condemnavit.

Verùm, hoc ipsum, quod pro certo ponit Adversarius, quonam modo sustineri valeat, usque adeò exploratum habere non possumus. Neque enim adhuc compertum est, quòd Rex Martinus junior, Comitis Guglielmi delictum aliquando declaravit, aut quòd circa ejusdem delicti declarationem partem aliquam habuit. Quod tantùm ex regiæ Cancellariæ monumentis pro certo habere licet, hoc maximè est, quòd Comes Guglielmus delinquens declaratus fuit per Tribunal Magnæ Regiæ Curiæ, omnibus adimpletis solemnitatibus, quæ de jure requirebantur: ut quìd igitur Eminentissimum de Serra & Franciscum Saguarrìgua, quos nec unquam Comes Guglielmus infensos habuit, nec ejus filii, sed bene de se meritos, ut probatum est, ut quìd fidelissimos Regis ministros de pravis insinuationibus, & Martinum Regem de injustitia redarguere? Si unquam erravit Martinus junior, ut ex adversò prætenditur, tuuc fortè errasse supponitur, cùm aliquando absque causæ cognitione aliquem rebellem declaravit. En verba, quibus Auctor ab Adversario allegatus sese declarat in causa *Bibini Magni*: *Dedonde*, inquit, *se infiere, que el Rey Martin en aquellos tiempos de tanta turbolencia, havia sido mal informado, y que* sin cognition de causa *havia declarado estas rebeldias.* Verum tamen, ubi causæ cognitio intercessit, ubi non Rex, sed supremum Magnæ Regiæ Curiæ Tribunal sententiam protulit; haud sanè dici potest, quòd Rex in errorem inciderit: nam ubi per sacrum collaterale Consilium sententia profertur; quæ Regis partes sunt, in hoc tantùm consistunt, quòd scilicet sententiam faciat exequutioni mandare: qui quidem actus justissimus est, & satis superque commendabilis. Unde etsi etiam in aliis causis forsan aliquando Rex Martinus errorem contraxisset; nunquam tamen (iterum dicam) errasse dici potest in causis, in quibus judicum sententiæ intercessere.

Verùm circa hæc statim opponit Adversarius, quòd de sententia contra Comitem Guglielmum, quæ per Magnam Regiam Curiam prolata est sub die 16. Novembris 1397. apud acta Magnæ Regiæ Curiæ non constat.

Nihil tamen obstat hujusmodi assertio: licèt enim sententia in libris M. R. C. ad præsèns scripta non reperiatur; id ex eo evenisse compertum est, quòd registra illorum temporum, & alia etiam satis superque recentiora amissa sunt. Sed de eadem sententia ple-

nissimè constare dici debet, si millies enunciata videtur, & usque in hodiernum diem per spatium tercentum viginti annorum exequuta est, non solùm contra Comitem Guglielmum, verùm etiam contra innumeros alios, qui fuerunt per eandem sententiam con-
41 demnati. Quod autem † antiquis enunciativis standum sit, præsertim tot accedentibus adminiculis, nemo est, qui unquam inficiari valeat.

Alterum, quod pro certo habet Adversarius, in hoc tantùm consistit, nempe quòd omnes historici testati sint, Comitem Guglielmum fuisse innocentem, & talem fuisse a Rege Martino seniori declaratum.

Verùm plana est responsio: nemo est enim ex siculis scriptoribus, qui hoc ipsum usque adhuc affirmet; sed omnes omnino Comitem Guglielmum delinquentem enunciant. Et quamvis in contrariùm fuerit allegatus Pe-
42 trus Tomichius; adhuc † tamen auctor non dicit, quòd Comes Guglielmus fuit iunocens declaratus, sed tantùm asserit, quòd Fama dixerat, eum sine culpa bona propria amisisse. Verùm tamen huic objectioni, jam satis in præcedenti parte responsum est: solùm hic specialiter animadvertendum, quòd si Comes Guglielmus fuisset a Rege Martino seniori innocens declaratus; Petrus Tomichius in Opere, quod post perfectam assertam innocentiæ declarationem conscripsit, ejusdem declarationis utique meminisset. Et neque de innocentiæ declaratione testatur (ut prætendit Adversarius) Hieronymus Surita: ipse enim, qui scripsit post ea tempora, quibus innocentiæ declaratio facta erat, non solùm Comitem Guglielmum declaratum fuisse innocentem, non affirmat; quinimo (quod summopere animadvertendum) Comitem Guglielmum, ut superiùs visum est, delinquentem renuntiat.

Omnis itaque spes in Illustri Marchione de Mondèjar reposita est, atque in Reverendo de Lengueglia: siquidem ii, & omnes alii, qui scripturas in Archivio domùs conservatas recognoverunt, Comitis Guglielmi innocentiam ejusque declarationem retulerunt.

Sed hoc, Sapientissimi Patres, satis invalidum atque inane perfugium est: si enim hujusmodi auctores, rem, ut nunc discussa est, in examen atque in contentionem deduxissent, contrarium proculdubio scripsissent, & præsertim Illustris Marchio de Mondèjar, qui in solo facto Tripis Comitem Guglielmum excusat, in quo eum non credidit delinquentem. Verùm quoniam iidem auctores in alio non se fundant, nisi in prædicta innocentiæ declaratione, & in aliis privilegiis, quæ fuerant Comiti Guglielmo concessa; satis ipsi reprobantur, si prædictis privilegiis atque innocentiæ declarationi jam supra responsum est. Quare concludendum,

dum, quòd ascripta Regis Martini senioris declaratio, omnino sit inverisimilis, nulla, & obreptitia: ut dubitari amplius non valeat, quin Comes Guglielmus in delicto decesserit. Unde propterea etiamsì vel ex recuperatione, vel ex Regum indulgentia debuisset Comes Guglielmus primus Comitatùs Augustæ quæsitor reputari, etiamsì Comitatus usque in præsentiarum indiminutus conservaretur; nunquam tamen ejus testamentum, utcumque foret, veniret observandum.

Sit nihilominus innocentiæ declaratio millies vera, non sit obreptitia, sit regio sigillo communita, sit per Officialis regiæ Cancellariæ ac per Protonotarii hujusce Regni subscriptionem omnibus notis absoluta, sit in Regno exequutoriata, sit etiam in processu hujus causæ possessoriæ, non obstante propriâ informitate, præsentata: quid propterea? Non esset prætensio, nisi ad judicium petitorium remittenda: quod non solùm deberet a Domino Duce S. Joannis cum Domina Cliente, sed etiam cum regio fisco agitari, & cum aliis bonorum Comitis Guglielmi possessoribus. Et profectò, doctissimi Judices, in judicio possessorio summariissimo versamur, in quo res, ut sæpius dictum est, in eo statu venit relinquenda, in quo tempore mortis ultimi defuncti, reperta est, & in quo replicationes, quæ altiorem indaginem requirunt, admitti non possunt, præsertim quòd (ut esset in præsenti themate) agendum foret de revocatione sententiæ transactæ in rem judicatam; & quæ per spatium tercentum viginti annorum observata est: quæ tandem revocata dici non posset per minùs juridicam Regis Martini declarationem absque interventu Sacri Consilii relaxatam, & quæ nunquam exequutioni mandata est.

Fingamus tamen, quòd præsens judicium possessorium non sit, sed reivindicatorium, cum expressa petitione nullitatis & revocationis sententiæ prolatæ a M. R. C. sub die *16.* Novembris 1397. quòdque illud, factis hinc inde probationibus, post trium seculorum lapsum & ultra collectum sit, & in eo litis consortes intervenerint regius fiscus & alii bonorum confiscatorum possessores, absque eo, quòd in principio causæ propositus fuerit articulus denegationis audientiæ; & quòd vos, Optimi Patres, etiam super hujusmodi merito vestrum judicium proferre deberetis: non per hoc apud vos Regis Martini declaratio approbata remaneret. Quod enim a summa vestra jurisprudentia examinari deberet, independenter a quibuscumque extrinsecis probationibus (quibus post lapsum tanti temporis fides præstanda non esset) certè illud foret, an scilicet hoc anno M.DCC.XV. Comes Guglielmus Raymundus III. a delicto commisso sub anno 1397. innocens declarari posset, eò ipsò, quòd, Rex Martinus senior anno 1410. Comitem Guglielmum innocentem;

 & Re-

& Regem Martinum filium, injustum bonorum suorum occupatorem declaravit? an verò ejus delictum confirmandum esset, eò ipsò, quòd sententia super eodem delicto per M. R. C. prolata est, & quidem sub die 16. Novembris 1397? Et si hæc eadem sententia sufficientissima videretur, quid, quæso, veniret attendendum, si utique innocentiæ declaratio a Rege facta est, qui tempore delicti præsens in Regno non erat, qui actum fecit ad obreptitiam partis instantiam, qui Comitem Guglielmum cum tertii præjudicio innocentem declaravit, quem in articulo mortis præsentibus interesse habentibus non declaravit Rex Martinus ejus filius jam de injustitia redargutus? Quid, quæso, dicendum foret, si demum innocentiæ declaratio a Rege facta est, qui Comitem Guglielmum innocentem declaravit, & quidem eo tempore, quo ità erat morbo acutissimo correptus; ut, qui circum aderant, eum ferè mortuum lugerent: a Rege facta est, post cujus mortem innocentiæ declaratio per trium seculorum spatium & ultra nunquam fuit observata, & cui tandem vetustissima æquè ac sacratissima resistunt regiæ Cancellariæ monumenta? Qua in re, cùm nemo sit, qui non videat, fisci jura esse proculdubio potiora; certè & vos ipsi principaliter contra hujusmodi declarationem pronunciare deberetis.

Verùm hisce omnibus minimè refragantibus: fingamus etiam, quòd sententia M. R. C. justa non sit; & quòd, non obstante ejus antiquissima observantia, nedum veniat revocanda, sed quod jam revocata videatur: quid præterea? In præsenti successione Comitis Guglielmi testamentum haud unquam exequi posset: scitis enim, Ornatissimi Judices (& vidistis in allegatis privilegiis) quòd cum Comite Guglielmo in delictum etiam incidit Comes Matthæus ejus primogenitus, qui etiam post patris mortem in delicto permansit. Unde Comitatus Augustæ, qui ad Comitem Matthæum post patris mortem pertinebat, vel quia per Comitem Guglielmum in testamento relictum habuerat, vel quia in eo vigore antiquarum concessionum jure proprio succedere debebat, regio ærario adjudicatus remansit. Verùm exinde Comes Matthæus pœnitentiâ ductus, Regis gratiam ac benevolentiam sibi comparavit, unde propterea Augustæ Comitatum sub expresa clausula juris francorum concessum habuit: & sic lex illa venit observanda, quæ a Regibus in restitutione apposita est, & quæ usque in hodiernum diem ex prædicta restitutione fuit ab omnibus succesoribus observata.

Itaque inter tot tantasque rerum vicissitudines † in præsenti 43 successione ea privilegia veniunt exequenda, quæ C. Matthæo II. post ejus redintegrationem fuere a Regibus concesa: quæ quidem, sive antiqui feudi restitutionem contineant, sive novam concessionem

nem includant, semper Dominam Clientem ad successionem admittunt. Etenim si unquam a Regibus restitutio de antiquo feudo facta est; successio Comitatùs Augustæ per clausulam juris francorum regulari debet: ità enim in Comitatu Augustæ per antiqua privilegia Comes Matthæus succedere debebat. Si verò a Regibus novi feudi concessio facta est; & similiter per clausulam juris francorum successio Comitatùs Augustæ metiri debet: nam Comes Matthæus, per clausulam juris francorum, ut dictum est, suorum descendentium successionem ordinavit.

44 Et † pro eo, quod attinet ad primum (de quo in hac parte agendum est, nam de alio, quòd memorata privilegia novam concessionem præseferant, in sequenti parte) privilegia Comiti Matthæo concessa antiqui feudi restitutionem important, atque ex ea Comitis Matthæi descendentes succedere debent per clausulam juris francorum quoad omnes effectùs: id enim ostendit litera privilegii, quod concessit Rex Martinus junior Comiti Matthæo post delicti absolutionem, & postquam eidem C. Matthæo principalem restitutionem fecit *prout ejus Avus & Proavus Comitatum Augusta possederant*.

45 Et sanè † anno 1404. die 20. Octobris Comes Mattheus II. duo privilegia Regibus porrexit, ea scilicet, quæ Comitatus Augustæ confirmationem continebant, & quæ anno 1365. & 1373. sub expressa clausula juris francorum olim a Rege Federico II. Comiti Matthæo I. avo suo fuerant concessa. Hoc tamen est, quod Regibus exoravit, scilicet, quòd illorum confirmationem expetebat, ut per hæc verba Reges confirmant. *Et majestati nostra humiliter supplicavit, ut dictum privilegium Confirmationis de permutatione, traditione ac confirmatione, novà concessione ac donatione prædictis, facta ipsi quondam nobili Matthao per dictum Dominum Regem Federicum, & omnia & singula in ipso privilegio contenta, sibi tanquam vero nepoti dicti quondam nobilis Matthai, ejusque haredibus & successoribus suis in perpetuùm, juxta præfati privilegii continentiam & tenorem acceptare, ratificare & confirmare, ac de novò concedere & donare benigniter dignaremur.*

Quapropter Reges, inserendo (ut ex facto suppositum est) de verbo ad verbum prædicta privilegia de anno 1365. & 1373. eadem ipsa sub hujusmodi tenore ratificarunt. *Nos verò, ejus supplicatione clementer admissà & exauditâ, considerantes fidem puram & sinceram devotionem, quam idem nobilis Mattheus erga majestatem nostram gessit & gerit, grataque & accepta servitia per eum nostra serenitati præstita, & qua præstare poterit in futurum, dante Domino, meliora: volentes, ipsum, juxta sua & suorum merita, gratiis, beneficiis & retributionibus condignis remunerare, ac munera sibi & suis (meritis ipsius exigentibus) per nostros prædecessores clara memoria elargita con-*

confirmare; eidem nobili Matthao de Montecateno & ejus haredibus & successoribus suis in perpetuùm, confirmationem pradictam de permutatione, traditione, assignatione, & acceptatione & nova concessione pradistinctis ipsi quondam nobili Avo suo factam, ac privilegium praeinsertum, & omnia & singula in eodem privilegio contenta juxta dicti privilegii continentiam & tenorem, de benignitate regia, largitate munifica, & speciali gratia, ac ex certa nostra scientia, sub conditionibus, capitulis, clausulis, & reservationibus in dicto privilegio contentis, acceptamus, ratificamus, & pleno favore regio confirmamus, ac de novò concedimus & donamus.

Hoc ipsum antea rescripserat idem Rex Martinus per primum privilegium, quod Comiti Matthæo concesserat *anno* 1398. *die* 10. *Junii*, & quod continetur in capitulis, quæ a Rege Martino (maturâ totius Sacri Consilii deliberatione) fuere conscripta, in quibus legitur, *Chi la ditta regia Majestati si cuntenta e voli, chi lu prefatu Matteu di Muncata haja lu Cuntatu di Augusta, cu quilli conditioni, clausuli e raxiuni, cu li quali l'happi, tinni e possediu* sò Proavu ed Avu.

Et prioris hujus privilegii meminerat Rex ipse in quodam alio, quod favore Joannis de Paternione expeditum fuerat *die primo Julii ejusdem anni* 1398. *Cùmque noviter*, ait Rex, *nostram benignitatem regiam exercentes, nobili Matthao de Montecateno filio dicti quondam Guglielmi ad nostram fidelitatem redeunti, Comitatum Augusta, sicut & prout* per Avum & Proavum suum *extitit obtentum & possessum, restituerimus & concesserimus &c.*

Habetur etiam aliud privilegium, quod expeditum est favore ejusdem Comitis Matthæi *sub die* 25. *Februarii eodem anno* 1398. & quod confirmat principale istud privilegium contentum, ut dictum est, in memoratis capitulis. *Pro parte* (sunt verba capituli confirmatorii) *nobilis Matthai de Montecateno Comitis Augusta, fuit Majestati nostra noviter supplicatum, quòd, cùm in ejus reductione ad nostra obedientiam Majestatis, inter alia capitula per ipsum nobilem petita & per nos sibi confirmata, confirmaverimus eidem nobili, & de novò donaverimus gratiosè Comitatum Augusta pradictum cum omnibus juslitiis, rationibus, causis, proprietatibus, juribus, pertinentiis, feudis & terris suis, cum quibus* Proavus & Avus suus *habuerunt, tenuerunt & possederunt &c.*

Meminerat etiam Rex in alio privilegio Confirmationis exemptionis a quadam collecta, quod Comiti Matthæo largitus est *sub die* 23. *Martii* 1399. *Olim*, ait Rex, *tempore, quo nobilis Matthaus de Montecateno Comes Augusta unà cum nobili Joanne de Montecateno militi fratre suo, terram & castrum Leontini nostra restituit Majestati; inter alia, ipsi Matthao promisimus gratiosè, sibi in tota ejus vita collectam seu nostram regiam subventionem ex dicto suo Comitatu Augusta nostra Curia debitam, ex innata nobis*

bis clementia, dimittere, & relaxare. Et si forsan in futurùm apparuerit probatione legitimà, quondam nobiles Avum & Proavum dicti Matthæi Comitis dicti Comitatùs, *ex regia concessione Serenissimum divæ memoriæ Dominorum Regum successorum nostrorum, Comitatum ipsum liberum & exemptum a solutione coltæ seu regiæ subventionis habuisse &c.* Et inferiùs, ibi. *Harum serie injungimus & mandamus, quatenus eundem nobilem Comitem Matthæum, in tota ejus vita, aut terras & loca, vel vasallos sui prædicti Comitis Augustæ, super exactione nostra regia subventionis seu coltæ, impetere, abstringere seu molestare nullatenus præsumant, nec patiantur modo aliquo molestari. Et pro ipsius Comitis gratia uberiore, promittimus in nostra bona fide regia eidem, quòd si fortè in futurùm Comes ipse prædictus nobis legitimè demonstraverit*, dictos quondam Avum & Proavum ejus, *ex gratia regia, ad solutionem dictæ coltæ non esse obligatum; ipsius Comitis Matthæi in dicto Comitatu hæredes legitimos & successores, ab eodem onere solutionis coltæ, perpetuò solemni privilegio liberabimus, & faciemus effectuosiùs liberari.*

Insuper meminerat Rex in hoc alio privilegio, in quo eximitur Comes Matthæus a solutione debitorum quondam Comitis Guglielmi, & quod favore ejusdem Comitis Matthæi expeditum est anno 1400. die ultimo Martii. *Prout Avus & Proavus sui habuerunt, tenuerunt & possederunt, prout in quibusdam privilegio & capitulis sive opportunis literis per nostram Curiam inde factis, hæc & alia largiùs explicantur, nostraque regia fuerit intentio, dictum Comitatum eidem nobili Matthæo restituere, & restitutum confirmare &c.* Ac inferiùs, ibi: *Nunc verò ad humilem supplicationem ejusdem nobilis Matthæi, restitutionem dicti Comitatùs cum omnibus feudis, membris, territoriis, & juribus suis, cum quibus* dicti Avus & Proavus *ejus possidebant, liberum ab onere solutionis debitorum dicti Marchionis, per nos, ut præmittitur, factam, iterum & de novò acceptantes, ratificantes & pleno favore nostro regio confirmantes, & intentionem nostram, superiùs descriptam, videlicet, quòd Comes ipse habebat & possidebat Comitatum ipsum cum illis feudis, membris, territoriis & juribus, cum quibus* iidem sui Avus & Proavus *possidebant.*

46 Quæ omnia privilegia † confirmavit idem Rex Martinus in permutatione, quam fecit anno 1407. die 25. Junii cum Comite Matthæo II. de Comitatu Caltanissettæ cum Comitatu Augustæ. Ad cujus tenorem Comes Matthæus Regi Comitatum Augustæ eo modo relaxavit, quo ipse tenebat & sui antecessores, & potissimùm prout quondam magnificus Comes Matthæus de Montecateno avus suus Comitatum possederat: & Rex Comiti Matthæo Comitatum Caltanissettæ pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm assignavit.

47 Porrò ex prædictis † omnibus privilegiis clarè detegitur, Comitatum Augustæ tanquam feudum

dum antiquum fuisse Comiti Matthæo concessum, cùm verba omnia, quibus utitur Rex in memoratis privilegiis, puram tantùm restitutionem importent, & accessoriè nova concessio facta est. Et ne unquam posset de hujusmodi Regis voluntate dubitari; additum expresè videtur, quòd Comes Matthæus Comitatum possidere deberet uti possederunt ejus Proavus Comes Guglielmus Raymundus II. & Comes Matthæus I. ejus Avus, & sub eadem clausula juris francorum declarata per omnes effectùs, ut in insertis privilegiis annorum 1365. & 1373. continebatur.

48 Verùm † ab Adversario iterum allegatur, quòd ex clausula juris francorum contenta in recitatis privilegiis, non resultat masculorum prælatio in eadem linea & gradu tantùm existentium, & agnatorum remotiorum exclusio in concursu cum fœmina lineæ melioris, sed tantùm feudi individuitas ac primogenitura: quòdque ex ea fœminæ semper exclusæ, & tantùm in subsidiùm, nempe omnibus omnino masculis agnatis deficientibus, admissæ censeantur.

49 Atque † assumptum sustinere prætendit Adversarius nedum quia sic nostrates eâ tempestate clausulam juris francorum in Regno interpretabantur, ut in prima parte oppositum est; verùm etiam, quia ità eam clausulam interpretatus est Comes Guglielmus Raymundus IV. filius Comitis Matthæi II. & Gastonus ejus frater. Cùm enim Comes Matthæus II. legasset Gastono filio suo secundogenito Castrumnovum, quod locò Comitatùs Augustæ antiqui feudi subrogatus erat: cùmque hujusmodi legatum impugnasset Comes Guglielmus Raymundus IV. quia, uti primogenitus, ex pacto & providentia Principis, ac vigore antiquorum privilegiorum in Castro prædicto succedere debuerat; inter eosdem fratres quædam transactio inita est, in qua inter alia, pactum infrascriptum legitur, ex quo prætensa interpretatio desumitur. *Quòd si dictus magnificus Gastonus decederet sine filiis masculis legitimis & naturalibus de ejus corpore descendentibus, vel dicti ejus liberi usque in infinitùm sine filiis masculis legitimis & naturalibus; quòd dicta Baronia, Terra & Castrum Castrinovi, cum vasallis, jure & pertinentiis suis prędictis, revertatur & reverti debeat ad dictum magnificum Comitem Guglielmum Raymundum, & ad ejus hæredes & successores, & aggregetur Comitatui Caltanissettæ: ità quòd dictus magnificus Gastonus & prædicti ejus hæredes teneant dictam Baroniam Castrinovi ut feudum antiquum secundùm jura francorum, videlicet, quòd major natus aliis fratribus minoribus pręferatur, & filiis fęminis dicti Gastoni penitùs à successione prędicta exclusis: prout & quemadmodum dictus magnificus Comes Comitatum Caltanissettę detinet tanquam feudum antiquum subrogatum in locum Comitatùs Augustę. Quem Comitatum Caltanissettę idem magnificus Comes in casu,*

qua

quo ipse decederet sine filiis masculis legitimis & naturalibus, vel ejus filii sine liberis masculis legitimis & naturalibus usque ad infinitum; quòd eo casu prædictus Comitatus Caltanissettæ revertatur ad liberos masculos legitimos & naturales descendentes ex eodem magnifico Gastono per sexum masculinum, qui in eodem Comitatu vivant jure francorum, filiis fœminis ipsius magnifici Comitis seu suorum descendentium penitùs exclusis: quæ tantùm habeant in dicto Comitatu dotes de paragio, juxta Regni constitutiones.

50 Sed hujusmodi objectio † non est attendenda, quia quatenus pertinet ad id, quòd clausula juris francorum antiquitùs in feudi tantùm individuitate & primogenitura verificabatur, non autem in fœminarum successione in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs; propositio in casu nostro procedere non potest. Etenim, quidquid sit de concessionibus factis ante *Constit. Ut de successionibus* & *In aliquibus*, quæ publicatæ sunt anno 1221. & in quibus, ut placet Ill. de Drago, cadere posset controversia, si ex eis fœminæ nunquam successerunt: in concessionibus, quæ expeditæ sunt post dictas Constitutiones, & multò magis in iis, (ut sunt nostræ concessiones) quæ factæ sunt post annum 1285. quo conditum est *Capit. Si aliquem Regis Jacobi*, & ex quibus fœminæ jam successerunt, sustineri non potest assertio, quòd jus francorum, individuitatem tantùm & primogenituram importet, non autem fœminarum admissionem, deficientibus masculis in eadem linea & gradu: ut satis in prima præsentis discursùs parte probatum est.

Quatenus verò pertinet ad
aliud, quòd Comes Guglielmus
Raymundus IV. & Gastonus, cùm
in individuo de Comitatu Augustæ
loquuti sint, clausulam juris
francorum per fœminarum exclusionem
interpretati sunt, satis
† erronea videtur eorum inter- 51
pretatio. Quoniam inprimis anno
1424. quo id affirmatum est, clausula
juris francorum hujusmodi
interpretationis capax non erat:
eâ enim tempestate in defectu
masculorum ejusdem lineæ & gradùs,
fœminarum successionem admittebat,
uti defactò in nostro Comitatu
fœminæ successerunt. Neque
aliam clausula juris francorum
interpretationem admittere
posset, etiamsi ad tempus antiquissimum,
scilicet ad tempus
permutationis Augustæ cum Comitatu
insularum Melitæ & Gaudisii
relatio facta esset, quia in
Comitatu etiam eo tempore, licèt
antiquissimo, defactò fœminæ ad
successionem fuerunt admissæ, ut
supra probatum est.

Et neque unquam hoc ipsum, quòd nostra clausula fœminarum exclusionem importabat, iidem fratres affirmarunt. Quandoquidem in principio transactionis fratres dixerunt, quòd Comes Guglielmus Comitatum Caltanissettæ possidebat uti subrogatum locò Comitatùs Augustæ, & quòd erat feudum antiquum concessum per sacros Principes prædecesso-

ribus de Montecateno, in quo juxta formam concessionis vivebant jure francorum, videlicet, quòd major natu aliis fratribus minoribus præferretur. Sed de fœminarum exclusione ne verbum quidem ullum. Hæc sunt verba in narrativa transactionis. *Cùm dictum feudum Comitatùs Augustæ fuerit antiquum, & concessum per sacros Principes, magnificis de Montecateno prædecessoribus dicti Comitis in dicto Comitatu, in quo juxta formam concessionis dicti Comitatùs Augustę vivebant jure francorum, videlicet, quòd major natus aliis fratribus minoribus præferatur: & præfatus magnificus Comes Guglielmus Raymundus fuit & est primogenitus præfati magnifici quondam Comitis Matthæi, & per consequens ad eum tanquam ad primogenitum dicta Baronia Castrinovi spectare & pertinere debebat, & quòd tanquam feudum ex pacto & providentia Principis acquisitum, non potuit præfatus magnificus Comes Matthæus disponere de ipso, ipsum dimittendo secundogenito secundùm formam concessionis & investituræ prædicti Comitatùs.* Unde in hoc capitulo, etsì facta fuerit mentio juris francorum, non quidem affirmatur, quòd per illud fœminæ a Comitatùs successione excludebantur.

Quamvis autem deinde transigentes, cùm stabilire voluissent, quid agendum esset pro successione Castrinovi, quod fuit Gastono assignatum, eis placuerit per capitulum in contrariùm allegatum firmare, quòd in illius successione, ac etiam in ea Caltanissettæ servaretur jus francorum, & quòd fœminæ penitùs exclusæ remanerent; adhuc tamen non dixerunt, quod ex jure francorum antecedenter scripto fœminæ exclusæ remanebant: ibi enim nihil aliud importare dixerant jus francorum, quàm quòd major natu aliis fratribus minoribus præferri deberet. Unde manifestum est, quòd eorum mens & intentio fuit, quòd jus francorum servaretur cum illa tamen limitatione, quòd fœminæ ad successionem non admitterentur, non quia ex natura juris francorum earum exclusio sequeretur, sed quia ipsis ità placebat. En verba capituli. *Ità quòd dictus magnificus Gastonus & prædicti ejus hæredes teneant dictam Baroniam Castrinovi utì feudum antiquum secundùm jura francorum, videlicet, quòd major natus aliis fratribus minoribus præferatur, & filiis fœminis dicti Gastoni penitùs a successione prædicta exclusis.*

Profectò per assertionem, quòd jus francorum prælationem dabat primogenitis, oratio perfecta erat: exclusio verò fœminarum, tanquam conditio a contrahentibus observanda, subjuncta est, non tanquam effectus juris francorum, sed tanquam volita ab ipsis transigentibus. Et quanquam immediatè per continuatam orationem subjungant contrahentes. *Prout & quemadmodum dictus magnificus Comes Comitatum Caltanissettæ detinet tanquam feudum antiquum subrogatum in locum Comitatùs Augustę.* Quasi quòd etiam cum

cum exclusione fœminarum Comes Guglielmus per effectum juris francorum Caltanissettæ Comitatum possedisset; adhuc tamen hoc non ad interpretationem clausulæ referri debet, sed ad id tantùm, quòd Comitatum possidebat utì feudum antiquum & cum clausula juris francorum, eo modo, quo dictum erat in principio transactionis, ubi nulla penitùs fœminarum exclusio tanquam effectus juris francorum fuerat enunciata.

Quod adeò verum est; ut, cùm etiam in successione Comitatùs Caltanissettæ fœminas pariter excludere desiderassent contrahentes; id per illam pacti clausulam stipulati sunt, in qua dicitur, quòd mortuo Comite Guglielmo sine filiis masculis; *eo casu prędictus Comitatus Caltanissettę revertatur ad liberos masculos legitimos & naturales descendentes ex eodem magnifico Gastono per sexum masculinum, qui in eodem Comitatu vivant jure francorum, filiis fœminis ipsius magnifici Comitis seu suorum descendentium penitùs exclusis, quę tantùm habeant in dicto Comitatu dotes de paragio, juxta Regni constitutiones*. Si enim fœminarum exclusio esset effectus juris francorum, contrahentes ad illarum exclusionem hujusmodi pacto non indigerent.

Neque aliter res esse poterat, nec secus quisque nostrarum legum peritus judicabit: nam si in contrariùm adducta interpretatio procederet; absurdum illud evidentissimum resultaret, quòd contrahentes ignorassent vim illarum assertionum, quibus in prædicta transactione usi sunt. Nam quòd in Comitatu Augustæ ex clausula juris francorum fœminæ succedere debebant, nemo eorum poterat in dubium revocare, sive ex antiquissimis privilegiis, quæ deperdita sunt, & ad quorum tenorem Luchina successit, facienda illatio esset, sive ex privilegiis annorum 1365. & 1373. in quibus clausula juris francorum per fœminarum successionem declarata expresse legitur. Porro hujusmodi imperitia in tantis viris, & in magnatibus, qui doctissimos jurisconsultos consulere solent, non præsumenda: & proinde, ut omnis controversia cesset, si in declarationem clausulæ juris francorum exclusio fœminarum adjecta est; pro eo casu tantùm demandata videtur, quo masculi existerent in eadem linea & gradu, non autem ut agnati remotiores exclusis fœminis proximioribus, ad successionem admitterentur: ut satis in explanatione fideicommissi C. Matthæi I. probatum est.

Opponit tandem Adversarius,
† quod ex ipsamet Comitatùs restitutione, quæ continetur in capitulis emanatis sub die 10. Junii 1398. & in aliis privilegiis supra transcriptis, omnino consurgit fœminarum exclusio, quam prædicta transactio continet. Ibi enim dictum a Regibus fuit, quòd Comes Matthæus II. Comitatum Augustæ possidere deberet, prout habuit, tenuit & possedit ejus 52

Bb 2 Avus

Avus & Proavus. Hujusmodi autem relatio nedum ad antiqua privilegia facienda est, verùm etiam ad illorum dispositiones. Unde quia ipsius Comitis Matthæi II. Avus, nempe Comes Matthæus I. propriam fecit favore suorum agnatorum dispositionem, ut in secunda parte dictum est; etiam ex allegatis privilegiis concessis post delictum & post obitum C. Guglielmi Raymundi III, Dominus Dux Sancti Joannis, non autem Domina Cliens, manutentionem obtinere debet.

53 Sed hoc † etiam facilè confutatur. Præscindendo enim ab omnibus illis fortissimis juribus, quibus supra probatum est, Comitem Matthæum I. non fuisse nec Comitatùs nec formæ quæsitorem, unde quælibet ejus dispositio nullo pacto attendi debeat: præscindendo etiam, quòd ejus fideicommissum in præsenti successione fœminis omnino faveat, ut satis superque in eadem secunda parte probatum remansit: ac demum præscindendo quòd idem Comes Matthæus I. ab intestato decessit, & quòd ità quoad universum patrimonium successerunt omnes ejus filii, & quoad Comitatum solus Comes Guglielmus primogenitus jure proprio successit, adeout in præsenti judicio possessorio de eo dubitari non possit, cùm illud quoque veniat exequendum, quod per quasi quatuor seculorum cursum observatum est: præscindendo inquam ab hisce omnibus, hujusmodi relatio a Regibus facta est, non ad formam contentam in testamentis Proavi & Avi, sed ad illam, quæ in regiis concessionibus exprimitur.

Et quidem dixerunt † Reges, 54 Comitem Matthæum II. Comitatum habere debere, ut habuit, tenuit, & possedit ejus Avus & Proavus, non autem ut ipsi disposuerunt. Unde forma tantùm servanda venit, quæ in regiis privilegiis data est, non autem quæ in possessorum dispositionibus scripta videtur. Relatio inquam ad privilegia, non autem ad dispositiones facienda est: quia titulus cum quo & Comes Guglielmus Raymundus II. ejus Proavus, & Comes Matthæus I. ejus Avus Comitatum tenuerunt, & possederunt, omnino est ex regiis privilegiis. Ut enim in prima parte probatum est, tam Comes Guglielmus Raymundus I. quàm Comes Guglielmus Raymundus II. ab intestato decesserunt: unde & Comes Guglielmus Raymundus II. & Comes Matthæus I. ex regiis privilegiis successerunt. Quod adeò verum est; ut, cùm Comes Matthæus in sequelam supradictorum capitulorum, seu veriùs in sequelam supradictæ restitutionis (quæ dicto anno 1398. in capitulis facta est) formale privilegium anno 1404. a Regibus obtinuisset; in eo antiqua privilegia cum inserto tenore confirmantur, & ne verbum quidem minimum de possessorum dispositionibus, sed de privilegiis servandis mentio facta est.

Utcunque tamen se habeat res, etiamsi ad antecessorum dispositiones relatio pariter facta esset, non

non per hoc non confirmaretur, quòd succesſio Comitatùs per clauſulam juris francorum regulari debeat, ac quòd antiquitùs Patres noſtri eo modo clauſulam juris francorum interpretabantur, quo ipſa noſtra tempeſtate communiter a Siculis explicatur. Quoniam C. Antonius filius ſecundogenitus C. Matthæi II. qui ex regiis privilegiis, & ex aſſertis antecesſorum diſpoſitionibus jus ſuum metiebatur, ob mortem ſine filiis C. Guglielmi Raymundi IV. ejus fratris primogeniti ad Comitatùs ſucceſſionem unà cum ſuis deſcendentibus maribus & fœminis admiſſus eſt in tranſactione priſcis illis temporibus ſtipulata, nempe ſub anno 1466. non enim ità res adminiſtrata eſſet, ſi per clauſulam juris francorum ex antiquis inveſtituris ſuccedendum non eſſet, & ſi intellectus clauſulæ juris francorum is non fuiſſet, quod in defectu maſculorum ejuſdem lineæ & gradus fœminæ ad ſucceſſionem admitti deberent; ut fuſiùs ſuper ipſa tranſactione in ſequenti parte tractandum eſt.



DI-

DISCURSUS PRIMI
PARS QUINTA & ULTIMA.

De exequendis, in præsenti judicio possessorio & successione, fideicommisso Comitis Matthæi II. ex nova concessione disponendi facultatem habentis, & transactione stipulata sub anno 1466. & de observantia in familia usque ad ultimum Comitatùs possessorem: ac de instrumentorum qualitate, quæ in processu edita sunt.

SUMMARIUM.

Testamentum Comitis Matthæi II. & transactio anni 1466. fœminarum successionem per clausulam juris francorum & regularem primogenituram admittunt. n. 1.

Factum proponitur. n. 2.

Discursus a n. 3.

Comes Matthæus II. per regias concessiones fuit novus quæsitor Comitatùs Caltanissettæ, proindeque facultatem habuit disponendi. n. 4. & seq.

Concessio facta à Rege de feudo per sententiam devoluto, nova dicitur. n. 5.

Comes Matthæus II. in ejus testamento per clausulam juris francorum & regularem primogenituram succedendum esse mandavit. n. 6.

Confutantur objecta allegata pro agnatione. n. 7.

Error & falsa causa de jure non præsumitur in transactione, imò ex sola possibilitate in contrarium excluditur. n. 8.

Possessorium summariissimum merita rescissionis reiicit. n. 9.

Transactio, donec per tres conformes non rescindatur, semper exequi debet, & ad manutentionem obtinendam implicitum habet statum validitatis. n. 10.

Possessorium turbidas exceptiones ad petitorium reservat. n. 11.

Transactio inita per Comitem Antonium cum Comite Joanne Thoma de Montecateno cecidit super exequutione fideicommissi C. Matthæi II. n. 12.

Confirmatur assumptum ex pactis adjectis in transactione n. 13. & ex observantia ac declaratione successorum. n. 16.

Vocatis ad feudum masculis & fœminis in investitura, vel testamento; successio in Regno per clausulam juris francorum & regularem primogenituram defertur. n. 14.

Affertur interpretatio antiquæ clausulæ juris francorum. n. 15.

Observantia fideicommissa etiam dubia interpretatur. n. 17.

Actus unicus sufficit ad fundandam observantiam interpretativã. n. 18.

For-

In

In judicio possessorio venit manutenendus ille, qui se fundat in scripturis publicis & originalibus, non autem ille, qui utitur instrumentis, quorum fides vacillare videtur. n. 47.

Instrumentorum veritas & publicitas potiùs examinanda est in judicio ordinario, quàm in possessorio manutenenda. n. 48.

In judicio possessorio ille venit manutenendus, qui se fundat in fideicommisso vel testamento claro & inconcusso, reservatis juribus in judicio plenario seu petitorio illi, qui se fundat in fideicommisso turbido & intricato, & in testamento de quo dubitatur. n. 49.



Ltimus rerum status, a quo tandem præsentis possessoriæ contentionis pendet decisio, is esse videtur, quòd Comitatùs possessores disponendi facultatem in Comite Matthæo II. certò crediderunt: quòdque adeò illius fideicommisso standum esse contestati sunt; ut, pro eo exequendo ad solemnem transactionem descenderint. Atque ea transactio est anterioribus antiquis privilegiis repugnans: quoniam qui in anterioribus investituris cõtemplati erant, exclusi vel saltem postpositi remanserunt, atque ii admissi sunt, qui per fideicommissum Comitis Matthæi ad successionem invitabantur. Cùm autem utrobique
1 † fœminarum successio per clausulam juris francorum, cujus antiquus intellectus declaratur, caput extollat, fœminæ literaliter, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, ad successionem admissæ fuerint, atque punctũ præsentis controversiæ favore Dominæ Clientis decisum sit; propterea, quòd Dominæ Clienti, possessionis manutentio, etiam ex hujusmodi testamento & transactione concedi debeat, & quidem principalissimè, quia in judicio possessorio versamur, in dubium revocari non potest.

Itaque † anno 1423. obiir, ut 2
in facto relatum est, Comes Matthæus II. qui, post Patris delictum, obtinuerat privilegia restitutionis Comitatùs Augustæ. Hic, per suum testamentum & codicillos in Comitatu Caltanissettæ instituit Comitem Guglielmum Raymundum IV. filium suum primogenitum, sub expressa clausula juris francorum quoad omnes effectus; & in Baronia Castrinovi, Gastonum filium suum secundogenitum, quem etiam sub eadem clausula gravavit. Et post mortem Comitis Guglielmi sine filiis, substituit testator Gastonum, & subsequenter sub eadem expressa clausula juris francorum Joannem Comitem Adernionis & ejus descendentes, ut sunt Domina Cliens & Dominus Dux Sancti Joannis, qui in præsenti ad successionem aspirant.

Anno 1465. (jam mortuus erat Gastonus sine filiis) sine filiis legitimis & naturalibus mortuus est C. Guglielmus Raymundus IV. qui fuit etiam ex nova concessione Comes Augustæ. Atque hic hæredem sibi scripsit universalem quen-

quendam Antonellum filium suum naturalem, & hæredem particularem in Comitatu Caltanissettæ Antonium fratrem suum (olim in Ordine S. Dominici ascriptum) quem uti proximum agnatum voluit successorem: cum hoc tamen, quòd Antonellus hæres suus universalis de evictione non teneretur, quatenus in Antonio Comitatus non perseveraret, vel quatenus summa evinceretur ducatorum decem mille sexcentum, in quibus (uti hæreditariis Gastoni olim fratris sui secundogeniti) eundem Antonium jure proprio venientem, pariter instituit.

Acerrima tamen, propter hanc institutionem, ut in facto diximus, orta est contentio inter Comitem Antonium, uti hæredem scriptum Comitis Guglielmi Raymundi IV. ejus fratris (ex antiquis privilegiis ad successionem admissum, a Comite verò Matthæo II. ejus patre ad illam non invitatum) & Comitem Joannem Thomam de Montecateno Comitem Adernionis, filium Comitis Joannis, qui post mortem sine filiis legitimis & naturalibus ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi IV. & Gastoni, fuerat, ut dictum est, a Comite Matthæo II. sub expressa clausula juris francorum cum suis descendentibus substitutus.

Unde in M. R. C. super hujusmodi successione satis disceptatum est: sed interpositâ auctoritate Illustrissimi Domini D. Lupi Ximenii de Urrea, eâ tempestate in regno Proregis; transactio fuit inter Comitem Antonium, & Comitem Joannem Thomam conventa. Et per hanc transactionem, narrato quòd Comes Joannes Thomas Comitatùs successionem ex testamento & codicillis Comitis Matthæi prætendebat, & Comes Antonius ex aliis ejus juribus; eodem Domino Prorege interveniente, & qui regiam fidem promiserat, sponsalia inter Contissellam filiam Comitis Antonii, & Comitem Guglielmum Raymundum V. filium primogenitum Comitis Joannis Thomæ celebrata sunt, atque Comitatus Caltanissettæ Comiti Antonio (ut fortè antiquæ investituræ decreverant) suâ tamen durante vitâ, & post ejus mortem Comiti Joanni Thomę & ejus descendentibus masculis & fœminis inperpetuùm (ut mandaverat testamentum Comitis Matthæi) concessus est: iterum verò linea masculorum & fœminarum Comitis Antonii in eum casum ad successionem Comitatùs admissa fuit, quo linea Comitis Joannis Thomæ extingueretur.

Atque ità exequutum est: quoniam virtute hujusce transactionis, Comitatum Caltanissettæ habuit, donec vixit, Comes Antonius; & post ejus mortem, Comes Joannes Thomas, scilicet post annum 1479. quo Comes Antonius mortuus est: atque inde usque in hodiernum diem Comitatum, vigore ejusdem transactionis, habuerunt descendentes Comitis Joannis Thomæ, ut fuit Comes Ferdinandus ultimus moriens, & sunt, ut dictum est, Contendentes.

Ex qua facti serie, † idem est 3

Caltanissettę Comitatum ex agnatione prætendere, quàm in præsenti judicio contra transactionem venire, numerò super præsenti successione bona fide & intercedente verbo regio stipulatam: contra transactionem, inquam, quam in familia, quasi per trium seculorum intervallum, in interpretationem, declarationem & observantiam tàm antiquorum quàm recentiorum privilegiorum, omnes omninò successores, favore fœminarum, exequuti sunt.

Sed contra hanc manifestissimam veritatem plura opponit Adversarius, ex quibus advertit, quòd solemnissima relata transactio attendi non debeat: & quatenus attendi deberet, quòd in nihilum juribus Domini Contendentis officiat. Et quidem, ad tuendum assumptum insubsistentiæ transactionis, opponit primò, quòd transactio executionem non meretur si crediderunt transigentes eam exequendam esse, ut servaretur Comitis Matthæi II. fideicommissum; quasi quòd ille hujusmodi disponendi facultatem haberet, ubi ea concessa non fuerat. Privilegia enim, quæ Comiti Matthæo à Rege Martino impartita sunt, restitutionem dumtaxat antiqui Comitatùs, non autem novam ejusdem concessionem important: ut ipsemet Comes Matthæus declaravit in donatione, quam obtinuit à Guglielmo Raymundo ejus fratre *anno* 1421. omnium jurium donatori competentium super Comitatu Augustæ; nihil enim esset, quod Guglielmo Raymundo competere potuisset, si Comitatus tanquam feudum antiquum Comiti Matthæo restitutum non fuisset.

Meum hìc non est in controversiam deducere, an Comitatus uti feudum antiquum forsitan fuerit a Regibus Comiti Matthæo restitutum? nam, ex iis, quæ in præcedenti parte postremò allegata sunt, satis manifestum apparet, quòd ex antiquis privilegiis, per quæ proavus & avus Comitis Matthæi Comitatum possidebant, restitutio facta est: & quod ipsis attentis per clausulam juris francorum successio metienda sit.

4 Nihilominus Comes Matthæus (ut crediderunt transigentes) liberam † habuit facultatem disponendi de Comitatu per privilegium, quod ipsi impartitum est *anno* 1398. *die* 10. *Junii*. & quod continetur in capitulis, quæ inita sunt inter eum & Regem Martinum, atque in aliis privilegiis supra transcriptis, per quæ omnia Comiti Matthæo nova concessio facta est. Atque id Rex Martinus Comiti Matthæo concessisse videtur ex regula, quòd, † devoluto 5 ad Regem per sententiam feudo, si iterum ab eo concedatur, nova dici ea concessio debeat. Petrus de Gregor. *de concess. feud. p.* 5. *qu.* 3. *n.* 20. *&* 21. *Et alii passim.*

Neq; urget in contrarium, quod in privilegio dictum sit, quòd Comes Matthæus habeat Comitatum Augustæ sub illis conditionibus, clausulis & juribus, sub quibus illum habuit, tenuit & possedit avus & proavus suus, quasi quòd antiquum feudum restitueretur. Nam ea

ea verba non videntur antiqui feudi restitutionem importare: ea enim Rex hic retulit (ut Adversarii utar argumento) ad denotandum, quòd Augustæ Comitatus non concedebatur eo modo ampliatus, quo per Comitem Guglielmum Raymundum III. suum genitorem possidebatur; sed eo modo, quo Comes Guglielmus Raymundus II. & Comes Matthæus I. Comitatum absque ampliatione possidebant. Quod apertiùs idem Rex declaravit in confirmatione ejusdem privilegii facta *sub eodem anno* 1398. *die* 25. *Februarii*. In ea enim, per privilegium emanatum *sub die* 20. *praecedentis Junii*, affirmat Rex, Comitatum confirmatum fuisse, *& de novò gratiosè donatum cum omnibus juribus, pertinentiis, feudis & territoriis suis, quibus proavus & avus suus habuerunt, tenuerunt & possiderunt*. Et declaravit etiam Rex in alio privilegio (quod supra retulimus) concesso Joanni de Paternione *die* 1. *Julii dicti anni* 1398. in quo dicitur, Comiti Matthæo Comitatum fuisse concessum, *sicuti & prout per avum & proavum suum extitit obtentum & possessum*.

Eadem facultas liberè disponendi de Comitatu C. Matthæo tributa est per privilegium eidem novissimè concessum *sub die* 20. *Octobris* 1404. in eo enim etsi dicatur, antiqua privilegia de permutatione Augustæ cum inserto tenore confirmari sub clausula juris francorum in eis expressa; nihilominus, cùm id actum fuisse videatur postquàm Rex Comiti Matthæo Comitatum liberè concesserat, per eam formam in hoc privilegio confirmatam, Comes Matthæus ligatus non remansit: unde quia poterat ab ea forma recedere; rectè per propriam dispositionem videtur recessisse.

Et demum liberè potuisse Comitem Matthęum de Comitatu disponere, ex eo probatum remanet, quòd Comes Matthæus in permutatione Comitatùs Augustæ, Regi Augustæ Comitatum relaxavit sicut ipsemet & sui antecessores, & præsertim sicut Comes Matthæus avus suus possidebat. Rex verò Comitatum Caltanissettæ Comiti Matthæo assignavit *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*: quod idem importat, ac illum sub forma hæreditaria concessisse. Unde rectè dicimus, quòd Comes Matthæus liberè potuit disponere de Comitatu (prout defactò subsequenter disposuit) quòdque ejus ultima voluntas servari debeat. Hoc autem benè intellexit ac diligenter advertit Comes Guglielmus Raymundus IV. filius primogenitus & successor Comitis Matthæi II. ubi, postquàm paternum testamentum & codicillum executus est, *anno* 1444. *&* 1453. puræ dumtaxat permutationis confirmationem à Rege expostulavit, ut defacto obtinuit. Atque in utraque & permutatione & confirmatione æquè dicitur, Caltanissettæ concessionem factam fuisse Comiti Matthæo *suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*, proindeque in forma hæreditaria, & per quam de Comitatu di-

disponere potuit.

Præterea dici posset, quòd (etiamsi nova concessio facta non fuisset) fortasse crediderunt successores standum esse superiùs enunciatæ dispositioni Comitis Matthæi I. expresæ in donatione propter nuptias per eum facta sub *anno* 1367. Comiti Guglielmo Raymundo III. Quæ quidem dispositio, cùm in Comite Matthæo nepote disponendi libertatem non excludat; hoc sanè efficit, quòd Comes Matthæus liberè de Comitatu disponere potuerit.

Atque inde resultat, quòd allegatis juribus non resistat assertio, quòd C. Matthæus declaraverit se Comitatum Caltanissettæ ex antiquis privilegiis possedisse: ubi præsens fuit in donatione sibi facta per Guglielmum Raymundum ejus fratrem, hæredem universalem C. Guglielmi Raymundi III. communis genitoris, *anno* 1421. omnium jurium donatori competentium super Comitatu Augustæ; quasi quòd ex eo Comes Matthæus confessus fuerit, quòd Comitatus, tanquam feudum antiquum, sibi a Rege restitutus fuerit: & quod aliquando Guglielmus Raymundus esset in eo successurus, quod super feudo novo verificari non poterat. Quoniam in donatione de juribus prætensis super Comitatu Caltanissettæ, super quo, ut dictum est, a Rege nova forma data fuit, nulla penitùs mentio facta videtur: & quamvis in ea jura competentia super Comitatu Augustæ renunciata legantur, quæ trahi possent super Comitatu Caltanissettæ, pro quo fuerat ille permutatus; nihilominus hujusmodi jura, quæ consistere non poterant in futura successione Comitatùs Caltanissettæ, ut prætendit Adversarius, quia Comes Matthæus filios habebat, & per assertum testamentum Comitis Guglielmi Raymundi III. post mortem sine filiis Comitis Matthæi alii fuerant substituti, priusquàm Guglielmus Raymundus ultimogenitus vocatus esset, proindeque spes remotissima erat: atque etiam quia verba donationis ad assertam futuram successionem ex testamento Comitis Guglielmi trahi minimè possunt, sed consistere poterant in sola vita militia, non fuerunt a Comite Matthæo approbata. Quapropter si Comes Matthæus, ut a molestia licèt injusta se liberaret, genericam acceptavit donationem; non per hoc in ejus exceptionibus præjudicatus remansit: atque donatio in litis cessionem resoluta fuit.

Quod adeò verum est, ut Comes Matthæus ab ejus proposito, quòd de Comitatu liberè disponere poterat, non recessit, nec unquam recedere intellexit; cùm donationem fieri curavit à Guglielmo Raymundo fratre *mense Januario*: ubi ipse Comes Matthæus jam de Comitatu ad sui libitum disposuerat in testamento, quod præcedenti *mense Decembri* condiderat, atque subsequenter *anno* 1423. in codicillis confirmavit.

Opponit secundò Adversarius atque affirmat, quòd si ex acceptatione mox relatæ donationis Comes

mes Matthæus præjudicatus non remansit in eo, quod Comitatus tanquam feudum novum in eum advenerat; præjudicatus dici debet in alio, nempè in acceptatione fideicommissi instituti per Comitem Guglielmum Raymundum III. communem patrem, quod in donatione enunciatur: ubi approbatur titulus hæredis universalis in personam Guglielmi Raymundi fratris, ut in testamento continetur.

Verùm non ita judicandum est: cùm in donatione nequidem verbum ullum factum est de fideicommisso ordinato per Comitem Guglielmum Raymundum III. sed tantùm paternum testamentum in genere, & absque die & consule, atque institutio hæredis universalis in personam Guglielmi Raymundi enunciantur, quæ suaptè natura non sunt, ut unquam potuerint Comiti Matthæo præjudicium inferre, qui jam de Comitatu disposuerat, & nunquam a sua voluntate recessit; quinimò per eam donationem testamentum Comitis Guglielmi fuit impugnatum, ut in præcedenti hujus discursùs parte satis abundè probatum est.

Opponit tertiò Adversarius atque affirmat, quòd etiamsi Comes Matthæus primus Comitatus aut formæ quæsitor reputandus esset, & paternum fideicommissum haud approbasset; non per hoc transactio attendi deberet: quoniam in transactione nulla mentio facta est, quòd Comes Guglielmus Raymundus IV. primogenitus Comitis Matthæi, tanquam successor jure proprio, paternum testamentum impugnavit, atque a juramento petiit absolutionem, quod interposuerat in actis, in quibus testamentum & paternos codicillos approbaverat.

Sed contra hanc oppositionem prima responsio est, quòd satis de asserta testamenti impugnatione mentio facta dicitur, si ea sub generali narratione jurium omnium ad transigentes pertinentium continetur, ut infra probabitur. Et altera responsio est, quòd quamvis Comes Guglielmus per eandem absolutionem contra testamentum venire prætendisset; non tamen ex eo querelam instituere intendebat, quòd scilicet Comes Matthæus pater suus de Comitatu disponere non poterat, sed quia testator tanta fecerat legata, ut ipsemet Comes Guglielmus Raymundus hæres universalis in propria legitima præjudicatus remaneret: unde ex hoc disponendi facultas potiùs confirmata, quàm impugnata videtur.

Quod, ut magis elucescat, memorare necesse est, quòd Comes Matthæus II. *anno* 1421. *die* 17. *Decembris* suum condidit testamentum, quod fuit ab ejus filiis approbatum, & *anno* 1423. *die* 20. *Septembris* suos etiam fecit codicillos: atque in eis præsentes fuerunt Comes Guglielmus Raymundus & Gastonus, atque eos approbarunt, eamque approbationem dicto *anno* 1423. *die* 2. *Octobris*, mortuo patre, instante Comitissâ propriâ genitrice, cui quasi universa hæreditas medio ingentium lega-

legatorum relicta erat, confirmarunt.

Verùm eodem *anno* 1423. *die* 20. *Novembris* idem Comes Guglielmus Raymundus, de hac iterata testamenti & codicillorum approbatione, coram Reverendissimo Episcopo Agrigentino, in cujus diœcesi Caltanissetta sita videtur, conquæstus est: & juramenti rigor (si voluntatem Episcopi attendas) per absolutionem Caltanissettensi Provicario delegatã, fuit temperatus. In precibus verò, quæ Reverendissimo Episcopo oblatæ sunt, nullum quidem verbum factum est de carentia facultatis in Comite Matthæo, nec de antiquis privilegiis, ex quibus Comes Guglielmus tanquam primogenitus succedere debebat; sed solùm dicitur, quòd Comes Matthæus testamenti voluit approbationem, ut Comitem Guglielmum ejus hæredem universalem in legitima fraudaret: & quòd per memorata relicta, tantum sibi non remanebat, quantum esset sufficiens ad ineundum militare servitium, & quantum opus esset pro alenda ac sustentanda familia. Nunquam autem Comes Guglielmus affirmavit, quòd ad legata non tenebatur, quia jure proprio & independenter a paterno testamento successerat: ut dicitur in literis. *Mortuo autem* (sunt verba delegationis) *præfato magnifico Comite Matthæo ejus reverendo genitore: eadem magnifica Comitissa commorans in Castro Caltanissettæ, & quasi Domina omnium bonorum tam feudalium quàm burgensaticorum, more solito, prout in vita quondam magnifici ejus viri, mandando, faciebat & dicebat, ac consequendo & habendo omnes fructus, redditus & proventus dicti Comitatus, & omnium aliorum bonorum: & tenens dictum magnificum hæredem & alios magnificos ejus fratres (sub ejus cura & gubernatione) dictos ejus filios, prout & quemadmodum in vita quondam magnifici Comitis prædicti, eos tenebat, præcipiebat & eis mandabat: attendens ex eisdem ultimis voluntatibus quondam magnifici ejus viri, consequi & habere plurima legata, emolumenta & utilitates excessivas, consulta per aliquos jurisperitos, quòd dictus quondam magnificus in præjudicium sui hæredis non poterat, nec de jure potuit tot legata, tot gravamina relinquere*, & dictum ejus filium hæredem in legitima fraudare, *nisi quòd ipse magnificus hæres ratificaret post mortem patris voluntates prædictas, & juraverit non contravenire; requisivit eundem magnificum hæredem, ut faceret sibi confirmationem ultimarum voluntatum prædictarum, quòd magnificus hæres Guglielmus Raymundus inconsultè, non habens consilium cum jurisperitis, nec aliis quærentibus suum augumentum neque honorem, commorans in Castro Caltanissettæ (ubi cessabat sapientum & jurisperitorum peritia) illusus, non advertens, quòd ex dicta confirmatione nimium erat læsus, & maximum sibi præjudicium & successoribus in dicto Comitatu generabatur, nec habens notitiam, (nec fuit certioratus de dispositione & ultimis voluntatibus quondam magnifici, quia servabant lugubria, & nun-*

& nunquam viderat copias testamenti nec codicillorum, imò ignorabat quid esset in eis) fuit inductus ad ratificandum, confirmandum & acceptandum dictas ultimas paternas voluntates, & cum juramento firmandum. Et hoc ad instantiam, petitionem, blandimenta & requisitionem dicta magnifica ejus: & fieri fecit sibi dictam confirmationem eadem magnifica ab eodem magnifico, prout voluit, in grave prajudicium & lesionem manifestissimam dicti magnifici Comitis Guglielmi Raymundi, ejus familia, Comitatùs & successorum, ac etiam Domini Regis: quoniam si dicta onera in suo robore permanerent; idem Comes in servitiis regiis minimè posset supplere, nisi aliquod venderet & alienaret de membris dicti Comitatùs. Et apparet manifestè ex testamento & codicillis dicti quondam magnifici Comitis. Et nullo modo posset regia majestati servire, prout alii magnates faciunt: quinimò teneretur aliquid vendere de Comitatu, ut supra. Ex quibus testamento & ratificatione ultimò locò factà (in quibus omnibus idem magnificus juravit, quòd maximum prajudicium eidem Comiti generatur) adeòque, obstante dicto sacramento, non posset uti jure suo, & disgravari ab intolerabilibus legatis & dispositionibus paternis, nisi absolutus juramentis &c.

Cœterùm, etiam quòd hujusmodi literæ conquæstum adversus factas approbationes continerent; Comes Guglielmus nec fuit a juramento absolutus, nec aliquod judicium contra testamentum & paternos codicillos videtur instituisse: & sic testamenti & codicillorum approbatio in suo robore permansit.

Opponit quartò Adversarius atque affirmat, quòd transactio executionem non meretur, si per eam Comitis Matthæi fideicommissum (etiamsi ille primus quæsitor reputandus esset, & ejus testamentum impugnatum non fuisset) veluti regulare, transigentes exequuti sunt, quando est agnatitium: dici enim potest, quòd Comitis Matthæi II. fideicommissum regulare non sit, & cum clausula juris francorum ordinatum, sed quod sit agnatitium; quia testator perpetuam masculis prælationem concessit, plures fecit translineationes ad masculum inveniendum: & tandem voluit, quòd ille, ad quem ejus hæreditas pervenisset, vocaretur de cognomine, & deferret arma domùs de Montecateno.

Verùm, licèt omnes adnotatæ circumstantiæ in fideicommisso concurrant; non per hoc illud regulare non confirmatur. Nam (omissis iis, quæ superiùs pro fideicommisso Comitis Matthæi I. latiùs scripta sunt, & iis etiam inferiùs pro successione Statùs & Principatus Paternionis allegandis, quæ hic adamussim repetita censeantur) noster testator † tam in 6
linea primi instituti, quàm omnium singillatim substitutorum, clausulam juris francorum in fine capituli per modum regulæ expressè subjunxit, quoad omnes effectus explicavit, & indefinitam masculis prælationem neque expressè

presſè neque tacitè conceſſit. Quapropter maſculorum prælationem in eadem tantùm linea & gradu videtur conceſſiſſe: & maſculum ad eum finem quæſivit; ut in totum lineâ tam maſculorum quàm fœminarum primi inſtituti & ſubſtitutorum evacuatâ, in ingreſſu locus fieret ſucceſſioni ſequentis ſubſtituti: quem maſculum ad regulas primogenituræ deſideravit. Atque etiam cùm fœminarum admiſſionem (ex præcedentibus clauſulis conceſſam) cogitaverit; nedum ex inſtituto & ſubſtitutis procreandarum, verùm pariter admiſſionem propriæ filiæ Beatricis, quam poſtremò in caſu extinctionis omnium linearum præcedenter admiſsarum ad ſucceſſionem invitaverat: & quòd illæ nuptui traditæ, in alienam familiam tranſire debuiſsent; onus injunxit illis, nempe hujuſmodi fœminarum viris, fictam aſsumendi, conſervandive agnationem.

Jam verò, ut clariùs mens diſponentis manifeſtetur, verba teſtatoris, quibus allegatum fideicommiſsum compoſitum eſt, hìc neceſsarium exiſtimo iterum ad aſsumpti confirmationem in medium afferre. Et ſanè prima ſubſtitutio favore Gaſtoni filii ſecundogeniti, hoc modo concepta eſt. *Et ſi dictus magnificus Dominus Guglielmus Raymundus, ejuſdem magnifici teſtatoris hæres, mori contigerit ſine filiis maſculis legitimis & naturalibus de ſuo corpore legitimè deſcendentibus, aut ipſius filii & filiorum filii in infinitùm; tunc & eo caſu inſtituit & ſubſtituit hæredem univerſalem magnificum virum Gaſtonum de Montecateno ejuſdem magnifici teſtatoris & dictæ magnificæ ejus uxoris filium legitimum & naturalem, & filios legitimos & naturales ejuſdem magnifici Gaſtoni ex ſuo corpore deſcendentes: adeout in ſucceſſione prædicta ordo ſervetur genituræ, ut omnibus præferatur primogenitus.*

Secunda ſubſtitutio favore poſthumi vel poſthumorum, in eventum mortis ſine filiis maſculis dicti Gaſtoni, immediatè ſub hujuſmodi tenore explicata eſt. *Et ſi dictus Gaſtonus deceſſerit ſine filiis maſculis legitimis & naturalibus de ſuo corpore deſcendentibus, & ejus filii & filiorum filii in infinitùm; tunc ſubſtituit hæredem poſthumum filium ex ſe naſciturum, ſi quem habere contigerit: & ſi duos, tunc primogenitum: quo deficiente, ſecundogenitus ſuccedat. Et ſi primogenitus poſthumus aut ſecundogenitus non ſupereſſet, aut ſupereſſent; tunc ſubſtituit & inſtituit magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno ejuſdem teſtatoris fratrem chariſſimum, & ipſius fratris filios maſculos legitimos & naturales: ut primogenitus præferatur omnibus aliis in ſucceſſione prædicta, & maſculus fœminæ.*

Ità etiam omnes aliæ ſequentes ſubſtitutiones conceptæ ſunt. *Et ſi dictus Dominus Guglielmus Raymundus filius teſtatoris decederet, non ſuperſtite aliquo filio maſculo legitimo & naturali ſuperſtite ex ſe, nec dicto Gaſtono, aut ejus filiis legitimis & naturalibus maſculis, aut non ſuperſtite dicto magnifico Do-*

Domino Guglielmo Raymundo ipsius testatoris fratre, nec suis filiis masculis legitimis & naturalibus; eo casu substituit & haeredem fecit magnificum Dominum Petrum de Montecateno patruum ipsius magnifici testatoris, & ipsius magnifici Domini Petri filios legitimos & naturales: & in casu quò non superessent praefatus Dominus Petrus, aut ejus filii legitimi & naturales; tunc substituit & haeredem fecit magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno consanguineum ipsius magnifici testatoris, Dominum Aytonae & Mechinense, & ipsius filios masculos legitimos & naturales: & si dictus magnificus Dominus Guglielmus Raymundus, aut ejus filii non superessent; tunc instituit & haeredem fecit magnificum Dominum Petrum de Montecateno ipsius Domini Guglielmi Raymundi fratrem, & ipsius Domini Petri filios legitimos & naturales: & omnibus supra nominatis, aut eorum filiis masculis legitimis & naturalibus, non superviventibus; tunc instituit, substituit & haeredem fecit magnificum Joannem de Montecateno fratrem charissimum ipsius magnifici testatoris, & ipsius Domini Joannis filios legitimos & naturales: intelligendo semper, ut in dicta successione vivatur jure francorum, ut videlicet, primogenitus masculus aliis & foeminae praeferatur.

Denique Beatricem filiam ejusque descendentes modo infrascripto vocavit. *Et si (quòd absit) omnes decederent sine filiis masculis legitimis & naturalibus; tunc instituit, substituit & haeredem fecit magnificam Dominam Beatricem ipsius testatoris filiam legitimam & naturalem, & ipsius Dominae Beatricis filios legitimos & naturales: & voluit & mandavit ipse magnificus testator, quòd ille, ad quem pervenerit ejus haereditas, vocetur de cognomine de Montecateno, & deferat arma domûs de Montecateno, sine aliquo signo mixto in dictis armis.*

Advertit † tamen peculiariter Adversarius, quòd in prima substitutione, nempe in ea, quae facta est favore Gastoni secundogeniti, id tantùm appositum est, quòd in successione *ordo geniturae servetur*, quòdque omnibus *praeferatur primogenitus*: non autem subjunctum est, *quòd masculus foeminae praeferatur*, nec adjectum est, *quòd vivant jure francorum*. Unde quia versamur in eadem substitutione, concludit, quòd cùm contendentes a Comite Guglielmo Raymundo IV. primo instituto non descendant, sed a Joanne (quasi quòd Joannes locò Gastoni per Comitis Matthaei codicillos fuerit subrogatus) & cùm in Gastoni substitutione, primogenitura tantùm desideretur, non autem successio per clausulam juris francorum; ex desiderio masculorum, quod in conditionalibus exprimitur, fideicommissum agnatitium judicandum est. 7

Parum autem subsistens videtur replicatio. Nam, praescindendo quòd in linea Joannis (ut dicam inferiùs) expressa juris francorum clausula quoad omnes effectus adjecta est, & in ipsa versamur, ex verbis *servetur genitura*, & ex aliis in ultima substitutione adnotatis, ubi per modum regulae pro univer-

sa successione (ut mox exponam) clausula juris francorum adjecta est, regulare primogenium satis ad evidentiam consurgit.

Secundò, regularis primogenitura etiam consurgit ex eo, quòd in fine omnium substitutionum, ut supra dictum est, clausula juris francorum per modum regulæ adscripta fuit. *Intelligendo semper*, inquit testator, *ut in dicta successione vivatur jure francorum: ut videlicet, primogenitus masculus aliis & fœmina præferatur*.

Tertiò, primogenium regulare ex hoc confirmatur, quòd cùm Comes Matthæus in codicillo exprimere vellet eos, quos in testamento instituerat suos descendentes; tam masculos quàm fœminas instituisse & substituisse testatur. Non enim eos exprimit sub denominatione masculorum tantùm, sed sub denominatione descentium, quæ masculos & fœminas comprehendit. Dicitur enim in codicillo. *Quòd in casu, quo* omnes sui descendentes, *& etiam Dominus Guglielmus Raymundus frater præfati testatoris non extarent &c.*

Et demum regularem successionem per clausulam juris francorum fuisse a nostro testatore demandatam, indubitanter concluditur ex eo, quòd in codicillis, locò Guglielmi Raymundi, & post mortem Gastoni primò substituti, fuit omninò ac sine ulla controversia subrogatus Joannes: in cujus substitutione, & in ea suorum descendentium, qui sub denominatione *filiorum* vocati sunt, expresfsè dictum est, quòd servetur jus francorum, videlicet, quòd major natu minoribus, & masculus fœminis præferatur. *Tunc instituit* (sunt verba codicilli) *substituit & hæredem fecit magnificum Dominum Joannem de Montecateno fratrem charissimum ipsius magnifici testatoris, & ipsius Domini Joannis filios legitimos & naturales: intelligendo semper, ut in dicta successione vivatur jure francorum, ut videlicet, primogenitus masculus aliis & fæminæ præferatur*.

Si dicere non licebit, quòd etiamsi attendi deberet substitutio facta Gastono, fœminæ pariter per clausulam juris francorum essent admittendæ: cùm etiam omnes Gastoni filii cùm masculi tùm fœminæ, ut in substitutione filiorum Joannis & in aliis servatum est, fuerint ad successionem invitati per verba superiùs transcripta: *eo casu instituit & substituit hæredem universalem magnificum virum Gastonum de Montecateno ejusdem magnifici testatoris & dictæ magnificæ ejus uxoris filium legitimum & naturalem, & filios legitimos & naturales ejusdem magnifici Gastoni ex suo corpore descendentes*: verbum enim *filios*, masculos includit & fœminas, & quia subjunctum est, *adeout in successione prædicta ordo servetur genituræ, ut omnibus præferatur primogenitus*; regularis primogenitura, ut dictum est, instituta videtur.

Tandem verò, ad suum primum assumptum sustinendum, opponit Adversarius atque affimat, quòd quamvis Comes Matthæus II. primus fuisset Comitatùs acquisitor, fuis-

fuisset etiam narrata in transactione sui testamenti impugnatio, atque fideicommissum esset regulare; adhuc tamen transactio prædicta anni 1466. attendenda non est, quia in ea nulla videtur facta mentio antecedentis transactionis stipulatæ *sub anno* 1424. in qua cùm a successione Comitatùs Caltanissettæ fœminæ exclusæ sint; nulli dubium, quòd si illam transigentes præ oculis habuissent, fœminis successionem non permisissent: adeout si secus actum fuerit, ex errore contrahentes transactionem stipulati sunt.

Hujusmodi assertio impugnatur ex pluribus: & quidem primò, quia transactio super successione Castrinovi facta est, non autem super successione Comitatùs Caltanissettæ, & per eam approbatum fuit testamentum Comitis Matthæi; qui de Castronovo tanquam de re propria disposuit, & jus francorum esse servandum mandavit: dictum enim in ea fuit, quòd Castrumnovum erat de membris Comitatùs Augustæ, & quòd Comitatus Augustæ erat feudum antiquum, & a prædecessoribus de Montecateno possessum, vigore antiquarum investiturarum, quæ a serenissimis Retroregibus fuerant concessæ cum clausula juris francorum; ita quòd major natu minori præferatur: proindeque in Castronovo succedere debebat Comes Guglielmus jure proprio uti primogenitus, non autem ex providentia & testamento Comitis Matthæi sui genitoris, qui Castrumnovum Gastono relinquere non poterat; & nihilominus Comitis Matthæi dispositio quoad Castrumnovum, per eandem transactionem, ad unguem observata videtur, quia Castrumnovum penès Gastonum conservatum est.

Profectò, Comes Matthæus in suo testamento, quod condidit *anno* 1421. filium suum Gastonum instituerat in illis florenis auri quindecim mille, quæ sibi a Rege debebantur ex causa permutationis Comitatùs Augustæ cum Comitatu Caltanissettæ: cum hoc tamen, quòd cum iisdem pecuniis, exactæ quòd essent vel a Rege vel ab hærede universali, (quatenus sibi Castrum Cammaratæ in permutatione promissum, a Rege assignatum non fuisset) feudum aliquod emi deberet vel Baronia; quam Gastonus possidere deberet tanquam feudum antiquum & non novum, & in eo succedere ejus filii & filiorum filii in infinitùm, & in eorum defectu, Comes Guglielmus suus primogenitus & hæres universalis, ejusque filii & filiorum filii in infinitùm: ita quòd primogenitus & masculus fœminæ præferretur.

Cùm autem Comes Matthæus *anno* 1423. *die* 12. *Aprilis* obtinuerit a serenissimo Rege Alphonso Castrumnovum, in cujus pretio compensatos habuit florenos quindecim mille, in quibus Gastonum hæredem scripserat; propterea *eodem anno* 1423. *die* 20. *Septembris*, per suos codicillos, locò eorundem flor. 15000. & aliorum, quæ in testamento reliquerat, Castrumnovum Gastono reliquit.

Voluit ultra testator, quòd Comes Guglielmus Raymundus, cuidam Joanni de Abbatellis (apud quem Castrumnovum oppignoraverat) solvere deberet florenorum quatuor mille, ad rationem flor. mille quolibet anno; qui etiam debetent apud Comitissam suam uxorem conservari, ut luitio post annos quatuor indubitanter effectum haberet. Et tandem onus injunxit Gastono, ut restitueret de hujusce flor. quatuor mille, Comiti Guglielmo fratri flor. duos mille infra annos octo, numerandos a die quò Gastonus ipse Castrinovi possessionem adipisceretur.

Jam verò, si super Castronovo transactio cecidit, & Castrumnovum fuit Gastono, juxta patris votum, assignatum, nihilo alio immutato, nisi quoad flor. duos mille in codicillo contentos Comes Guglielmus obstrictus non esset; (quinimò fuerunt illi expresè Comiti Guglielmo a Gastono donati) dici rectè debet, quòd super successione Comitatùs Caltanissettæ nulla quæstio, nullave controversia fuit examinata: quinimmo eò ipsò, quòd id quòd pater mandaverat, filii executi sunt; in Comite Matthæo libera de Comitatu Caltanissettæ disponendi facultas confirmata est; quidquid sit an ad placitum transigentium in transactione affirmetur, quòd Comes Guglielmus favore Gastoni fratris se voluerit reddere liberalem.

Impugnatur secundò, quia licèt incidenter per transactionem a successione Comitatùs Caltanissettæ fœminæ exclusæ fuerint; id nihilominus a fratribus memoratis (etiam quoad Castrumnovum) nullo jure fieri potuit, quia in eis potestas deficiebat: eam enim nec uti primi acquisitores habebant, neque liberè a Comite Matthæo eorum genitore in Comitatu Caltanissettæ instituti respectivè vel substituti videbantur: quinimò sub expressa clausula juris francorum fuerant ad successionem admissi, atque eam dispositionem approbaverant, a juramento ipsorum aliquis absolutus non fuerat: & successionem Comitatus Caltanissettæ, tanquam subrogati locò Comitatùs Augustæ, in principio transactionis, a clausula juris francorum esse regulandam per omnes effectùs declarata, confirmaverant.

Tertiò, impugnatur assertio, quia exclusio fœminarum in successione tam Baroniæ Castrinovi quàm Comitatùs Caltanissettæ, non concepta est indefinitè, sed masculis existentibus in eadem linea & gradu: ipsa quidem, ut ab Adversario prætenditur, in declarationem clausulæ juris francorum adjecta est, & proinde limitatè venit intelligenda: ut in præcedenti hujus discursùs parte fuit examinatum.

Atque demum impugnatur assertio, quia de transactione stipulata *sub anno* 1424. mentio facta dicitur si Comes Antonius ex pluribus Comitis Guglielmi Raymundi fratris sui successionem prætendebat: etenim sub generali jurium complexu, per quæ Comes Antonius dicitur in transa-

ctione

ctione successionem prætendisse; inter alia jus, quod in ejus favorem ex prædicta transactione resultabat, debuit omninò examinari. Ut enim dicatur, actum ex errore processisse; non sufficit affirmare, quòd in individuo de aliquo jure facta mentio non sit, sed opus est ut detegatur, quòd ex aliquo jure individuali moti fuerint contrahentes, & quòd super altero ne quidem verbum fecerint. Error
8 equidem † & falsa causa de jure non præsumitur: atque non sufficit ut allegetur, sed debet plenè & concludenter probari; imò ex sola possibilitate in contrarium, omninò excluditur: prout in præcisis terminis firmat Urceol. *de transact. quæst. 96. a n. 5. ad* 20.

Præmissa verò ad exuberantiam dicta sunt: cùm licitum non sit Adversario in præsenti judicio possessorio summariissimo, replicando, quid dicere adversùs transactionem bona fide factam, & per trium seculorum spatium in fami-
9 lia observatam: cùm † ita transactio rescissa prætenderetur, quòd præsens judicium satis abhorret, in quo merita rescissionis examinari non permittitur.

10 Et sanè † donec per tres conformes prætensa rescissio non declaretur; transactio semper observanda est: ipsa quidem, ad manutentionem obtinendam, implicitum habet statum validitatis. Rota *coram* Merlino *decis.* 767. *n.* 1. *&* 2. Rota *p.* 6. *rec. decis.* 80. *n.* 8. *&* 9. Urceol. *de transact. quæst.* 70. *a n.* 1. *n.* 4. *&* *n.* 33. *& seq.*

Quòd facilè suadetur, quia † possessorium exceptiones turbidas non patitur, sed eas ad petitorium reservat. Cammarat. *tom.* 2. *resp.* 2. *n.* 8. *&* 9. Posth. *de manuten. obser.* 42. *n.* 44. *& seq.* *Nostrates passim.* 11

Ut autem alterum sustineatur assumptum, in quo firmatum est, quòd transactio etiamsi attendi deberet, Domino Contendenti non noceat, dicit Adversarius; quòd ex transactione potiùs resultat agnitio successionis, ex antiquis investituris & antecessorum dispositionibus, quàm exequutio fideicommissi Comitis Matthæi: cùm ad successionem admittatur Comes Antonius, qui ex illis successionem prætendebat, non verò ex dispositione Comitis Matthæi patris sui, per quem ad Comitatus successionem invitatus non fuerat: & licèt post ejus mortem ad successionem admissus videatur Comes Joannes Thomas ejusque descendentes, non autem descendentes Comitis Antonii, qui post extinctos omnes descendentes Comitis Joannis Thomæ invitati sunt; hoc tamen exequutionem antiquorum privilegiorum pariter importat, & dispositionem antecessorum: quia tantùm descendentes Comitis Antonii postpositi sunt favore descendentium Comitis Joannis Thomæ, eamque postpositionem emit Comes Joannes Thomas pretio flor. 12000. ad quos teneri voluit favore filii masculi fortè ex Comite Antonio nasciturì.

Verùm † objectio est insubsistens: præscindendo enim quòd 12

ex antiquis privilegiis, & antecessorum dispositionibus (ut supra sæpiùs dictum est, & infra replicabitur) regularis successio cum clausula juris francorum demandata fuit. Cùm objectum fundatum videatur in successione Comitis Antonii, qui jus suum metiebatur ex antiquis investituris & antecessorum dispositionibus, in concursu cum Comite Joanne Thoma, qui suam intentionem fundabat in testamento Comitis Matthæi, removetur ex eo, quòd quamvis negari non possit, quòd Comiti Antonio fuerit concessa prælatio in concursu cum Comite Joanne Thoma; non per hoc jura Comitis Antonii fuerunt reputata superiora juribus Comitis Joannis Thomæ: cùm enim in hoc controversia sisteret, quòd, si privilegia Comiti Matthæo II. concessa, antiquam importarent Comitatùs restitutionem, Comes Antonius succedere debuisset: si verò novam concessionem, Comes Joannes Thomas ad successionem invitatus videretur; eo vehementiùs jura Comitis Antonii judicata sunt inferiora juribus Comitis Joannis Thomæ, quò magis Comiti Joanni Thomæ & ejus descendentibus per transactionem, cum exclusione Comitis Antonii suorumque descendentium, datum videtur.

13 Jam verò † si de toto quoad totum, pacta, quæ in transactione loguntur, magis favent Comiti Joanni Thomæ, quàm Comiti Antonio; consequens est, quòd per universum transactionis tenorem jura Comitis Joannis Thomæ & ejus descendentium extollantur, non autem Comitis Antonii: adeo, ut non quidem antiquæ investituræ, sed fideicommissum Comitis Matthæi executioni tradatur.

Primum igitur pactum, quod ad assumptum probandum in medium affertur, est, quòd Comiti Antonio ad vitæ decursum tantùm possessio Comitatùs conceditur: & eo mortuo vel cum filiis, vel absque filiis; expresè dicitur, quòd Comitatus ad Comitem Joannem Thomam, & ejus filios masculos & fœminas perveniat. *Item* (ajunt paciscentes) *è convenutu ed accordatu, chi murendu lu dittu magnificu Misser Antoni quandocunque cum filiis, vel sine; la ditta Terra e Castellu di Caltanissetta sia di lu dittu Illustri Mastro Justitieri, soi fighi e descendenti masculi e fimmini in perpetuùm.*

Secundum pactum est, quòd, in casu mortis sine filiis Comitis Guglielmi Raymundi (qui tunc recens sponsus erat) filii Comitis Joannis Thomæ, licèt adhuc viveret Contissella sponsa, & ultra Contissellam, alter filius Comitis Antonii, aliæve filiæ fœminæ ipsius Comitis Antonii; ad successionem post mortem Comitis Antonii (cui Comitatus vitâ durante superiùs relaxatus erat) non admittitur filius masculus Comitis Antonii, neque aliæ istius filiæ, si forsan adessent, sed ipsemet Comes Joannes Thomas & ejus filii: & Contissellæ nonnisi dotes de paragio assignantur. *Si verò* (subdunt paciscentes) *contrattu lu matrimoniu*

e con-

e consumatu, murissi lu fighiu di lu dittu illustri Mastru Justitieri (idest Comitis Joannis Thomæ) *viventi la fighia di lu magnificu Misser Antoni; eo casu la ditta Terra e Castellu sia di lo illustri Mastru Justitieri e soi fighi post mortem di lu predittu Signur Misser Antoni: e ditto casu la fighia di lu magnificu Misser Antoni sia maritata con doti di paragiu di unzi* 800. suprasistendu fighiu masculu di lu dittu Misser Antoni: *si non existeret; eo casu baja in doti di paragiu florini* 8000. *dummodo chi una tantùm di li fighi di lu dittu Misser Antoni sia maritata.*

Tertium pactum simile præcedenti est, quòd in casu nativitatis filii masculi ex quolibet matrimonio per Comitem Antonium procreandi; filius masculus prædictus ad successionem non admittitur, sed Comitatus in Comite Joanne Thoma & ejus descendentibus confirmatur. *Item è di pattu, chi si di lu dittu magnificu Misser Antoni e sua legitima mughieri presenti oy futura, naxissi fighiu masculu; eo casu lu dittu fighiu masculu diggia haviri e consequiri ducati dechimila e seicentu (cuntandu lu ducatu a dechi gigliati per ducatu) di lu prezzu di Castrunovu, chi foru di Misser Gastuni: ed ultra quilli diggia lu dittu fighiu masculu di Misser Antoni haviri e consequiri da lu dittu illustri Mastru Justitieri e soi fighi, da pagarsi per ipsu e soi fighi a lu fighiu masculu di lu dittu Misser Antoni infra mesi sei poi di la morti di lu dittu Misser Antoni, ed havuta la corporali possessioni di la ditta Terra e Castellu di Caltanissetta, florini dudici mila in la munita di Sicilia. E casu chi infra lu dittu tempu li ditti dinari non ci fussiru pagati; eo casu lu dittu fighiu di Misser Antoni diggia haviri la possessioni di la Terra e Castellu di Caltanissetta, e quillu teniri fin tantu, chi li sianu dati li ditti florini dudici mila.*

Tandem verò pactum adjicitur, quòd tantùm successio ad Comitem Antonium ejusve filios & descendentes deferatur, quatenus ipse Comes Joannes Thomas absque filiis decederet, ac nepotibus & descendentibus in perpetuùm: adeout linea suorum descendentium penitùs extincta esset. *Sub pacto & conditione* (concludunt contrahentes) *chi quandocunque venissi casu, chi fortè lu dittu illustri Mastru Justitieri murissi senza fighi, oy fighi, neputi e descendenti in perpetuùm di suo corpu legitimè descendenti; eo casu la ditta Terra e Castellu di Caltanissetta diggia turnari ipso facto alli fighi, neputi, proneputi e descendenti in infinitùm di lu prefatu Signur Misser Antoni Conti di Caltanissetta, legitimi e naturali.*

Jam ergo si tantùm durante vita Comiti Antonio successio permissa est, & post mortem suam Comitatùs successio concessa videtur Comiti Joanni Thomæ, & omnibus ejus descendentibus, etiam quòd concursus esset filiæ fœminæ Comitis Joannis Thomæ & filii masculi Comitis Antonii; nullo jure prætendi potest, quòd ex antiquioribus privilegiis, & antecessorum dispositionibus successionem esse regulandam, firmaverint

verint contrahentes: quinimò rectè concludendum est, quòd per universam transactionem recentiora privilegia transigentes exequuti sint, & admissio Comitis Antonii durante vita, & regressus ad successionem ejusdem Comitis Antonii, suorumque descendentium, post extinctam lineam omnium descendentium Comitis Joannis Thomæ; non ex antiquis privilegiis Comiti Antonio concessa sunt, sed ex testamento Comitis Matthæi ejus patris, quod favore fœminarum per apertam transactionem confirmatum est: atque (ut dicebat Adversarius) ex quadam æquitate fundata in eo, quòd Comes Antonius ab ejus genitore exclusus non fuerat, sed fortè ignoranter præteritus, quia tempore testamenti successionis incapax erat uti religiosus: adeout cùm vel annullata vel non facta professione Comes Antonius successibilis evaserit; adæquatum transigentibus visum est aliquando illum ejusque descendentes ad successionem admittere.

Neque per transactionem antiquæ investituræ confirmantur & anteceſsorum dispositiones ex eo, quòd nihil aliud ex transactione resultat, nisi simplex postpositio descendentium Comitis Antonii favore descendentium Comitis Joannis Thomæ, & ea postpositio empta fuit cum pecuneis Comitis Joannis Thomæ, qui promisit filio masculo nascituro ex Comite Antonio florenorum 12000. Etenim ex hoc assumptum Adversarii non convincitur, sed ea, quæ a nobis allegata sunt, confirmantur: nempe, quòd taliter jura Comitis Antonii judicata fuerunt inferiora juribus Comitis Joannis Thomæ; ut pro obtinenda non quidem simplici postpositione, quasi nihil hoc esset, sed perpetua Comitatùs successione favore ipsiusmet Comitis Joannis Thomæ & suorum descendentium, quòd quid maximum est & erat controversiæ punctus, Comes Joannes Thomas ad tenuissimam summam flor. 12000. teneri voluit: non purè, sed sub conditione, si filius masculus ex Comite Antonio nasceretur (ut natus non fuit) & non quidem sub aliquo fideicommisso, sed liberè, ut fragilitas prætensionis Comitis Antonii ejusque descendentium magis atque magis confirmaretur.

Dicit insuper Adversarius: transactionem posteris non dedisse successionis legem, sed ad dirimendam actualem controversiam vertentem inter Comitem Antonium & Comitem Joannem Thomam, stipulatam fuisse. Subtilis tamen hæc Adversarii indagatio nihil penitùs convincit. Etenim propositioni, quòd per allegatam transactionem perpetua successio in Comitatu stabilita non fuerit, sed quòd tantùm actualis controversia terminata sit, resistit litera transactionis: ibi quidem nedum successio Comitis Antonii & Comitis Joannis Thomæ, ut actualis quæstio desiderabat, verùm etiam successio descendentium, & quidem marium & fœminarum, decernitur. Profectò absolutè dictum est, quòd Comitatus in dotem da-

datur de voluntate Comitis Joannis Thomæ & Comitis Antonii sponsis: sub expresso pacto, quòd, natis ex hujusmodi matrimonio filiis, Comitatus post mortem Comitis Antonii & Comitis Joannis Thomæ, sit filiorum a sponsis procreandorum, & eorum filiorum & descendentium. Pactum hoc est. *Per contemplationi di lu quali matrimoniu, si darà e da hora per allura si duna in dota a Caltanixetta per & cum voluntati di lu dittu illustri Mastru Justitieri, e di lu dittu magnificu e spettabili Misser Antoni, cum tutti li soi raxiuni e pertinentii universi: cum patto, chi nascendo di quilla fighi; sia la ditta Terra di loru figlioli: dummodo chi in vita di lu dittu illustri Mastru Justitieri, poi di la morti di lu dittu magnificu e spettabili Misser Antoni, sia, e di loro figlioli e descendenti in perpetuùm.*

Quod confirmatum videtur in alio capitulo immediatè sequenti, ubi pœna privationis successionis imponitur, si Contissella major facta, sponsalia non ratificaret: dicitur enim in casu contrario, nempè, si Contissella ratificabit, quòd Comitatus post mortem Comitis Antonii & Comitis Joannis Thomæ, sit & esse debeat filii & filiæ dictorum Comitum Joannis Thomæ & Antonii, & eorum filiorum & descendentium in perpetuùm. Ità sanè scriptum est. *Et è di pattu, chi in casu chi la fighia di lu dittu magnificu e spettabili Conti Antoni fatta d'anni 12. chi putissi ratificari lu dittu matrimoniu, e recusassi ratificari quillu; eo casu ex nunc pro tunc prometti lu dittu Misser Antoni dari la possessioni di la ditta Terra e Castellu a lu dittu Illustri viventi. Si verò non vivissi, a soi fighi: la quali Terra e Castellu recanuxi spettari e pertiniri a lu dittu Illustri e soi fighi ex causa transactionis præsentis. Si verò la ditta fighia fatta d'anni 12. ratificassi, acciptassi & per verba de præsenti firmassi lu dittu matrimoniu; eo casu s'intenda la Terra e Castellu di Caltanixetta per li ditti illustri e magnificu data per contemplationi di lu dittu matrimoniu: verùm chi duranti la vita di lu dittu magnificu e spettabili Misser Antoni, lu duminiu e possessioni di la ditta Terra e Castellu, cum titulo integro Comitatùs, sia e diggia essiri di lu dittu magnificu Misser Antoni. Eo verò mortuo; la ditta Terra e Castellu diggia essiri di lu dittu illustri Mastru Justitieri in sua vita: & post ejus mortem, diggia essiri di lu dittu fighiu e fighia di lu dittu illustri Mastru Justitieri, e di lu predittu magnificu spettabili Misser Antoni, comu cosa a loru data per contemplationi di lu dittu matrimoniu, e di loru fighi e descendenti in perpetuùm.*

Idem confirmant transigentes in alio pacto; in quo successio Comitatus absolutè conceditur Contissellæ & aliis filiis cùm masculis tùm fœminis Comitis Antonii, si Comes Guglielmus Raymũdus V. major factus annorum quatuordecim, sponsalia non ratificaret. *Si verò accadissi chi lu fighiu di lu dittu illustri Mastru Justitieri fattu d'anni quattordici non accettassi e ratificassi per verba de præsenti lu matrimoniu predittu; eo casu la possessioni*

di la ditta Terra e Castellu sia & esser diggia di la figlia di lu dittu magnificu Misser Antoni, & di li altri fighi di lu dittu magnificu Antoni, perinde ac si la presenti concordia e conventioni fatta non fussi.

Et demum idem confirmatum videtur in alio capitulo, in quo, cùm figuratus fuerit casus mortis Comitis Antonii vel cum filiis vel sine filiis; dictum est, quòd Comitatus esse debeat Comitis Joannis Thomæ & suorum filiorum & descendentium masculorum & fœminarum in perpetuùm: pacto tamen, quòd casu quò Comes Joannes Thomas decederet sine filiis, & dicti filii sine filiis, explicando ipsorum contrahentium mentem, quòd sub denominatione filiorum veniebant nepotes & descendentes in perpetuùm; eo casu Comitatus redire deberet ad filios, nepotes, pronepotes & descendentes in infinitùm Comitis Antonii: adeout expresсè de successione tractatum sit omnium ex utraque linea descendentium. Pactum hoc est. *Item è convenutu & accordatu, chi murendu lu dittu magnificu Misser Antoni quandocunque cum filiis vel sine; la ditta Terra e Castellu di Caltanixetta sia di lu dittu illustri Mastru Justitieri, soi figli e descendenti masculi e fimmini in perpetuùm: sub pacto & conditione, chi quandocunque vinissi casu chi fortè lu dittu illustri Mastru Justitieri murissi senza fighi, oy li fighi senza fighi, intendendu fighi, neputi e descendenti in perpetuùm di suo corpore legitimè descendenti; eo casu la ditta Terra e Castellu di Caltanixetta diggia tornari ipso facto alli fighi, neputi, e neputi e descendenti in infinitùm di lu prefatu Signuri Misser Antoni Conti di Caltanixetta, legitimi e naturali.*

Hinc confutatione non indigeret alia Adversarii propositio, quòd admissio fœminis in genere concessa sit, nempe ad earum admissionem denotandam tam in linea Comitis Joannis Thomæ, quàm in linea Comitis Antonii, non autem ad indicendum succedendi ordinem inter existentes in qualibet ex citatis lineis. Quoniam ex sola lectura pactorum, quæ transcripta sunt, penitùs destructa videtur: cùm in unaquaque ex lineis fœminæ ad successionem admissæ legantur. Neque fœminarum admissio in qualibet ex lineis recitatis censenda est in subsidium, ut tandem in contrarium affirmatur, nempè omnibus omninò extinctis agnatis; sed in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus, ipsarum successio consideranda est. Menti equidem venit recolendum, quòd † si in 14
concessione vel testamento feudum pro masculis & fœminis in perpetuùm datum vel relictum sit, præcisè in Regno Siciliæ; inter omnes descendentes perpetua regularis primogenitura instituta dicatur, & successio per clausulam juris francorum deferenda sit; adeout fœminæ in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus ad successionem admissæ censeantur, ad latè deducta per Justif. in causa Buteræ *art. 4. n. 360. & 361.* Luca *de feud. disc. 13. n. 6. & 7. in* ca-

eadem causa Butera. Quapropter si per expressum pactum dictum est, quòd Comitatus post mortem Comitis Antonii, sit & esse debeat Comitis Joannis Thomæ & ejus filiorum & descendentium masculorum & fœminarum in perpetuùm: sicuti etiam, quòd in casu extinctionis lineę Comitis Joannis Thomæ, successio vadat ad Comitem Antonium ejusque descendentes tam masculos quàm fœminas; nemo negabit, quòd inter descendentes Comitis Joannis Thomæ, & subsequenter inter descendentes Comitis Antonii, perpetua regularis primogenitura in unaquaque ex prædictis lineis fuerit introducta.

Si tandem replicare non juvabit, quòd re ipsa assertio justificetur eò ipsò quòd Comiti Joanni Thomæ, a quo transigentes descendunt, successio ex fideicommisso Comitis Matthæi II. delata est, in quo fœminæ per clausulam juris francorum ad successionem invitatæ leguntur.

Neque pariter confutatione indigeret ultima Adversarii propositio, quòd taliter transigentes nullam descendentibus succedendi normam indicere intellexerint; ut Comes Joannes Thomas post mortem Comitis Antonii ad successionem admissus, de Comitatu disposuerit: & eam legem posteris injunxerit, per quam fœminis impedita successio est. Quoniam, præscindendo ab eo, quòd ex recitata transactione hujuscemodi potestas in Comite Joanne Thoma haud unquam orta sit: & ab alio pariter, quòd de allegata Comitis Joannis Thomæ dispositione non constet: & si constaret, quòd agnatitium fideicommissum non contineat, ut infra sua sede dicetur; Comes Joannes Thomas de Comitatu Caltanissettæ non disposuit: clarissimis equidem verbis, postquàm fideicommissum instituerat, declaravit se de Comitatu Augustæ ultra, & Baronia Paternionis, & aliis Terris, Baroniis & bonis burgensaticis & feudalibus disponere intellexisse, de quibus disponere poterat. *Quæ quidem dispositiones*, (sunt verba Comitis Joannis Thomæ testatoris) *institutiones & substitutiones intelligantur de Comitatu Augustæ ultra*, (quem ab Antonello filio naturali Comitis Guglielmi Raymundi IV. novi illius acquisitoris acceperat) *& Baronia Paternionis, & aliis Terris, Baroniis, & bonis burgensaticis & feudalibus, de quibus ipse Illustris potest disponere*.

Tantum enim abest, quòd de Comitatu Caltanissettæ disposuit, quantum adest, quòd illum evidenter excluserit, si ipsius Comitatùs tanquam insignioris in individuo non meminit, prout aliorum bonorum minus insignium mementus est: quinimò expresè confessus fuit, quòd de Comitatu Caltanissettæ disponere non poterat, si credidit habere bona, quæ suæ liberæ dispositioni non subjacebant. Hujusmodi enim potestatis defectus in Comitatu Adernionis & Comitatu Caltanissettæ ad sensum testatoris verificatur, quia in eis juxta formam suorum pri-

privilegiorum in juramento fidelitatis fucceffiffe, jam ufque ab initio fuæ poffeffionis affirmaverat. Quòd mirificè comprobatur ex eo, quòd Comes Guglielmus Raymundus V. ejus filius primogenitus & fucceffor in fuo teftamento, quamvis in fucceffione Comitatùs Auguftæ & aliorum Comitatuum & bonorum id obfervandum effe mandaverit, quòd a Comite Joanne Thoma ejus genitore præfcriptum fuerat; quò tamen ad Comitatum Caltaniffettæ voluit exprefsè, quòd id fervari deberet, quod cum Contiffella uxore fua fuerat in tranfactione conventum,& Comes Joannes Thomas ejus genitor in fua difpofitione confirmaverat. Verba capituli hæc funt. Singula fingulis referantur. *Item voli e comanda lu prefatu illuftri teftaturi, che lo ftato di Augufta, Caltaniffetta, e tutto lo Stato, Contati e Territorii, laffa come haviano accordato con la illuftri quondam Signura Contiffella di Moncata mogliere di lu detto illuftri teftaturi, e comu laffau lo illuftri quondam Patri e Signuri di lu dittu illuftri teftaturi; e nun fi diggia moviri di quilla forma.*

Sit nihilominus univerfa tranfactio in favorem Comitis Antonii, & in exequutionem antiquarum inveftiturarum & avitarum difpofitionum ftipulata; quid deinde? five per tranfactionem fucceffio abfolutè Comiti Joanni Thomæ five Comiti Antonio deferatur; illud femper indubitabile eft, quod in vim declarationis antiquorum privilegiorum, vel eorum, quæ ultimò locò conceffa funt Comiti Matthæo II. & Comiti Guglielmo Raymundo IV. de cujus fucceffione agebatur, per legem apertiffimam omnique ævo fervandam declaratum eft; quòd five fucceffio deferri deberet per antiqua privilegia & teftamenta, five per recentiora; femper in ea, juris francorum claufula fervanda effet: & quòd in utraque linea fœminæ femper effent admittendæ in defectu mafculorum ejufdem lineæ & gradùs.

Quippe in linea Comitis Joannis Thomæ, omnes filii mafculi & fœminæ, nepotes, pronepotes, pofteri & defcendentes invitati funt. Et in linea Comitis Antonii omnes ejus defcendentes cùm mafculi tum fœminæ admiffi videntur: & cafu quò Comes Antonius fine aliis filiis decederet, in individuo admiffa eft Contiffella. Quò nil clariùs,nilque evidentiùs, cùm per hujufmodi favore fœminarum difpofitionem omnis penitùs arceatur agnatorum prætenfio: etenim fi unquam agnatorum jura locum habere potuiffent in cafu extinctionis mafculorum procedentium a linea utriufque Comitis; non fœminæ ex eadem linea defcendentes admiffæ fuiffent (quafi quòd alii agnati non exifterent, ut hactenùs dicebat Adverfarius) fed Antonius Perius Dominus Ferulæ eo tempore vivens, ejufque defcendentes mafculi agnati, tanquam procedentes a Comite Joanne Domino Ferulæ & Comite Adernionis, patre Antonii Perii: ipfe quidem tam ex antiquis

inve-

investituris uti nepos Comitis Guglielmi Raymundi III. ex eodem Comite Joanne illius filio secundogenito, quàm ex testamento Comitis Matthæi II. qui Comitem Joannem fratrem ejusque descendentes, ut sæpiùs dictum est, ad successionem invitaverat (si verum esset agnationis assumptum) ad Comitatùs successionem admitti debebat.

Quinimò præsentis controversiæ punctus favore Dominæ Clientis literaliter decisus est: cùm enim, ut sæpiùs dictum fuit, Domini Contendentes a Comite Joanne Thoma procedant, cujus descendentes mares & fœminæ ad successionem admissi sunt; clarissimè sequitur, quòd per vocationes hujusmodi, in casu concursùs fœminæ melioris lineæ cum masculo lineæ inferioris, in quo versamur, fœmina proximior ad successionem invitata sit, non autem masculus remotior. Eaque fœminarum admissio in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus ex eomet probatur, quòd transigentes fœminas non admiserunt casu quò masculi utriusque lineæ deficerent, sed eas in defectu masculorum propriæ lineæ ad successionem invitarunt: nullumque penitùs verbum fecerunt de Antonio Perio masculo agnato, qui, si omnibus extinctis agnatis fœminæ invitatæ forent, pariter fœminis utriusque lineæ præferendus esset.

Rursùs ex hoc etiam, quòd existentibus fœminis de linea Comitis Antonii, vel Comitis Joannis Thomæ filii primogeniti Comitis Joannis, Antonius Perius ejusdem Comitis Joannis secundogenitus ad successionem admissus non fuit; iterum punctus præsentis controversiæ favore Dominæ Clientis confirmatus est: sicuti enim durantibus descendentibus cùm maribus tum fœminis utriusque Comitis, & etiam quòd sola existeret Contissella, ad alias lineas agnatorum transitus factus non fuit; ità durante linea Eminentissimi Comitis Cardinalis D. Aloysii filii primogeniti Comitis D. Antonii III. nepotis Comitis Joannis Thomæ, a quo Eminentissimo Cardinali procedit Domina Cliens, ad lineam Domini Ignatii filii secundogeniti ejusdem Comitis Antonii III, a quo Domino Ignatio descendit Dominus Contendens, transitus permissus non est: quippe ex breviloquio in explicatione fideicommissi per contrahentes observato, idem in lineis subalternis demandatum fuit, quod in lineis principalibus ordinatum est.

Atq; demum † ex hujusmodi sic 15
stabilita fœminarum successione penitùs atque penitùs cessant omnes subtilissimæ Adversarii indagationes super intellectu antiquæ clausulæ juris francorum in nostris privilegiis interiectæ, nempè quòd ipsa priscis temporibus solam feudi & possessoris individuitatem importabat. Etenim, non quidem per argumenta & doctrinas, quę innumeris subjacent ęquivocationibus, neque per decisiones emanatas in similibus causis, in quibus ex defectu unius vel alterius circumstantiæ deficit pariter

ter

ter decisionis applicatio, sed per transactionem, quæ res judicata dicitur, in individuo punctus controversus in contrarium terminatur.

Per eam equidem solemnissima adducitur declaratio, quòd clausula juris francorum usque *ab anno* 1286. quo in Regno Siciliæ successit Rex Jacobus, cujus dominii tempore concessiones cum clausula juris francorum emanatas in Regia Cancellaria jam legimus, & nostram concessionem factam fuisse credimus, vel satis ante, ut desiderat Adversarius, vel saltem quòd ea ipsissima clausula juris francorum, quæ adjecta est in privilegiis antiquæ concessionis confirmatoriis, quæ annis 1365. & 1373. Comiti Matthæo I. per legem Federicum III. impartita sunt; non quidem solam feudi & successoris individuitatem, sed etiam fœminarum admissionem in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus importavit, quòd digito ligandum est: nam hujusmodi declaratio *anno* 1466. facta videtur, & testamentum Comitis Guglielmi Raymundi, in quo successio Statùs Paternionis ordinatur per clausulam juris francorum, cujus intellectus per Adversarium controvertitur immediatè, nempè *anno* 1465. conditum erat, ut suò locò enucleabitur: atque pariter concludendum est, quòd eandem interpretationem recipiat clausula juris francorum adjecta in testamento Comitis Matthæi II. condito *sub anno* 1421. & in ejusdē codicillis ordinatis *anno* 1423. ac in transactione stipulata *sub anno* 1424. inter Comitem Guglielmum Raymundum IV. & Gastonum ejus fratrem: quoniam aut super antiquis privilegiis transactio ceciderit, aut super testamento & codicillis Comitis Matthæi, vel super asserta transactione *anni* 1424; semper idem evidentissimè resultat.

Quæ omnia † adeò vera sunt, & 16
omni prorsùs possibili difficultate exempta videntur, ut supradictum testamentum & transactionem, ac quòd in Comitatu Caltanissettæ cum clausula juris francorum veniat succedendum nedum memorati transigentes, verùm etiam omnes omninò Comitatùs possessores usque ad Comitem Ferdinandum ultimò defunctum, religiosissimè observaverint.

Et quidem Comes Guglielmus Raymundus IV. paternum Comitis Matthæi testamentum approbavit: ipse quidem, etsi per suam testamentariam dispositionem, quę condita est *anno* 1465, Antonium fratrem instituerit in Comitatu Caltanissettæ; voluit tamen, quòd, casu quò Antonius moreretur sine filiis, & ejus filii sine filiis in infinitùm; succederet Comes Adernionis, qui tunc erat Comes Joannes Thomas, & ejus filii masculi: quibus deficientibus, quòd succederet Antonius Perius Dominus Ferulæ, ejusque filii masculi, utì Comes Matthæus pater suus ordinaverat: quibus omnibus deficientibus, ad successionem pariter admisit omnes personas vocatas & substitutas in testamento & codi-

di-

dicillo Comitis Matthæi II. ejusdem sui genitoris.

Sicuti etiam hæredem particularem instituit eundem Antonium ejus fratrem in ducatis decem mille sexcentis de summa illorum florenorum quindecim mille, qui fuerunt Gastoni, vinculatorum per Comitem Matthæum ejus patrem, tanquam de pretio Augustæ, sub vinculo & substitutionibus in testamento paterno adnotatis. Cùm autem cognovisset idem Comes Guglielmus Raymundus IV. quòd institutio Antonii posset a Comite Joanne Thoma impugnari; dixit expressè, quòd casu quò institutio ipsa tam de Comitatu Caltanissettæ, quàm de ducatis 10600. veniret quomodocunque contradicta; Antonellus hæres universalis, & ejus hæredes ad nihilum teneantur: suamque mentem his verbis declaravit. *Quoniam dictus illustris testator putavit dictum Comitatum & dictam summam pecuniarum spectare post mortem ipsius testatoris ad dictum Dominum Antonium tanquam proximiorem agnatum: & propterea si non spectaret, noluit dictum magnificum Dominum Antonellum hæredem universalem in aliquo teneri: & quòd de dictis pecuniis emantur seu convertantur in emendo terram seu aliquod bonum stabile, juxta formam testamenti conditi per quondam Dominum Comitem Matthæum patrem dicti illustris testatoris.*

Fuit transactio a Comite Guglielmo Raymundo V. viro Contissellæ & filio Comitis Joannis Thomæ approbata per testamentum ab eo conditum *anno* 1510. ubi hæredem universalem instituit Comitem Antonium II. ejus filium: voluit enim in hujusmodi sua dispositione, quòd in Comitatu Caltanissettæ veniat succedendum juxta conventionem factam cum Contissella de Moncada ipsius uxore, ut superiùs ponderatum est.

Ità etiam per sequentes successores Comitem Antonium II. Comitem Franciscum I. & Comitem Cæsarem observatum fuit: ipsi enim omnes cœperunt investituras *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Et clariùs transactionem observavit Comes Franciscus II. ubi *annis* 1584. & 1585. occasione matrimonii contracti cum Domina D. Maria Aragona & la Cerda Ducissa Montisalti, expressè dixit, in Comitatu Caltanissettæ ejus filios utriusque sexus esse successuros: *ità quòd masculus præferretur fœminis, & major natu minoribus in perpetuùm & in infinitùm:* alternativâ servatâ cum statibus & familia uxoris, nempè, quòd in una generatione successor vocandus esset D. Antonius vel D. Antonia Aragona Dux Montisalti, & in alia generatione D. Franciscus seu D. Francisca de Moncada Princeps Paternionis.

Eodem modo transactionem observarunt Comes D. Antonius III. & Eminentiss. Cardinalis D. Aloysius, qui omnes vel cœperunt investituras, vel Comitatum possederunt uti indubitati successores, *& pro*

& pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.

Demum clarissimè transactionem observavit Comes Ferdinandus ultimò defunctus, qui succeditricem declaravit Dominam Clientem ejus unicam filiam & hæredem universalem.

Qua stante observantia interpretativa, ac declaratione successorum, arduum etit a clausula juris francorum in præsenti judicio
17 & successione recedere: cùm † fideicommissa, etiamsi dubia essent, interpretetur observantia. Mans. *consult.*85.*n.*5. *& consult.*98. *n.* 32. *&* 33. *tom.* 1. *& consult.*351. *n.* 22. *tom.* 4. *& consult.* 771. *n.*30. *tom.* 8. Rota *ad tract.* de Luca *decis.*73. *n.*21. *lib.*10. *de fideic. tom.*2. Rota *p.* 5. *rec. decis.* 185. *n.*4. Torre *de major. p.* 1. *cap.* 39. §. 4. *a n.* 39. *fol.* 512. *& p.* 2. *q.* 57. *n.*50. *ad* 67. R. Rom. *decis.* 67. *n.* 28. *&* 29. *p.* 13. & post Torre *de majorat. decis.* 5. *n.* 39. *tom.* 3. Molin. *de hisp. primogen. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 57. Atque etiam, cùm ad fundandam
18 observantiam † unicus actus sufficiat, & quòd semel tantùm id quod proponitur, fuerit observatum; multò fortiùs in casu nostro observantia attendenda est, in quo non unus, sed innumeri concurrunt actus, qui convincunt observantiam. Torre *de majorat. p.*1. *dicto cap.* 39. §. 4. *n.* 39. *cum seq. fol.* 512. *& p.* 2. *cap.* 57. *num.* 26. Rota post Censal. ad Peregrin. *de fideic. decis.* 30. *n.* 17. Multòque
19 magis † si unicus actus ultimum statum informaret, ut esset pariter in casu nostro: quia † in judicio 20
possessorio is venit manutenendus, cui assistit ultimus status ultimaque investitura: nec a possessione venit removendus, donec contrarium in altiori judicio veniat plenissimè probatum. Justific. in causa Buteræ *art.* 1. *n.* 33. Rota *p.* 15. *decis.* 267. *n.* 11. Quinimò
† cùm observantia sit longissimi 21
temporis in casu nostro, in quo Comitis Matthæi II. testamentum atque transactio quasi per trium seculorum cursum per successores servata fuere; per eam modus præscribitur succedendi. Præses Gaston. *discept.* 26. *n.* 20. *ad finem tom.* 2.

Tandem verò, etsi Adversarius ex prædictis omnibus victus evaserit, spem in eo ultimo reponit, quòd nullo modo possit Domina Cliens Comitatùs prætendere manutentionem, si ex privilegiis per serenissimos Siciliæ Reges Montecatenis impartitis, & ex testamento Comitis Matthæi I. non aliis, quàm Regni incolis & habitatoribus Comitatùs acquisitio concessa est. Quapropter cùm Domina Cliens in Regno non moretur, declamat Adversarius, eidem manutentionem non esse concedendam. Satis tamen debile
† hujusmodi refugium est: nam 22
licèt Regum concedentium mens & intentio ea fuerit, quòd possessores Comitatùs Augustæ incolæ Regni Siciliæ esse deberent, & in eodem Regno sub Regum dominio commorari: nihilominus a prædicta residendi necessitate Domina Cliens absoluta videtur: quo-

quoniam sereniſſimi Retroreges, cùm Matritum Comites Caltaniſſettæ vocaverint, eos fecerunt in Regno præſentes: ut præſentes dici debent Vaſalli, qui Regi præſentialiter inſerviunt.

Neque prodeſt replicare, quòd id aptum judicetur ad diſpenſandum clauſulis in regiis conceſſionum reſcriptis prænotatis, non autem præcepto indicto a teſtatore, per quem habitandi neceſſitas pariter ſub pœna caducitatis impoſita eſt. Quoniam Comes Matthæus I. a teſtamento receſſit atque ab inteſtato mortuus eſt: ut in ſecunda præſentis diſcursùs parte ad evidentiam extitit comprobatum. Et ultrà poſſunt Reges a teſtatorum mandatis hęredes abſolvere, cùm cauſa publica intercesſit: quòd nedum ex eo verificatur involuntarii a Regno diſceſsùs, ut Regum ſervitio Comites Caltaniſſettæ præſto eſſent; verum pariter quia ob eam cauſam Dominus Rex videtur jam diſpenſaſſe.

Eo magis quòd Comes Matthæus non eis Comitatùs Auguſtæ poſſeſſoribus habitandi legem indixit, qui erant ejus deſcendentes, ut eſt Domina Cliens; ſed illis tantùm, quos è Catalonia in Regnum ad ſucceſſionem evocavit, prout erant filii Petri de Montecateno Admirati Regis Aragonum, & Guglielmi de Montecateno Domini Aytonæ.

Profectò Comes Matthæus non affirmat, quòd omnes ejus ſucceſſores deberent in Regno commorari, ſed *in caſibus dictarum ſubſtitutionum, vel alicujus ipſarum, ille, ad quem hæreditas devolvetur, debeat & ſit de cætero incola &c.* Qui quidem caſus dictarum ſubſtitutionum non includunt ipſius teſtatoris deſcendentes, quaſi pariter iſti ſubſtituti dicerentur. Etenim per aliud capitulum expreſsè proteſtatus erat teſtator, quòd ſubſtitutiones, de quarum caſibus inferiùs tractare debebat, non erant illæ, quas pro ſuis deſcendentibus effecerat: ibi ſiquidem; cùm nonnulla legata diſpoſuiſſet pro ejus anima & malè ablatis, dixit expreſsè, quòd ejus hæreditate remanente penès ſuos filios; iſti retribuere quotannis teneantur ejus fideicommiſſariis unc. auri 200. quolibet anno. Si autem hæreditas pervenerit ad ſubſtitutos; tali caſu dicti fideicommiſſarii de univerſo Auguſtæ Comitatu capiant poſſeſſionem, & ipſo fruantur donec cum illius fructibus relicta & malè ablata valeant adimplere: ſignum ergo quòd per ly *ſubſtitutos* filios ſuos includere non intendebat, quia uno modo loquitur quando proprios vocat deſcendentes, & alio quando extraneos ad ſucceſſionem invitat, eos nempe vocando ſubſtitutos, non autem filios & deſcendentes, etsi pariter iſti ſubſtituti viderentur, ut dictum eſt. Verba capituli hæc ſunt. *Item voluit & mandavit, quòd ſi dicta hæreditas pervenerit ad dictum Dominum filium ſuum vel naſciturum vel naſcituros ex eo, aut dictum poſthumum vel naſciturum vel naſcituros ex eo; quòd dictæ unc. 200. anno quolibet percipiantur per dictos ſuos fidei-*

commissarios ex dictis redditibus: aliàs in casu quo dicta hereditas perveniat ad dictos substitutos vel alios modo quolibet; quòd dicti fideicommissarii sui, auctoritate eis præstita per dictum Dominum testatorem, possint intrare & percipere possessionem Terræ Augustæ cum Castro & fortalitiis suis, & possessionem aliorum bonorum feudalium & burgensaticorum dicti Domini testatoris: quæ tandiu teneant & possideant, ac fructus, redditus & proventus percipiant, quousque de ipsis redditibus & proventibus valeant adimplere primò & ante omnia prædicta legata pro malè ablatis, etiam legata & omnia supradicta & infrascripta.

Eaque Regni habitatio non fuit a testatore, ut Pars asserebat, considerata in successoribus per conditionem, quòd ipsi ad feudi possessionem admitti non possent, si tempore delatę successionis in Regno non existerent. Litera enim testamenti contrarium ostendit: dicitur equidem in testamento, quòd *de cætero* alter ex prædictis substitutis ad successionem admissis, nempè post adeptam Comitatùs possessionem, esse debeat incola Regni Siciliæ. Quod omnem prorsùs tollit difficultatem.

Neque propriis suis descendentibus id impositum esse opponi poteft ex eo, quòd forsan in eis veniret quasi in consequentiam repetitum, & eatenus a testatore nō expressum, quatenus nunquam suos descendentes Regni habitationem crediderit relicturos: quoniam in odiosis id locum habere minimè posse, concludunt omnes penitùs Jureconsulti, qui extensionem in eis non dari nos docent.

Cœterùm præmissa ultrà necessitatem adducta sunt: nam nos non versamur in concessione neque successione Comitatùs Augustæ, sed in eis Comitatùs Caltanissettæ, in quibus nec Reges concedentes neque concessionarii aliquam habitandi legem imposuerunt. Si demum dicere non licebit, quòd ubi benignissimus Dominus Rex noster, quem Deus servet incolumem, concessa manutentione possessionis Dominæ Clienti habitandi necessitatem injungeret: ipsa, ut par est, præcepto obtemperabit.

Omnia † igitur, quæ usque adhuc exposita sunt vel separatim spectare, profundissimi Patres, vel ea in unum colligere aut conferre velitis, nemo vestrum poterit de Dominæ Clientis justitia dubitare: si enim præsumptæ standum est formæ priscis temporibus datæ vel Comitatui Melitæ & Gaudisii, quando Luchinæ progenitoribus Insulæ concessæ sunt: vel Comitatui Augustæ, quando cum Rege Federico per Luchinam aut Comitē Guglielmum Raymundum I, ejus virum inita est permutatio; clausula juris francorum supra omnes sequentes concessiones principem sibi locum vindicabit. 23

Idemque prorsùs etiam dicendum est, si primus Comitatùs Augustæ quæsitor Comes Guglielmus Raymundus I. independenter a jure uxorio, judicandus esset; nedum quia cum clausula juris

ris francorum concessio veniret præsumenda, & eam ità factam fuisse testetur Joannes Lucas Barberius; sed quia cùm ipse, tum Comes Guglielmus Raymūdus II. ejus filius & successor decesserunt ab intestato, clausulamque juris francorum perpetuò amplexi sunt.

Neque diversimodè decernendum esset; si clausula juris francorum expressè posita, & per ejus effectus declarata in confirmatione Comitatùs Augustæ facta Comiti Matthæo I. non quidem tantùm repetita censeretur, ut de facto fuit, sed etiam si ejus naturæ esset, quòd Comitem Matthæum diceret primum acquisitorem, & formâ non ligatum: ipse enim vel per donationem propter nuptias Comiti Guglielmo Raymundo III. factam, vel per ejus testamentum quatenus sub illo decessisset, vel per mortem ab intestato, ut ab intestato decessisse jam supra evidentissimè probatum est; clausulam juris francorum pro præsenti successione semper confirmavit.

Atque ab eadem sententia vos non amovebunt amplissima illa privilegia Comiti Guglielmo Raymundo III. concessa; cùm nullo pacto illum reddant Comitatùs Augustæ primum quæsitorem, nec dispensatum ut de eo ad sui libitum disponere potuerit: quanquam ejus testamentum exequendum minimè foret ex eo pariter, quòd in delicto decessit, nec aliquando fuit in gratiam restitutus, non solùm per ejus assertam innocentiam, sed neque ex ea clementia, qua fuerunt Reges ejus filios, fratresve prosequuti; cùm ipsorum miserti fuerunt, ut in pristinam bonam famam redirent: illam enim cum Comite Guglielmo defuncto, si Reges voluissent, etiam exercere potuissent.

Multòque magis a præmissis recedere non potestis, si in præsenti judicio sæpiùs repetita transactio venit attendenda, stipulata *sub anno 1466*. In ea quidem, quæ per omnes sequentes successores, per quasi trium seculorum spatium, observata est, regularis perpetua, primogenitura pro omnibus penitùs Comitis Joannis Thomæ & Comitis Antonii successoribus stabilitur: adeout cùm in præsentiarum tam Domina Cliens quàm Dominus Dux Sancti Joannis a Comite Antonio & Comite Joanne Thoma descendant; nemo eorum possit eam neque in præsenti, neque in quovis alio altiori judicio sub quocunque prætextu impugnare. Cùm enim, quomodo antecedenter succedendum esset, dubitaretur; in tanta rerum dubietate, per clausulam juris francorum, & expressam fœminarum admissionem, cùm per antiquatum per recentiora privilegia, per eam transactionem succedendum esse laudabilissimè confirmatur: taliter quòd quasi dicam, quòd nefas esset contra eam quid attentare.

Unum † verò tandem præveniendum est, quòd in qualibet hujusmodi meæ orationis parte repetitum volo, nunquam me aliquid in Domini Contendentis favorem 24

vorem concessisse, si quando per alicujus hypothesis figurationem quid dixerim ad Adversarii sensum accommodatum: cùm meum illud fuisse propositum testor, ea discurrere, non ea concedere, quæ ab Adversario allegata sunt.

Hic absolvenda oratio esset. Sed conceptum sermonem quis retinebit? Eatenus res per præmissa fuit examinata, quatenus omnia instrumenta originalia essent, vel faciem originalium haberent. Quid tamen dicendum, si de iis, quibus usa est Domina Cliens, originales copiæ appareant & omni solemnitate completæ; & de eis, quibus usus est Dominus Contendens, simplices tantùm exhibeantur copiarum copiæ: quæ non ex alio originales prætenduntur, nisi quòd ipsæ in Archivio Domini Ducis Montisalti ultimò defuncti repertæ fuerint. Eis tamen standum non esse

25 jura decernunt, quia † ad hoc ut instrumentum reputetur publicum & authenticum, opus est quòd in publico Archivio, nempè auctoritate publica instituto reperiatur, & ubi solent conservari publica & authentica instrumen-

26 ta: nunquam autem † sufficit, quòd in Archivio Baronis, Marchionis & similium inveniatur; cùm hujusmodi Archivia privata dicantur, & scripturis in eis existentibus nulla fides tribuenda sit. Pareja *de edit. instrum. tit. 1. resol. 3. §. 3. n. 30.*

27 Proponit nihilominus † Adversarius, quòd Archivio Dominorum Ducum Montisalti taliter deferendum sit, ut scripturæ in eo conservatæ, publicæ & authenticæ dici debeant; cùm locus ad hujusmodi scripturas asservandas destinatus, qui topograficè ab Adversario descriptus est, tutissimus sit, & ad conservandas scripturas aptissimus. Subjungit etiam, quòd celebriores scripturæ, quæ in Archivio reperiuntur, olim in arcis ferreis, quæ in Archivio tunc temporis existebant, conservabantur, & in præsentiarum in registris ac julianis repetitæ leguntur. Affirmat pariter, quòd homines ad Archivii custodiam electi, probissimi viri extiterunt, atque eorum officium non quidem a Gubernatore generali Statuum Domini Ducis Montisalti in Regno existentis, sed immediatè ab ipsismet Dominis Ducibus, per literas patentes datas Matriti, collatum videtur: & sub iteratis jussionibus Archivariis injunctum est, ne scripturam aliquam quovis prætextu ab Archivio in alium locum transferre audeant, etiam quòd ad propriam Archivarii domum scriptura transportaretur. Et demum ad denotandum quòd in Archivio non aliæ quàm scripturæ publicæ & authenticæ atque originales conservantur, adducit, quòd *anno* 1459. Comes Guglielmus Raymundus V. cùm transumptare voluisset quoddam privilegium redditus annualis unc. 200. debiti super Oneratoriis Regni, quod concessum fuerat *anno* 1421. Comiti Joanni de Moncada; in transumpto assertio fit, quòd Comes Guglielmus in suo Archivio transum-

sumptum reponere intendebat, ubi solitus erat alias suas scripturas originales conservare: per hæc verba. *In judicio verò & ubilibet apud omnes valeat facere plenam fidem, sicut & primum originale privilegium, quod vult reponere & conservare in loco, in quo solitus est reponi facere & conservare alias scripturas & privilegia sua, nè fortè vetustate vel temporis diuturnitate, aut aliquo casu guastari, lacerari, vel amitti contingat.*

Tandem verò ad arguendam fidem, quam Regni Tribunalia scripturis in Archivio existentibus tribuerunt, concludit, quòd *anno* 1570. in quadam causa oppositoria vertente inter Dominum D. Antonium de Aragona & Cardona ex una, & D.Joseph & D.Benedictum Notarbartolo parte ex altera; copia in judicio producta est testamenti Domini D. Artalis Cardona Comitis Collesani, in Archivio existentis, sub hujusmodi nota. *Extracta est præsens copia ex copia existente in posse illustris Dominæ Comitissæ D. Maria Cardona, manu mei Notarii Matthæi de Notario Bartholomæo, tanquam publici Notarii.*

28 Verùm † hæc omnia firmatam conclusionem non impugnant: etenim præscindendo ab eo, quòd in Archivii descriptione multæ intercedant exagerationes, cùm locus ad Archivium destinatus eo modo, quo aliæ cellæ constructus videatur, & per accidens eo loco Archivium compositum fuerit, atque locus ipse obvius sit, iteratas habeat januas, & sub unica tantùm clavi fores ipsæ claudantur: præscindendo etiam, quòd de assertis arcis ferreis hodie neque vestigia appareant, & non quidem ad asservandas scripturas Comitum Caltanissettæ, sed Comitum Collesani (si credimus authori ab Adversario allegato) arcæ ipsæ olim fuerant destinatæ: insuper præscindendo, quòd literæ patentes etiam pro quibusvis minimis officiis a Dominis Ducibus Montisalti, eorum instante Secretario, expeditæ sint: ac demum præscindendo, quòd quilibet privatus proprias scripturas benè custodiat, & eas è propria domo alienari non permittat; quælibet loci tutissimi destinatio, quælibet probi viri ad scripturas conservandas electio, ac eximia quælibet in scripturis custodiendis diligentia, apta non est ad faciendum, quòd scripturæ, quæ in privato Archivio custodiuntur, publicæ evadant: cùm semper auctoritate privata, nunquam autem publica auctoritate id fieri dicatur.

Jam verò si privilegium concessum est loco auctoritate publica erecto, & nostrum Archivium auctoritate privata pro conservandis scripturis destinatum fuit; publica fides Archivio tribuenda non est: ut de facto Doctores, qui † privilegium hujusmodi negant 29
loco privato, & in individuo, ut visum est, Archivio Baronis, Comitis, Marchionis, & similium, locum tutissimum supponunt, & omnimodam credunt in scripturis asservandis diligentiam; & nihilominus publicam fidem hujusmodi

modi scripturis non concedunt, legi ad intentum possunt Doctores allegati in causa successionis Status & Principatus Paternionis, inter quos Staiban. *resol.* 188. *n.* 30. *to.* 2. Luca *de judic. disc.* 28. *n.* 23.

Neque a firmata conclusione recedendum est ex eo, quòd de hujusmodi loco in allegato transumpto mentio fiat, & quòd in eo Comes Guglielmus scripturas & privilegia reponere solebat. Siquidem præscindendo, quòd præsens Archivium non sit materialiter idem, quod in transumpto refertur: præscindendo etiam, quòd formaliter aliud pariter sit quàm Archivium Comitum Caltanissettæ; cùm hujusmodi Comitatus in lineam Comitis Joannis, a quo procedit Comes Guglielmus, uti filius Comitis Joannis Thomæ, ex sæpiùs citata transactione advenit anno 1466. ubi transumptum factum fuerat anno 1459. qua tempestate C. Guglielmus Comes erat Adernionis, & quasi diversam familiam repræsentabat: ac demum præscindendo, quòd de transumpto originali non constet; a verbis supra transcriptis aliud non resultat, nisi quòd Comes Guglielmus proprium Archivium habebat, ubi scripturas & privilegia sua reponere & conservare faciebat, quòd non negamus, licèt id a Notariis antiquitùs in transumptis de stylo apponeretur: quòd autem scripturæ omnes, quæ in Archivio Comitis Guglielmi servabantur, originales erant, non concedimus, ut ipsemet Comes Guglielmus non affirmat. Quemadmodum accidit in nostro Archivio, in quo, ut inferiùs dicamus, quamvis alicujus scripturæ copia originalis conservetur; adhuc tamen non omnes copiæ, quæ in eo reperiuntur, originales sunt, nec pro originalibus haberi possunt ex eo, quòd in Archivio inveniantur.

Sicuti etiam a firmata conclusione recedendum non est ex nota subscriptionis factæ in pede copiæ testamenti Comitis D. Artalis Cardona in judicio productæ: præscindendo enim, quòd de hujusmodi nota originali non constet: præscindendo quòd nil in memorata subscriptione de Archivio dicatur: præscindendo etiam quòd nullam relationem habere possit Archivium Dominorum Comitum Collesani cum Archivio Comitum Caltanissettæ, cùm quælibet familia suum habeat Archivium separatum; copia subscripta per publicum Notarium ex alia copia extracta est, quæ in posse Comitissæ D. Mariæ existebat, quæ fortè originalis erat; & de matrice aliunde constabat: quapropter non ex hoc, quòd partes ipsius copiæ permiserint productionem, inferri potest, quòd omnes scripturæ, quæ in Archivio conservantur, ut supra dictum est, publicæ sint & originales. 82

Proponit insuper Adversarius, quòd, independenter a loco, scripturæ in Archivio conservatæ, publicæ & authenticæ dici debeant, quia antiquissimæ sunt, & earum aliquæ scriptæ in cartis pergamenis, & a die earum publicationis

jam

jam sunt elapsi centum, biscentum, ac respectivè tercentum anni: vetustas enim & carta scripturas hujusmodi præsumere facit publicas, authenticas & originales: adeout scripturæ ipsæ non indigeant recognitione, nec tabellionatus probatione, ex doctrina Gratian. Scacc. Cavalcan. Pareja & aliorum ab Adversario allegatorum.

Sed propositio non est attendenda: quoniam si hujusmodi Patrum sententia benè perpendatur,
30 concludenter resultabit, † quòd sola temporis antiquitas (ut ipsi confirmant) non sufficiat ad convincendum, quòd scriptura sit publica, authentica & originalis: non enim ex lapsu temporis eam opinionem citati Doctores sequuti sunt, sed quia tot urgebant adminicula, quot ad judicandam veram, publicam & originalem scripturam, sufficientissima erant, quòd pariter nos non negamus, & infra replicabimus.

Et demum proponit Adversarius, quòd scripturis in Archivio conservatis, independenter a loco, & ab eo quòd antiquissimæ sint & scriptæ in membranis, plena fides, præcisè ad regulandam majoratus successionem, veniat adhibenda; cùm hujusmodi exempla penès ultimum possessorem reperta fuerint: ex Molina, Lima, Castillo, Luca, & aliis ab Adversario recitatis. Verùm non ità judicandum
31 est: etenim † relati Patres non ex hoc tantùm moti sunt, quòd exempla reperta sint apud ultimum majoratùs possessorem, sed ex eo pariter, quia aliunde constabat, quòd exempla erant originalia, & a partibus approbata, atque quòd precedenter fuerant observata: quæ circumstantiæ & adminicula in casu nostro non concurrunt. ut legi possunt memoratorum Patrum auctoritates, & aliorum ab Adversario cumulatorum, & præ omnibus opinionis antesignanus Molina *de primog.*
† qui proprium sensum explicat 32
per hæc verba. *Nos autem in casu contingenti vidimus a Supremo Castellæ Consilio præstitam bonorum majoratus possessionem, ex quodam exemplo primogenii antiquissimo, quod penès ultimum majoratus possessorem inventum fuit, & quod tanquam vera scriptura majoratus fuit semper observatum, & cui etiam plura alia veritatis adminicula assistebant.*

Verumtamen qualitas loci, in quo scripturæ conservantur, diligentia in eis custodiendis, & alia superiùs ponderata, parvipendenda non sunt: cùm etsì locus diligentia & alia scripturam informem publicam & authenticam non reddant, si tamen super scripturis antiquis controversia est, de quarum matrice non constet, & tantummodo copiæ habeantur, quæ ad oculum originales appareant; magnum adminiculum præbent, ad judicandum quòd scriptura sit publica & authentica, quòd præsertim in nostro Archivio verificatur, in quo innumeræ adsunt scripturarum copiæ evidenter originales.

Hinc † non generaliter tantùm 33
de

de viribus scripturarum in judicio productarum agendum est, & in Archivio existentium, sed specialiter super qualibet scriptura sermo venit instituendus, super qua Adversarius etiam specialiter insistit: adeout si scripturæ, quibus utitur Dominus Contendens, de originalibus sint, pro originalibus habeantur; sin autem nulla fides eis adhibenda erit, cùm illud nostrum semper fuerit intentum eam propositionem tantùm impugnare, quòd quælibet scriptura eò ipsò quòd in Archivio existat, publica dici debeat & originalis, non autem quòd in Archivio scripturæ originales non existant, quòd fidei, quæ præstanda est Archivio Dominorum Ducum Montisalti, minimè repugnat.

Itaque prima scriptura, quæ se offert examinanda, est testamentum nuncupativum Comitis Matthæi I. prætensum scriptum *anno* 1359. *die* 29. *Novembris*, quod in Archivio per plures copias repetitum videtur, quarum aliquæ ab innumeris erroribus grammaticalibus maculatæ leguntur: una verò aliquo modo sensui grammaticali accommodata conspicitur. Quoad hujusmodi scripturam nil aliud allegamus, nisi quòd copiæ ipsæ, vel ea, quam Adversarius quasi dicit originalem, quia immunis ab erroribus legitur, oculis subjiciatur non quidem in arteperitorum, sed cujuslibet vulgaris amanuensis, qui si dixerit copiam esse originalem, pro originali habeatur: si autem retulerit, quòd scriptura exemplum exempli sit, ut indubitatissimum est; nullam penitùs fidem facere valeat, quia circumstantiæ, verisimilitudines & adminicula, quæ neque pro hac scriptura intercederent, eatenus, ut dictum est, attendenda sunt, quatenus agatur de scriptura, super qua cadit dubietas, an sit nec ne originalis? non autem quando clarissimè constat scripturam non esse originalem, cùm tunc absolutè publica fides scripturæ non concedatur.

Eaque relatio multùm attendi debet, quoniam testimonium, quo utitur Adversarius, in alio non consistit, nisi in eo, quòd authores ab eo relati in Archivio viderint testamentum Comitis Matthæi I: adeout si ex inspectione oculorum hujusmodi copiæ testamenti, copiarum copiæ apparuerint; eorum testimonium in eo consistet, quòd testamentum per exemplum exempli in Archivio ipsi perspexerint.

Illud autem animadvertendum est, quòd Reverendus Pater de Lengueglia, cujus testimonium in contrariùm allegatur, copiam testamenti Comitis Matthæi originalem non referat, sed de eo testetur, uti exemplo exempli: ipse quidem scripturas, quas secundùm proprium sensum credidit originales, in notis marginalibus dicit esse originales: eas verò, quas copiarum copias reputavit, esse originales non dicit. Profectò nostrum testamentum ità refert in to. 1. ritratto 4. fol. 173. *testamento fatto a 29. Novembre* 13. *ind. Arcivo di S. E.* alias verò scripturas, quas supponit originales,

nales, alio modo refert, nempe addendo qualitatem, quòd scriptura sit originalis, ut legi potest in eodem to. 1. ritratto 4. fol. 179. in mentione, quam facit Constantiæ filiæ Comitis Matthæi, nuptæ Blasco de Alagona Comiti Mistrettæ & Regni Magistro Justitiario: ità enim affirmat, *privilegio del Rè Martino originale. Arcivo di S. E.* & alibi passim, ut librum revolventi patebit.

Secunda scriptura est testamentum solemne Comitis Guglielmi Raymundi III. prætensum scriptum *anno* 1394. quod pariter per plures copias in Archivio repetitum legitur, quæ non unicam sed tres supponunt matrices: quarum duæ in sensu Adversarii in Regno existere deberent, si res antiquissima non esset: alia verò Cæsaraugustæ, cùm transumptum ostendat nostri testamenti in Aragonia factum.

Prima igitur copia testamenti, quæ supponit matricem in Regno, testatur, quòd testamentum instante Comite Matthæo II. filio primogenito testatoris, fuerit in actis publicis redactum *anno* 1403. *die* 3. *Maii in Civitate Augustæ.* Copia hæc nullam penitùs meretur fidem, cùm copia copiæ evidentissimè sit. Et quamvis altera copia appareat, quæ in membrana conscripta est, & originalis prætendatur; etiam copia ipsa exemplum exempli esset, si imperfecta non foret: sed nulla ratio de ea habenda venit, quia imperfecta est, clausulas finales non habet, nec testes, atque in ea Notarii subscriptio deficit, ut membrana demonstrat. Si verò copia hujusmodi originalis esset, apertè concluderet, quòd fuerit prætensum, sed non obtentum, quòd testamentum in actis publicis redigeretur: nam hujusmodi publicationem inceptam, non autem perfectam ostenderet, idque confirmaretur ex eo, quia testamentum, quod prætenditur originale, in posse Notarii remansisset, ut debebat, si testamenti publicatio facta esset; sed apud Notarium non remansit, quinimò Sanctifradelli primùm per nonnulla capitula, & postmodùm Cæsaraugustæ transumptatum est, ut mox allegabimus.

Verùm asserta hujusmodi publicatio, ea publicatio non esset, quæ in aperitione testamentorum solemnium adhibenda est, sed purum testamenti transumptum sub synonimo publicationis explicatum: dicitur enim, quòd eam publicationem Comes Mattheus desiderabat, nè fortè originale testamentum amitteret, quamvis apud se retineret, & in loco tuto reponeret: illud enim transumpto, non publicationi testamenti solemnis accommodatur.

Atque transumptum diceretur factum *anno* 1403. de testamento solemni condito per Comitem Guglielmum in ultimis, in quibus agebat, & quòd proximè defunctus erat, & sub eo decesserat: atque etiam quòd apertum Notario traditum fuerat, ut illud traduceret. Ità enim in prætensa publicatione seu transumpto affirmatur: ubi Comes Guglielmus præten-

ſum teſtamentum non in ultimis, ſed *anno* 1394. ſanus mente & corpore, in eodem aſſerto teſtamento condidiſſe dicitur: atque ejus obitus non de proximo, ſed uſque ab *anno* 1397. ſequutus erat, & ſi ſolemne & ſub quo deceſſerat teſtamentum, non apertum, ſed clauſum Judici & Notario, ut illud publicarent, tradendum erat.

Alia verò, quæ pariter in Regno matricem ſupponit, tranſumptum oſtendit factum in Terra Sancti Fradelli *die* 24. *Januarii* 1405. ad inſtantiam Iſabellæ filiæ Comitis teſtatoris, duorum capitulorum, in quibus a Comite teſtatore Iſabellæ, Joannæ & Eleonoræ ejus filiis videntur legatæ dotes. Hujuſmodi copia, quæ in membrana conſcripta legitur, originalis non eſt: & ſi ad rem faceret, poſſet oculis ſubjici peritorum: ſed cùm univerſi teſtamenti tenorem non referat, propterea non eſt attendenda. Adverſarius enim non utitur capitulis tranſumptatis, ſed aliis, de quibus in tranſumpto ne quidem verbum ullum efficitur. Et quamvis in tranſumpto mentio fiat, quòd ab Iſabella fuerit Notario oſtenſum quoddam teſtamentum, ſeu quædam ultima voluntas, ſignatum novem ſigillis de cera rubea, & teſtium ſubſcriptionibus: adhuc tamen, cùm tenor teſtamenti per extenſum non inſeratur, nec Notarius alia capitula referat; nihil eſt quò uti poſſit Adverſarius. Illud tamen animadverſione digniſſimum cenſeo, quòd ſi Auguſtæ teſtamentum tranſumptatum ſive publicatum fuerat; copia capitulorum ex copia tranſumpti fieri debebat, non ex teſtamento originali, quod apud Comitem Matthæum ſervabatur: & ſi *anno* 1403. in poſſe Comitis Matthæi remanſerat, quomodo *anno* 1405. idem in poſſe Iſabellæ repertum eſt?

Ultima copia, quæ ſupponit matricem in Civitate Cæſarauguſtæ, tranſumpti eſt noſtri teſtamenti facti *anno* 1413. *die* 4. *Maii*. Copia tamen hujuſmodi tranſumpti originalis non eſt, licèt amanuenſes eam in julianis originalem referant: non enim iis ſignis inſtructa conſpicitur, quæ forent ad opus neceſſaria. Quidquid autem de hoc ſit, copia ipſa attendenda non eſt; quia teſtamentum, quod ſupponitur tranſumptatum, non eſt originale, ſed mera ſcriptura privata: & ſi aliquid olim fortè fuit, ſubſequenter fuerat revocatum. Communis enim Doctorum ſchola nos docet, quòd † ubi ſcriptura 34 tranſumptata originalis non eſt, alioſve patitur defectus; per hoc quòd millies traducatur, diverſam naturam non aſſumit, ſed ſemper, ut erat, remanebit. Covarruv. *pract. quæſt. cap.* 21. *n*.4. Mareſcot. *var. reſol. lib*.1. *cap*.81.*n*.3. Miſinger. *obſ*. 73. *num*. 14. *art*. 6. Ludoviſ. *deciſ*. 432. Rot. Rom. *deciſ*. 224. *n*. 16. & 17. *p*. 6. *rec*.

Jam verò teſtamentum tranſumptatum originale non eſt, quoniam nec aliquis fuit, qui teſtamentum exhibuit ut traduceretur, & dixit, teſtamentum eſſe originale, atque a Comite Matthæo, pe-

penès quem servabatur habuisse: neque testes adhibiti sunt, qui scripturam recognoverint, ut de jure requiritur. Quinimò Notarius, in cujus actis transumptum factum est, testamentum dixit *assertum* & *ut asseritur*: adeout nedum testamentum esse originale non affirmaverit, verùm etiam de eo valdè dubitaverit. Verba Notarii hæc sunt. *Hoc est translatum, benè & fideliter sumptum a quodam* asserto *testamento nobilis Guglielmi Raymundi de Montecateno quondam Comitis Augustæ & Nucariæ, ac Magistri Justitiarii in Regno Siciliæ, scripto seu continuato in tribus foliis papyri majoris formæ manu Notarii Joannis de Notario Raynerio: prout in quadam scriptura, quæ in dorso ipsorum foliorum papyri continuata existit, visum extitit contineri. Quod quidem testamentum in dictis papyri foliis scriptum, ut prædicitur, sigillorum dicti nobilis Guglielmi Raymundi quondam, ac novem testium subscriptorum, & testificantium in eadem impressione munitum*, ut asseritur, *fuerat: quorum tamen sigillorum vestigium tantummodo apparebat, cùm ipsorum ocularis impressio destructa penitùs videretur*.

Verùm hujusmodi recognitione ad transumptum perficiendum opus non esse, affirmat Adversarius, eo sub prætextu, quòd priscis illis temporibus stylus inoleverat, quòd transumpta fierent absque eo, quòd scriptura recognosceretur: atque satis erat, quòd Notarius, qui transumptum faciebat, suâ peritiâ dignoscebat, in scriptura nullum adesse vitium.

Hoc autem quòd antiquitùs scripturæ recognitio non requirebatur, probari minimè potest; quoniam legalis dispositio contraria est, atque transumptum regulariter scripturæ recognitionem ostendit, ut † transumpta etiam 35
antiqua in Regno facta testantur.

Quòd si etiam transumpta in Regno habeantur, ut refert Adversarius, quæ recognitionem non continent; scripturam transumptatam nullam fidem facere judicandum est: præsertim ubi, prout in casu nostro, qui transumptum petiit, & dixit, scripturam esse originalem non indicatur, aliæve inverisimilitudines intercedunt: atque Notarius, qui transumptum facit, scripturam esse originalem, vitioque carere non affirmat, sed ad scripturæ veritatem se remittit; nullo enim jure concludi potest, ut sæpiùs dictum est, quòd ex hoc, quod scriptura traducatur, originalis dici debeat.

Replicat nihilominus Adversarius, quòd imò in eodem transumpto affirmetur, testamentum habuisse faciem originalis, quia in eo sigillorum impressio enunciatur. Sed præscindendo quòd scriptura dici non posset originalis ex eo solùm, quòd faciem haberet originalis; sigillorum impressio non justificatur. In transumpto enim tantummodo dictum est (ut Notario relatum fuerat) quòd olim testamentum sigillorum impressione munitum erat: atq; statim subjunctum fuit, quòd sigillorum vestigia tantùm apparebant, & quòd eorum impressio pe-

penitùs discerni nequibat. Et sanè
36 † si ex hoc, scriptura dici debebat originalis; Notarius, qui testamentum transsumptavit, non dixisset *assertum*, nec *ut asseritur*, sed testamentum uti originale transsumptasset. Buratt. *decis.* 472. *n.* 3. & 4.

Replicat iterum Adversarius, quòd testamentum originale dici debeat ex enunciativa de eo facta per testatorem in suo codicillo. Verùm præscindendo quòd an codicillus sit nec ne originalis? sub judice pariter lis est; etiamsi originalis esset, non ex hoc testamenti authenticatio resultaret.
37 Nam † si de aliquo instrumento in pluribus scripturis authenticis mentio fiat, eo etiam cum die & consule kalendato (quod in thesi nostra non concurrit, quia tantùm in folle nostrum testamentum enunciatur) ex eo inferri non potest, quòd instrumentum exhibitum sit illud, quod legitur enunciatum, adeout pro originali habendum sit. Quoniam æquè benè stare potest, quòd factum fuerit instrumentum, sed sub alia forma, diversâ quidem a tenore instrumenti, quod exhibetur: præsertim quia in codicillo affirmatur, testamentum factum fuisse in Terra Minæi, & nihilominus testamentum exhibitum id non affirmat; quinimò testator in testamento exhibito de Terra Minæi, sermonem facit, & non dicit, *in hac Terra Minæi*, nec quòd testamentum in ea perficiebatur: atque satis ostendit, quòd alibi quàm in ea illud conditum sit. Cutell. *orat.* 28. *n.* 11. & 12. *tom.* 1. Grofs. *controv.* 3. *n.* 23. & 27.

Rursus testamentum Comitis Guglielmi Raymundi III, etiamsi fuisset originale, dici deberet scriptura privata, nullaque de eo in præsenti judicio possessorio ratio habenda esset: cùm publicatum non fuerit. Ad hoc enim † ut testamentum publicum sit, & vim habeat publici instrumenti, opus est publicatione, & quòd judex suâ sententiâ seu interloquutoriâ declaret, scripturam illam esse publicam, ipsiq; fidem esse adhibendam: nam si publicatio deficiat, testamentum tanquam scriptura privata, nullam merebitur fidem. Menoch. *cons.* 180. *n.* 22. *vers.* 6. Idem *de adipisc. possess. rem.* 4. *n.* 659. *vers. secundus casus*, & 660. 38

Neque prodest objectio, quòd publicatio veniat præsumenda, cùm in antiquis versemur, ex Cravett. & Luca ab Adversario allegatis. Etenim Patres hujusmodi de aliis testamenti solemnitatibus loquuntur, quæ per antiquitatem supplentur; non autem † de 39
testamenti publicatione, quæ præsertim in casu nostro suppleri minimè valet. Quoniam transsumptum de originali testamento factum prætenditur, non de copia originali testamenti jam publicati, ut esse deberet, si testamentum publicatum fuisset: in actis enim illius Notarii testamentum originale remanere debebat, in quibus facta erat publicatio, & in Aragoniam duci non poterat, & ibi transsumptari: cùm illud servari non possit in testamentorum publicatione,

tione, quod practicatur in tranſ-
ſumptis, quæ Partibus ſolent per
apocam accommodari; ſi tamen
id in tranſumptis, ut in præſentia-
rum ſervatur, ea tempeſtate ſer-
vabatur.

Sicuti etiam non valet alia ob-
jectio, quòd teſtamentum inter li-
beros publicatione non indigeat.
Siquidem Doctores, qui hoc af-
firmant, de ea publicatione lo-
quuntur, quæ fit per Notarium
coram teſtatore ac teſtibus; non
40 autem † de ea, quæ fit poſt mor-
tem teſtatoris coram aliis teſtibus
in publicatione adhibendis: ut le-
gi poteſt Caſtill. *controverſ. lib.* 4.
contr. 21. *n.* 90. *à parte allegatus.*

Neque juvat inſiſtere, quòd te-
ſtamentum publicatione non ege-
bat, quia factum fuerat a publico
Notario. Quoniam id in teſta-
mento nuncupativo procedit, &
in eo, quod in actis publicis ini-
41 tum eſt; non autem † in teſtamen-
to ſolemni ſcripto tantùm per No-
tarium, cui conſignatum non fuit,
ſed apud ipſum teſtatorem con-
ſervatum eſt, & poſt ipſius mor-
tem, apertum a Comite Matthæo,
Notario & Judici conſignatum
fuit: ut legi poſſunt Piſtor. *obſer.*
199. Capon. *diſcept.* 291. *&* 292.
per tot. ab Adverſario citati.

Ulteriùs, teſtamentum publi-
cum non eſt, ſed imperfectum &
nullum, quia in eo deficit dies &
locus ubi confectum fuit. Nedum
enim regulariter in publico in-
ſtrumento requiritur dies & lo-
cus, ſed, cùm verſemur in teſta-
mento, præſumitur teſtatorem vo-
luntatem perfectam non habuiſſe:
præſertim quòd defectus hujuſ-
modi a ſui principio in teſtamen-
to extitiſſe videtur; nam fortè cor-
roſum a tempore non fuit. Quo-
niam etſi Notarius tranſumprans
alias corroſiones enunciet, hanc
tamen non indicat, & diem relin-
quit in albo: ut pariter in aliis te-
ſtamenti tranſumptis, quæ ſupra
retulimus, dies in albo relictus
eſt; quo caſu † inſtrumentum ne- 42
que perfectum neque publicum
dici poteſt. Rot. poſt Poſth. *deciſ.*
643. *n.* 39. Luca *de teſtam. diſc.* 66.
n. 20. Et in terminis † defectùs 43
diei, quòd nempè annullet inſtru-
mentum, Fontanell. *de pact. clauſ.*
1. *n.* 1. *ad* 4. *incluſivè, tom.* 1.

Neque prodeſt objectio, quòd
inter liberos omiſſio diei non vi-
tiet teſtamentum. Nam (quidquid
ſit in teſtamento nuncupativo vel
alio inſtrumento, quod ſcriptu-
ram non requirit) in teſtamento
† ſolemni, ad terminos *l. hac con-* 44
ſultiſſima, in quibus verſamur, il-
lud non procedit, cùm in eo omiſ-
ſio diei vitiet teſtamentum, etiam
quòd ſit inter liberos, cùm illud
imperfectum, ratione voluntatis,
oſtendat. legi poſſunt Berous *qu.*
36. Guidopapa *deciſ.* 582. & Fon-
tanell. *de pact. loc. cit. ab Adverſa-
rio allegati.*

Tandem verò teſtamentum † di- 45
ci debet nullum & revocatum,
quoniam cordulæ, quibus fortè
ligatum erat, interciſæ videntur,
& ablata ſigilla: adeout nonniſi
purum illorum veſtigium appare-
ret. *L.* 1. *§. ſi linus ff. de bonor. poſ-
ſeſſ. ſecund. tabulas. L. noſtram C.
de teſtam.* Quamvis autem magna

sit quæstio inter Doctores, an cordularum intercisio, vel signorum ablatio testamenti denotet revocationem, præcisè inter liberos? 46 adhuc tamen † istis circumstantiis copulativè concurrentibus, nempè fractura sigillorum, cordularum intercisione, & defectu diei, de revocatione dubitari non valet. Fontanell. *decis.* 49. 50. & 51. Capon. *discept.* 291. *dub.* 2. *n.* 9. Mastrill. *decis.* 132. *per tot.* Castill. *decis.* 59.

Cœterùm, testamentum nullum, informe, imperfectum, revocatum censeri debet, ex regula, quòd *singula, quæ non prosunt &c.* Quis enim vestrum, perspicacissimi atque integerrimi Judices, attentis omnibus circumstantiis superiùs allegatis, affirmabit, hoc esse testamentum Comitis Guglielmi Raymundi III. & sub eo Comitem ipsum decessisse, si, ut infra dicemus, nunquam pariter executioni traditum, aut saltem kalendatum est?

Tertia scriptura, quæ se offert examinanda, est codicillus ejusdem Comitis Guglielmi Raymundi III. prætensus factus *anno* 1397. *die* 18. *Julii*, cujus copiæ pariter in Archivio repetitæ leguntur. Hujusmodi codicillus unicam matricem recognoscit, & ea quidem est ipsius transumptum factum in Civitate Cæsaraugustę *die* 23. *Aprilis* 1414. instante Comite Joanne de Moncada tunc Domino Ferulæ, altero ex filiis Comitis testatoris. Si autem copia transumpti, quæ in membrana scripta videtur, sit nec ne originalis? peritus judicet.

Duo tamen contra hujusmodi codicillum animadversione dignissima sunt, quorum primum est, quòd codicillus originalis dicitur a solo Comite Joanne, ad cujus instantiam transumptum factum est: nam testes ad illius recognitionem adhibiti non sunt, nec Notarius codicillum esse originalem affirmat, aut saltem originalem esse subscriptionem serenissimorum Regum Martini & Mariæ, a quibus signatus supponitur. Et alterum, quòd de codicillo nec in Regno nec alibi constat, neque per aliquam vagam enunciativam: verumtamen est, quòd aliam matricem enunciet Adversarius, quæ supponit aliud transumptum factum post dies decem & septem a primo transumpto, nempe *die* 10. *Maii* ejusdem *anni* 1414. quod usque adhuc non vidimus. Sed ex eo materia magis involvitur: nam si codicillus *die* 23. *Aprilis* 1414. in posse remanserat Comitis Joannis, quomodo *die* 10. *Maii* ejusdem anni penès alium advenit, qui fecit illud iterum transumptare? Et si jam transumptum codicilli factum erat, ut quid transumptum post paucos dies in eadem regione absque ulla necessitate repetere?

Quarta scriptura est rescriptum Regis Martini senioris, prætensum emanatum *die* 31. *Maii* 1410. quo prætenditur Comitem Guglielmum Raymundum III. fuisse declaratum innocentem. De viribus hujus scripturæ scripsimus supra: proindeque omnia ea pro ipsius inverisimilitudine repetenda

da veniunt, quæ ibi latissimè dicta sunt.

Et demum quinta scriptura est transactio, quæ conventa supponitur inter Comitem Guglielmum Raymundum IV. & Gastonum ejus fratrem *anno* 1424. *die* 29. *Maii*: sed quia hujusmodi scriptura evidentissimè exemplum exempli est, atque de ea nullibi facta mentio videtur; alia animadversione ipsa non indiget, nisi quòd oculis subjiciatur.

Præmissis autem pro coronide addendum est, quòd scripturæ, de quibus agitur, haud unquam fuerunt executioni mandatæ, neque unquam in aliquo instrumento kalendatæ sunt: ubi præsertim testamenta & codicillus si perfecta fuissent, atque in publicam formam redacta, vel sub eis Comes Matthæus & Comes Guglielmus Raymundus decessissent; cùm occasio præbuit, præsentata essent, atque super eis jus suum interesse habentes instituissent: & præcipuè C. Matthæus, qui dicitur testamentum paternum transumptare fecisse, de eo in suo testamento, in quo de Comitatu Caltanissettæ liberè disposuit, verbum aliquod, etiam illud impugnando, dixisset: quòd si ità exequutum non est, manifestè detegitur, scripturas omnes, super quibus quæstio est, pro nihilo reputatas fuisse. Quamvis autem, ut superiùs dictum fuit, de testamento Comitis Guglielmi Raymundi mentio fiat in donatione, quam fecit *anno* 1421. Guglielmus Raymundus, prætensus patris hæres universalis, Comiti Matthæo II. ejus fratri; adhuc enunciatio vaga est, & testamentum cum die & consule aut unquam transumptatum non indicat: atque donatio ipsa, in qua legitur enunciativa, exemplum exempli pariter est: adeout universus Adversarii discursus super copiarum copiis institutus videatur.

Jam verò si ex processu scripturæ controversæ tollantur, ut per actum provisionalem pro ablatis haberi debere mandastis, ubi de eis legitimè non constaret, prudentissimi Patres: atque eam fidem facere debere, quam de jure facere possunt; nihil est, quod contra Dominæ Clientis lucidissima jura opponi possit. Atque concludere fas erit, quòd † in præsen- 47
ti judicio possessorio summariissimo, cùm se fundet Domina Cliens in scripturis publicis, originalibus & authenticis, Dominus verò Contendens in instrumentis, de quorum fide saltem dubitatur; Domina Cliens veniat proculdubio, ad terminos *legis fin. C. de edicto Divi Adriani tollendo*, in possessione manutenenda, juxta firmata per Fabr. *in C. lib. 4. tit. 16. de fide instrum. def. 3. vers. sed hinc inde.* Pareja *de instrum. edit. resol. 3. §. 3. a n. 65. tom. 1. & tit. 7. res. 5. n. 34. & 36. tom. 2.* Ut enim † su- 48
per manutentione possessionis tractari posset, priùs ex adverso judicium ordinarium super instrumentorum veritate & publicitate institui deberet; eoque deciso, judicium possessorium esset instituendum: ut in similibus advertunt

tunt Costa *conf.* 73. *a n.* 1. Grofs. *contr.* 3. *per tot.* Ill. de Gaston. *discept.* 15. *n.* 21. Et cùm jus suum Dominus Contendens ex testamentis metiri prætendat vel Comitis Matthæi I. vel Comitis Guglielmi Raymundi III. contra quæ tanta atque talia dicta sunt, ut ex eis potiùs Dominæ Clientis justitia, quàm Domini Ducis Sancti Joannis prætensio confirmata dicatur: & aliunde Domina Cliens jus suum ex privilegiis hauriat, & testamento Comitis Matthæi II. atque a solemnissima transactione stipulata sub *anno* 1466. contra quæ nihil penitùs opponi potest; Dominæ Clienti possessionis manutentio concedenda est. Ubi

49 enim † duo appareant fideicommissa & testamenta, primum turbidum & intricatum, alterum verò clarum & inconcussum; tunc semper manutenendus est ille, qui per secundum fideicommissum videtur ad successionem admissus, & ex testamento claro & incontrovertibili: alteri verò, qui jus suum fundare prætendit in fideicommisso turbido, jura sunt reservanda in judicio plenario seu petitorio. Argel. *de legit. contradict. art.* 22. *quæst.* 10. *a n.* 277. Rot. Rom. penès Dunozzet. *decis.* 9. *& p.* 11. *decis.* 196. *n.* 39. Luca *de fideic. disc.* 198. *n.* 11. *Et alii innumeri penès eos.*

Atque tandem replicare concludendo licebit, quòd in dubio, semper favore Dominæ Clientis, tanquam filiæ ultimi posseſsoris & hæredis scriptæ, judicandum sit: quidquid ad probandum ultimum statum in contrarium afferatur. Testamentum enim & fideicommissum Comitis Joannis Thomæ conditum *anno* 1501. quod ad ultimum statum favore agnationis comprobandum expenditur, quanquam posteriùs sit transactione inita sub *anno* 1466. inter Comitem Antonium & Comitem Joannem Thomam, in qua, punctualisſimè favore Dominæ Clientis præsentis controversiæ punctus terminatus est, ad regulandam succesſionem Comitatùs Caltanisettæ nullo jure allegari potest: ut supra latiùs scriptum fuit.

Parcat itaque, supremi Judices, Dominationum Vestrarum Ill. & admodum Spectabilium admiranda benignitas, si prolixiùs, quàm deceret, præsens oratio conscripta sit; non enim ingenio indultum est, sed materiæ: ipsa quidem in immensum excurreret, si summa rerum fastigia sequutus non esſem.

Finis Discursùs Primi.

DI-

I. Guglielmus Raymundus de Montecateno Dominus Augustæ, vir Luchinæ Alagona.

Matthæus de Sclafano Comes Adernionis & Centurpii.

II. C. Guglielmus Raymundus cum — C. Margarita primogenita.

C. Aloysia secundogenita, cum Comite Guglielmo de Peralta.

I. C. Matthæus vir primò Joannæ Peralta, & secundò Allegrantiæ Abbate.

Guglielmus. — Matthæus.

C. Antonius secundogenitus, dictus de Sclafano, Comes Adernionis.

III. C. Guglielmus Raymundus primogenitus, solus ex primo matrimonio.

Petrus. — Joanna. — Elvira. — Constantia.

Guglielmu

Allegrantia naturalis. — Guglielmus Raymundus naturalis.

C. Joannes secundogenitus, Dominus Ferulæ, & deinde Comes Adernionis, hæres Comitis Antonii patrui.

II. C. Matthæus primogenitus Comes Augustæ, & deinde Comes Caltanissettæ.

Guglielmus Raymundus.

Joannes. — Nicolaus

Nicolaus. — Agatha. — Matthæus

Antonius Perius Baro Ferulæ.

IV. C. Guglielmus Raymundus Comes Adernionis.

I. C. Antonius secundogenitus, olim frater Divi Dominici, & postea Comes Caltanissettæ.

IV. C. Guglielmus Raymundus primogenitus, Comes Caltanissettæ. Obiit sine filiis legitimis.

Gastonus Baro Castrinovi.

C. Joannes Thomas Comes Adernionis, deinde etiam Comes Caltanissettæ.

V. C. Guglielmus Raymundus Comes Adernionis & Caltanissettæ cum — C. Contissella.

II. C. Antonius.

I. C. Franciscus.

I. C. Cæsar.

II. C. Franciscus.

III. C. Antonius.

I. C. Aloysius S.R.E. Card.

I. C. Ferdinandus ultimus moriens.

I. C. Catharina Cliens.

Federicus Dux Fernandinæ Contendens.

Ignatius.


Ferdinandus.

Aloysius Guglielmus Dux Sancti Joannis Contendens.

DISCURSUS SECUNDUS

SUPER SUCCESSIONE

COMITATUS ADERNIONIS ET CENTURPII.



SUMMARIUM.

Facti historia. n. 1. *Summa totius discursùs. n. 2.*



Quod aliis arma; Montecatenis etiam armigeris & bellicosis, quique ex avitis, atque strenuissimis gestis, alios quæsierant status & dignitates; nuptiæ concessere. Ex nuptiis equidem per C. Guglielmum Raymundum, hujus nominis Primum, cum Comitissa Luchina de Alagona contractis, ut in primo discursu visum est; Montecateni Comites Caltanissettæ dicti sunt: & ex iisdem per Comitem Guglielmum Raymundum II. illius filium celebratis cum Comitissa Margarita de Sclafano, primogenita Comitis Matthæi de Sclafano; Comites Adernionis & Centurpii fuere salutati. Quocirca cùm de hujusmodi Comitatu pariter contentio sit; ea omnia vobis, supremi Judices, patefaciam, quæ a Comitatùs possessoribus, usque ad obitum Comitis D. Ferdinandi ultimò defuncti, gesta sunt. Iis equidem fidelissimè relatis, ac apertissimis expositis Dominæ Clientis juribus, quæ a clausula juris francorum constantissimè tutantur; vestrum erit decernere, an ea Dominæ Clienti filiæ ultimi possessoris, & hæredi scriptæ, an verò faveant Domino Duci Sancti Joannis, qui eam successionem, etsì per fœminam feudum obveniat, etiam ex agnatione contendit?

Itaque † Comitem Matthæum de Sclafano Comitissæ Margaritæ genitorem, Comitatus Adernionis & Centurpii, usque ad ultimum ejus vitæ tempus fuisse possessorem, in dubium non revocatur: nostra enim regia Cancellaria, cujus illibatam fidem in omnibus fermè meis assertionibus sequutus sum, id apertè testatur, publicave confirmant authentica documenta. 1

Quonam verò tempore atque anno, quave sub verborum forma Comiti Matthæo principalis hæc facta fuerit concessio, & an in limine acquisitionis regia largitas intercesserit, regia Cancellaria non ostendit, nec alii, quos legerim, affirmant siculæ historiæ scriptores: id autem causæ fuit, ut Comitem Matthæum de Sclafano Comitatùs Adernionis & Centurpii injustum occupatorem denun-

ciaverit Joannes Lucas Barberius *in ejusdem Comitatùs Capibrevio*: licèt affirmare non desinat, quòd in regia Cancellaria privilegia reperiantur de Comitatu Adernionis & Centurpii per serenissimos Siciliæ Reges Montecatenis concessa tanquam Comitis Matthæi successoribus. Verùm Comitem Matthæum ex regia concessione Comitatum possedisse aperuit eruditissimus Abbas D. Rocchus Pirrus *in sua Sicilia Sacra*, *in notitia prima Ecclesiæ Catanensis*: ubi dixit, Hadranum, quod nobis est Adernionum, fuisse *anno* 1303. Comitatùs titulo, sub ditione Matthæi de Sclafano, insignitum. Et quisque nostrum id pariter affirmaret, & quidem prudentissimè, si Comes Matthæus de Sclafano Regibus in Regno præsentibus, Comes Adernionis dictus est, & acta per eum gesta, fuerunt a Regibus approbata: ut in discursu ad oculum demonstrabitur.

Ipse ergo Comes Matthæus de Sclafano nostri Comitatùs possessor, ac pro primo habitus acquisitore, cùm aliæ ante ejus possessionem in regia Cancellaria concessiones non appareant; Anno 1324. die 13. Octobris, cùm ditissimus esset, nuptui tradidit Comitissam Margaritam ejus primogenitam, ex eo genitam & Comitissa Bartholomæa de Incisa ejus prima uxore, Comiti Guglielmo Raymundo de Montecateno, hujus nominis Secundo. Cujus matrimonii contemplatione Comes Matthæus de Sclafano Comiti Guglielmo Raymundo I. sponsi genitori, dotem pro filio tradidit unc. 1800.

Anno 1333. die 6. Augusti. Comes Matthæus de Sclafano per suum nuncupativum testamentum, quod primum dictum est (cùm tria testamenta confecerit, unde an sub tertio, vel sub secundo, ut fuit exequutum, decessisse contenditur) hæredes sibi scripsit universales Matthæum ex prædicta Comitissa Margarita ejus primogenita nepotem, & Aloysiam alteram ejus filiam infantem.

Atque inter scriptos hæredes universum patrimonium hoc modo divisit: nempe Matthæo bona omnia per ipsum testatorem ultrà flumen salsum possessa (in quibus noster includitur Comitatus) assignavit: Aloysiæ verò ea bona reliquit, quæ ab eo citrà flumen salsum possidebantur, inter quæ Sclafanum, Ciminna, Clusa, & alia castra, feudave includebantur.

Eamque succedendi legem ità propriis indixit hæredibus, ut fœminæ ad successionem fuerint invitatæ in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs: onere tamen omnibus penitùs successoribus injuncto, deferendi testatoris cognomen & arma, nimirùm duplicem gruem, quam excipiat campus albus & niger. Adamussim tamen universam succedendi formam referre opus non est; cùm per bina sequentia fuerit per testatorem ab hoc primo testamento recessum.

Anno 1348. die 28. Maii. Comes Matthæus de Sclafano secundum scripsit pariter nuncupativum

rum testamentum: ad cujus tenorem, rescissâ quâcumque aliâ per eum hactenùs manifestatâ ultimâ voluntate; suos hæredes universales instituit eundem Matthæum nepotem, Comitissæ Margaritæ & C. Guglielmi Raymundi II. filium, eandemque Aloysiam a testatore genitam & Beatrice de Calvello secundâ uxore, jam antea Comiti Caltabillottæ nuptui traditam.

Eandem itidem fecit bonorum divisionem, quæ in prioribus testamentariis tabulis continebatur: nempè, iterum Comitissæ Aloysiæ bona, quæ citrà flumen salsum possidebat: & nostrum Comitatum Matthæo nepoti reliquit. Eo ordinato, quòd post priorum hæredum mortem, ipsorum liberi legitimi & naturales succederent, & liberorum liberi, hisce sub capitulis: nempè, pro successione Comitissæ Aloysiæ.

Item (inquit testator) *si fortè liberi ex ipsa Comitissa Aloysia legitimi & naturales ex legitimo matrimonio ipsius de suo corpore descendentes procreati vel etiam procreandi, fuerint superstites eidem Comitissæ Aloysiæ, vel legitimo marito suo vel ambabus, & mori contigerit in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine liberis masculis ex eorum corporibus legitimè descendentibus; in eum casum & quemlibet ipsorum, prædicta bona omnia stabilia, feudalia & burgensatica perveniant & pervenire debeant pleno jure ad prædictum nobilem Matthæum filium masculum Domini Comitis Guglielmi cohæredis Comitissæ Aloysiæ prædictæ, & ejus filios masculos nascituros: nativitatis ordine, & prærogativâ servatis.*

Item si fortè ex filiis legitimis & naturalibus Dominæ Comitissæ Aloysiæ & legitimi mariti sui filii masculi, vel filius masculus procreari contigerit, & in pupillari ætate decesserint; prædicta bona omnia stabilia, feudalia & burgensatica, post mortem dictæ Comitissæ Aloysiæ, perveniant & pervenire debeant ad prædictum Matthæum nepotem ipsius testatoris, cohæredem Aloysiæ supradictæ, & filios masculos ejusdem Matthæi, ut præscribitur. Et in casu quò dictus Matthæus non supererit, vel ejus filius masculus; prædicta bona omnia stabilia, burgensatica & feudalia remaneant & perveniant filiæ vel nepti prædictæ Comitissæ Aloysiæ filiæ ipsius testatoris, suscipiendæ sibi ex legitimo marito suo: dummodo filia vel neptis ipsius Comitissæ Aloysiæ nubat sub conditione, quòd vir ejus cognominetur cognomine dicti Comitis Matthæi testatoris, & ejus signa deferat, sive arma. Ità quòd in omnem casum, filius masculus ex legitimo matrimonio dictæ Comitissæ Aloysiæ filiæ ipsius testatoris jam natus vel nasciturus, ipsius testatoris cognomine cognominetur: sive in defectu ipsorum filiorum suorum, ut supra dictū est, ille, qui succedat in prædictis bonis stabilibus, feudalibus & burgensaticis citrà flumen salsum, inter quæ includitur terra Sclafani Domini testatoris, pro eo, quòd idem Dominus Comes cognomen sumpsit ab ipso; omnino signa, seu arma ejus deferat, & suo cognomine cognominetur, sive ipsa bona habeat jure successionis, sive ex titulo dotis: aliàs cadat a successione prædicta. Et istud nomen co-

gnominationis dicti testatoris, & signorum habeat quicunque successurus in dicta Terra Sclafani: aliàs cadat a successione ipsa, & successio ipsa deveniat ad servantes voluntatem testatoris ejusdem.

Item si fortè ex prædicta Comitissa Aloysia filia prædicti testatoris, & ex legitimo marito suo proles legitima non superstiterit, vel ex eorum filiis; in eo casu, post mortem ipsius Comitissæ Aloysiæ, bona ipsa perveniant ad prædictum Matthæum cohæredem suum, & ejus filios: & in eorum defectu, ad fratres ipsius Matthæi: & in ipsorum defectu, ad filios eorundem: & in defectu omnium masculorum, ad filias fœminas eorundem. Hoc semper intellecto, quòd successio ipsa prius ad masculos ejusdem gradùs, quàm ad fœminas devolvatur.

Et pro successione Comitis Matthæi, hisce sub aliis capitulis. *Quòd si fortè* (subjungit testator) *liberi legitimi & naturales procreandi ex prædicto Matthæo & legitima uxore sua de legitimo matrimonio de suo corpore descendentes, fuerint superstites ipsi Matthæo, & mori contigerit in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine liberis ex eorum corpore legitimè descendentibus; in eum casum & quemlibet ipsorum prędicta bona omnia stabilia, feudalia & burgensatica perveniant & pervenire debeant pleno jure post mortem prædicti Comitis Matthæi nepotis ipsius testatoris, ad prædictam Comitissam Aloysiam filiam suam, vel ejus filios masculos: nativitatis ordine & prærogativà servatis.*

Item si fortè ex filiis legitimis & naturalibus prædicti Matthæi, filii masculi vel filius procreari contigerit, & in pupillari ętate decesserint; prędicta bona omnia stabilia, feudalia, post mortem dicti Matthęi, perveniant ad prędictam Comitissam Aloysiam, & filios masculos ejusdem, ut præscribitur: & in casu quò dicta Comitissa Aloysia non supererit, vel ejus filius masculus; bona prędicta feudalia & stabilia & burgensatica remaneant & perveniant filię vel nepti dicti Matthęi, suscipiendis seu nascituris sibi ex legitimo matrimonio legitimè descendentibus: dummodo dicta filia vel neptis ejusdem sub hac conditione nubat, quòd vir ejus cognominetur cognomine dicti testatoris, & signa deferat ejusdem testatoris, seu arma. Itaut in omnem eventum tam dictus Matthęus nepos ipsius testatoris, quàm filius masculus ex suo corpore legitimè descendens nasciturus, aut in defectu ipsorum filiorum suorum, ut supra dictum est, ille, qui succedet in prędictis bonis, tam jure successionis ultimę voluntatis, quàm ex causa dotis, omnino signa seu arma Domini Comitis Matthęi deferant, & suo cognomine cognominetur: aliàs cadant à successione prędicta. Et istud onus cognominationis & signorum habeat quicunque successurus in bonis prędictis: aliàs cadat a successione ipsa, & observantibus voluntatem Domini testatoris applicetur, ut supra.

Ac pro utriusque hæredis successione, hæc testator adnotavit. *Item si fortè tam ex prędicto Matthęo, quàm ex prędicta Comitissa Aloysia filius masculus ex legitimo matrimonio ipsorum non nasceretur, aut non superesset, ut supra dictum est,*

eſt, & filia vel filiæ fœminæ ex utroque naſcerentur, & ſuperſtites eſſent; quòd in eum caſum qualibet dictarum filiarum, quę veniret ad maritum, ſuccedat in dictis bonis ſtabilibus, feudalibus & burgenſaticis provenientibus patri vel avo eorum a dicto Comite Matthæo teſtatore: cum hac conditione, quòd dictę omnes filię fœminę nubant cum conditione, quòd viri earum portent ſigna dicti teſtatoris, & ſuo cognomine cognominentur: aliàs bona non habeant ſupradicta, ſed obſervantibus voluntatem Domini teſtatoris applicentur, ut ſupra.

Item voluit & ordinavit dictus teſtator, quòd quicumque ſucceſſor ſuus fuerit in bonis feudalibus ſupradictis, tam ex parte prædicti Matthæi incluſive, quàm ex parte dictæ Comitiſſæ Aloyſiæ, hæredumque ſuorum, deferat & deferre debeat arma ſeu ſigna teſtatoris, ſine aliqua immixtione aliquorum ſignorum, videlicet, duas grues in campis albo & nigro hinc inde paratis. Et in cognomine ipſius teſtatoris idem intelligatur, videlicet, quòd cognominetur de Sclafano, & abſque aliqua adjunctione alicujus cognominis. Quòd ſi ſecùs fecerit, ſubjaceat pœnis prædictis, videlicet, quòd cadat a ſucceſſione prędicta, & devolvatur ſucceſſio prædicti Matthæi ad prædictam Comitiſſam Aloyſiam, & filios ejus legitimos & naturales, deferentes arma & cognomen ipſius teſtatoris: & è contra, ſucceſſio prædictæ Comitiſſæ Aloyſiæ devolvatur ad prædictum Matthęum, & ejus filios legitimos & naturales deferentes eadem ſigna, & ipſius cognomine cognominentur. Et ſi fortè dicti hæredes vel eorum ſucceſſores non ſervarent voluntatem teſtatoris ejuſdem, in cognomine & armis, ut ſuperiùs eſt expreſſum; ipſo facto cadant ab hæreditate prędicta: & in eo caſu hæreditas devolvatur ad Curiam: dummodo quòd ipſa Curia omnia & ſingula diſpoſita in præſenti teſtamento teneatur adimplere, quantùm ad legata, debita, fideicommiſſa & libertates, & confirmationes donationum factarum per eundem teſtatorem particularibus perſonis, prǽterquàm dictis ſuis hæredibus. Et ſi omnia bona prędicta propter defectum dictorum hęredum ad dictam Curiam devenire contigerit; ipſa Curia debeat retinere, uti, frui, quouſque filii dictorum contravenientium perveniant ad ætatem legitimam. Qui filii, ſi diſpoſitionem dicti teſtatoris ſervare voluerint, & ſervare promiſerint cum effectu; in eo caſu bona dicti teſtatoris repetant & habeant a dicta Curia, ac ſi in eis eſſent principaliter inſtituti: dummodo quòd ſervent prędicta in proximo capitulo diſpoſita.

Prævidit pariter Comes ipſe teſtator caſum nativitatis alicujus ſui filii maſculi, eumque naſciturum, inſtituit eis vinculis, quibus maſculi fœminæve eſsent in omnibus ejus bonis ſucceſsuri: itidemque poſthumæ providit, quatenus ipſa naſceretur, per infraſcripta capitula. *Item voluit & mandavit dictus teſtator, quòd ſi dicta Comitiſſa Beatrix uxor ſua, vel quęcumque alia uxor ejus legitima, poſt præſens teſtamentum, maſculum filium pareret, ſeu procrearet ex eodem teſtatore poſthumum maſcu-*

sculum ipsius testatoris ; in eo casu, cassatis & annullatis omnibus prędictis institutionibus & substitutionibus, idem testator instituit hæredem universalem ipsum posthumum nasciturum ex dicta uxore sua, vel quacumque legitima, qua pro tempore fuerit, si masculus fuerit, super omnibus Comitatu, Baroniis, Castris, Terris, locis, possessionibus, & rebus aliis quibuscumque testatoris ipsius, tam feudalibus quàm burgensaticis, tam mobilibus quàm stabilibus, existentibus tam citrà quam ultrà flumen salsum, in tota Sicilia, & ubique locorum. Et in eo casu instituit sibi prędictam Comitissam Aloysiam filiam suam hæredem in dote sibi data per testatorem eundem: & vult eam de dicta dote esse contentam.

Item prędicta Comitissa Margarita in casu prędicto, & etiam si casus prędictus non acciderit dicti posthumi nascituri, instituit eam sibi hæredem in dote sibi data per testatorem eundem, & ultra in unc. auri centum: & vult eam esse contentam de institutione præsenti. Si verò dicta Comitissa Beatrix, vel alia quęcunque uxor legitima fuerit ex eodem testatore, fœminam posthumam ediderit; in eo casu remaneant institutiones & substitutiones prędictę, ut superiùs dicta sunt: & ipsam posthumam fœminam nascituram instituit sibi hęredem in unc. auri 2000. *ponderis generalis, quas habebit & tam jure successionis ipsius testatoris, quàm pro maritagio ipsius posthumę, de bonis feudalibus & burgensaticis ipsius testatoris tam citrà quàm ultra flumen salsum, æqualiter a prędictis hæredibus præstandis.*

Item si fortè dictus posthumus masculus nasciturus ex dicta Comitissa Beatrice uxore sua, vel alia quacunque uxore sua legitima ex eodem testatore, decederet in pupillari ętate, vel quandocumque sine liberis de suo corpore legitimè descendentibus; quòd in eo casu remaneant prędictę institutiones validę atque firmę.

Et demum amplam subjunxit alienationis prohibitionem, hisce verbis. *Item voluit & mandavit dictus testator, & intentionis suæ est, & ità declarat, quòd nullus hæredum suorum sibi succedentium possit vendere, alienare, dare, pignorare, ac etiam permutare aliquod feudum, vel partem feudi, castrum nec terram aliquam in toto suo territorio, seu quęcunque bona burgensatica sibi pervenientia: nec etiam super ipsis terris, feudis & bonis burgensaticis aliquam fidejussoriam cautionem subire, pro qua omnia bona obligentur vel alienentur. Ità quòd, sicuti obligantur ad portandum signa & cognomen, ità obligentur in nullo penitùs dictam hæreditatem distrahendo: imò dicta hæreditas remaneat, & ex integro absque diminutione aliqua ipsis hæredibus, vel ipsorum alteri præsentem dispositionem servanti. Et si fortè dicti successores contrafecerint; ipsò factò dicta obligatio, alienatio, permutatio, vel in alteram personam translatio sit nulla, quocunque modo translatio fiat ex contractu, vel quasi, sive ex debito: & ipso casu cohęres, qui non alienaverit vel deliquerit, possit omnia bona alienata per dictum cohæredem, vel facto ejus, petere, exigere & habere, ac si fuisset in eisdem bonis alienatis*

natis ex nunc principaliter institutis. Quo casu in prædictis bonis, quæ sic alienari contigerit, eum hæredem instituit, qui præmissa servaverit: ità quòd possit annullare, & capere omnia bona feudalia & burgensatica prædicta sine magistratùs licentia, nullo juris ordine servato.

Anno 1354. die 6. Septembris. Tertium a Comite Matthæo de Sclafano testamentum conditum est: ad cujus tenorem Comes ipse suum scripsit hæredem in bonis omnibus, quæ citrà flumen salsum possidebat, Guglielmum de Peralta, suum ex Comitissa Aloysia secundogenita nepotem: eo adjecto, quòd dicta institutio nullum penitùs effectum habere deberet, nisi dictus hæres, & omnes, qui ex eo descenderent, cognomen assumpserint, & arma detulerint ipsius testatoris.

In bonis autem, quę ultrà flumen salsum possidebat, ac præsertim in Aderniono & Centurpio, Matthęum de Peralta, ejus ex Comitissa Aloysia pariter nepotem hæredem instituit: onere etiam imposito deferendi suum cognomen & arma: ac facta substitutione in personam Matthæi de Montecateno ejus nepotis, casu quo absque filio masculo vel fœmina Peralta decesserit. Eaque institutio ac substitutiones sub tenore infrascripto conceptæ videntur. *Item instituit sibi hæredem & successorem suum magnificum Matthęum nepotem suũ, susceptum & natum ex quondam magnifico Guglielmo de Peralta, & Aloysia prædicta filia sua, in omnibus bonis suis tam feudalibus quàm burgensaticis, existentibus & positis ultrà flumen salsum, & specialiter Adernionis & Centurpii: sub conditione infrascripta, videlicet, quòd dictus hæres cognomen dicti testatoris deferat. Et si in pupillari ætate decesserit, seu ex suo corpore legitimus genitus, seu genita non descenderit; substituit eidem hæredi magnificum Matthæum de Montecateno nepotem suum, sub conditione cognominis & signorum prædictorum. Et antequam perveniet substitutus prædictus ad hæreditatem prædictam, per 10. annos continuos & completos jura omnia & proventus prædicti distribuantur ad pias causas, juxta arbitrium dictorum fideicommissariorum: præter infrascripta inferiùs denotata.*

Anno 1355. die 5. Februarii. Rex Federicus, instante procuratore Comitis Guglielmi de Peralta, atque petente confirmationem ultimi testamenti Comitis Matthæi de Sclafano, pro eo, quod attinebat ad bona existentia citrà flumen salsum, ac ad possessionem bonorum hujusmodi, quæ Comes Guglielmus possidere intendebat vigore memorati testamenti, atq; conventionis factæ inter Comitem Guglielmum de Peralta virum Comitissæ Aloysiæ, avum suum, & Comitem Matthæum de Sclafano; testamentum ipsum atque conventionem confirmavit: ità quòd Comes Guglielmus, qui hujusmodi confirmationem impetravit, vivat jure francorum, videlicet, quòd major natu minori, & masculus fœminæ præferatur.

Eamobrem non levis exardere visa

visa est controversia inter Peraltas & Montecatenos. Dicebat enim Comitissa Margarita ultimum genitoris testamentum ex ipsius præteritione nullum esse. Quòd pariter affirmabat Comes Matthæus ejus filius, standumque esse secundo testamento indubitanter valido, omnique sui parte perfecto, in quo ipse fuerat in bonis omnibus existentibus ultrà flumen salsum ab avo institutus. Quod quidem primum testamentum nequierat per aliud subsequens, quod invalidum esset, revocari: eo magis quòd illud testator verbis, ut decebat, expressis non cancellaverat.

Cùm autem inter personas consanguinitatis vinculo obstrictas, judicium esset instituendum; anno 1360. die 7. Maii, ad scandala vitanda, regio intercedente decreto, Comes Matthæus de Montecateno, & Comes Matthæus Peralta, super ipsa reciproca eorum prætensione verbis concepta generalibus, Judicem nominarunt compromissarium, arbitrum & arbitratorem, atque amicabilem compositorem, magnificum & potentem Dominum Artalem de Alagona: fuitque compromissum a Rege Federico die 21. ejusdem mensis Maii confirmatum.

Verùm partes ipsæ compromittentes optatum assequi finem non potuere: cùm Artalis de Alagona super memorata contentione laudum aliquod minimè publicaverit: taliterq; inter eosdem contendentes iterum accensum est odiū, ut cùm Comes Matthæus Montecatenus Castri & Terræ Sclafani, quæ Guglielmo Peraltæ ex ultimo testamento Comitis Matthæi de Sclafano addicta erat, manu potenti possessor effectus fuerit; Peraltæ Comitissam Allegrantiam Montecatenam Comitis Matthæi conjugem, captivam duxerint, captivamque adeò detinuerint, ut regio non obstante mandato eam non dimiserint, hac ut dicebant causâ, quòd Sclafanum adhuc ab ejus viro restitutū minimè fuerat.

Unde anno 1363. die 10. Novembris, novum pœnale manavit Regis decretum, quo jubebatur, ut Peraltæ Comitissam Allegrantiam pristinæ restituerent libertati, eorumque prætensiones per judicem non autem vi dirimerentur: secus si facerent, scirent regium servitium in discrimen iturum: quippe Comes Matthæus Montecatenus Vicarius electus Ducatuum Athenarum & Neopatriæ, (in quibus Christiani nominis inimici assiduis bellorum incursibus triumphabant) conjuge captivâ, quam de re domestica instruere debebat, discedere non poterat. Sed eâ quidem epistolâ Comitissam Allegrantiam vinculis solutam fuisse, in regia Cancellaria non apparet. Verùm Peraltas regium oraculum, ut par erat, exequutos fuisse non dubitandum, cùm contendentes, litem in Magna Regia Curia prosequutos fuisse constet.

Anno enim 1364. die 15. Maii, Comitissa Margarita acta omnia approbavit, quæ fuerant per Comitem Matthæum ejus filium in Magna Regia Curia ejus nomine sa-

facta, eumque in procuratorem ad litem peragendam cum Peraltis elegit.

Et agitato in dicta Magna Regia Curia negotio; Comiti Matthæo de Montecateno favorabilis prodiit resolutio: eique ex secundo testamento possessio Comitatûs Adernionis & Centurpii fuit relaxata.

Anno tamen 1366. die 4. Aprilis, ex regio diplomate, quod, urgente procuratore Comitis Matthæi de Peralta, emanavit, sententia M. R. C. rescissa est: ac revocatâ Comitis Matthæi de Montecateno possessione, hæc iterum fuit Peraltæ concessa: reservatis Comiti Matthæo de Montecateno juribus iterum in judicium ob eandem causam veniendi.

Præcipuum verò retractatæ sententiæ fundamentum in eo consistere visum est, quòd Peralta Catanam, ubi M. R. C. degebat, venire non poterat: cùm ibi pariter moraretur nobilis Artalis de Alagona Comitatûs Mistrettæ Dominus, quem inter, & dictum Comitem Matthæum de Peralta, ipsiusque fratrem, Comitem Guglielmum capitalis vigebat odii & inimicitiæ fomes: adeout periculosũ esset eos personaliter accedere, vel alios mittere, qui maximum detrimentum passuri non essent, cùm Comes Artalis potens esset, & totius Regni Magister Justitiarius: ut de præmissis Comes ipse Matthæus de Peralta Regem fecerat certiorem, paratumque se obtulerat, regiam adhire præsentiam, ac se defensurum in loco tuto,& ad quod cum securitate posset accedere.

Hujusmodi verò regiæ literæ servatæ non fuerunt: quoniam in Comitatûs possessione Montecateni perseverarunt, ut infra Peraltæ confirmabunt.

Anno 1378. Obiit Comes Matthæus Montecateno ab intestato, ut in primo discursu tractatum est, licèt ipsius Comitis Matthæi testamentum appareat confectum anno 1359. in quo Comes ipse relicto hærede universali C. Guglielmo Raymundo III. ejus primogenito ex Comitissa Joanna Peralta; Comitatum Adernionis & Centurpii, seu jus omne super eo spectans ad ipsum testatorem, posthumo ab eo & Comitissa Allegrantia Abbati secunda uxore nascituro, per hæc verba reliquerat. *Item instituit sibi hæredem suum super dicto Comitatu Adernionis & feudis suis, & Centorbi, ac super omni jure tam ad eundem Dominum testatorem spectantibus quoquomodo, posthumum si nasci contigerit, & ad lucem pervenerit, & ad ætatem perfectam, nasciturum ex magnifica Domina Allegrantia secunda consorte sua: & in casu quo dictus posthumus ad lucem non pervenerit, vel mori eum contigerit in minori ætate vel quandocumque, liberis legitimis masculis non procreatis; dicta hæreditas perveniat ad dictum magnificum Dominum Guglielmum Raymundum: & si contigerit posthumam nasci; voluit dictus Dominus testator dictum Comitatum & feuda reverti ad dictum Dominum Guglielmum Raymundum: ità tamen quòd idem*

Dominus magnificus Guglielmus Raymundus teneatur dare dicta posthumæ, si ad lucem pervenerit, & ad ætatem perfectam, pro maritagio ipsius unc. auri 1500. *ponderis generalis*.

Quò verò ad Comitem Guglielmum Raymundum hæredem universalem, has fecerat substitutiones. *Item si contigerit, eundem Dominum Guglielmum Raymundum mori superstitibus sibi filio vel filia, filiis vel filiabus ex legitimo matrimonio procreatis; substituit sibi primogenitum ex eo descendentem: ità quòd natu major præferatur minori, servatâ sexùs prærogativâ. Et si masculus ex eo non supervixerit; substituit sibi dictum posthumum: & si non supervixerit; masculum ex eo procreatum: & si non vixerit; filiam procreatam ex dicto Guglielmo Raymundo: & ejus defectu, dictorum posthumi vel posthumæ: ità tamen, quòd filius, qui ex dicta filia procreabitur, vocetur de Montecateno, & deferat arma ipsius, sine aliqua mixtura aliquorum aliorum armorum, & sic de singulis: aliàs quòd cadant a dicta hæreditate.*

Item si contingat, dictum Dominum Guglielmum Raymundum posthumum vel posthumam mori, liberis legitimis non relictis; substituit sibi magnificum Dominum Rogerium de Montecateno filium quondam magnifici Domini Petri de Montecateno Serenissimi Domini Regis Aragonum Admirati: & si non supervixerit; substituit sibi magnificum Dominum Gastonum de Montecateno filium dicti quondam Domini Petri: & si non supervixerit; substituit sibi magnificum Dominum Guglielmum Raymundum de Montecateno Dominum Aytonæ & Michinensæ.

Anno 1390. unica die 31. Maji in Civitate Barchinonæ. Binæ stipulatæ videntur transactiones, una inter Comitem prædictum Guglielmum Raymundum III. & Antonium ejus fratrem secundogenitum: ad cujus tenorem dictus Comes Guglielmus Antonio fratri jus omne concessit ad seipsum pertinens super Comitatu Adernionis & Centurpii, ac super omnibus & singulis castris & locis, quæ fuerunt egregii Domini Comitis Matthæi de Sclafano eorum proavi. Et alia inter eundem Comitem, & Joannam, Elviram & Constantiam ejus sorores super dotibus de paragio ipsis super Augustæ Comitatu competentibus, & super Comitatu Adernionis.

Anno 1396. die 18. Novembris. Antonius Moncata, jam Comes Adernionis & Centurpii nuncupatus, redux a Catalonia, Regibus exposuit, quòd quondam Matthæus de Sclafano Comes Adernionis, eidem Comiti Antonio per suum testamentum certam legaverat hæreditatem, & Comitatum & Castra, juxta ipsius Matthæi de Sclafano Comitis testamenti continentiam & tenorem: quodque testamentum hujusmodi ratum a Regibus desiderabat. Unde cum petitioni Reges annuerint; Comiti Antonio solemne privilegium concessum est: cujus virtute, institutiones, seu legatum in testamento Comitis Matthæi sibi & suis hæredibus facta, sicuti supra dictum

est,

est, juxta ipsorum seriem & tenorem, fuerunt approbata.

Anno 1397. die 8. Octobris. Cùm Montecateni in possessione Comitatùs Adernionis & Centurpii, aliorumque bonorum hæreditariorum Comitis Matthæi de Sclafano perseverassent: quin, ut credere fas est, ex privilegio mox relato, cùm Comes Antonius in prædicti Comitatùs possessione reperiretur: & Peraltę pariter in possessione aliorum bonorum etiam ex hæreditate defuncti Comitis se conservassent; ne lites inter hujusmodi familias super horum bonorum successione agitarentur, fuit de Regis mandato ad transactionem deventum.

Nullâ itaq; factâ precedentium litium mentione, id narratum est: quòd lites, quæstiones & controversiæ in judiciis oriri facilè poterant, ut manifestis præsumptionibus, mediis, judiciis & altercationibus ortæ videbantur inter C. Guglielmum Raymundum III. Marchionem Meliveti, & C. Antonium, & Petrum de Montecateno, ac Joannam uxorem Hyaimi de Prades, Elviram uxorem Comitis Antonii de Vigintimilliis, & Constantiam de Montecateno fratres & sorores, tanquam filios & hæredes & successores quondam Comitis Matthæi de Montecateno ex una parte, & Nicolaum de Peralta Comitem Caltabillottæ pro se & tanquam tutorem & balium Nicolai, Agathæ & Matthæi de Peralta pupillorum, filiorum & hæredum Joannis de Peralta fratris Comitis Nicolai, & filiorum quondam Comitis Guglielmi de Peralta ex altera, super juribus, hæreditatibus, successionibus hæreditariis, feudis tam quaternatis quàm non quaternatis, Comitatibus, Baroniis, & rebus aliis quondam Comitis Matthæi de Sclafano communis patris & avi & proavi omnium supra nominatarum personarum: & tam super bonis & rebus possessis & detemptis per præfatos & præfatas Dominos & Dominas de Montecateno fratres & sorores, quàm etiam super rebus & bonis possessis & detemptis per præfatos & præfatas Dominos & Dominas de Peralta: nec non & super quibusdam aliis diversis juribus & causis, quas una pars contra aliam, Domini videlicet de Montecateno contra Dominos de Peralta, & è contra, Domini de Peralta contra Dominos de Montecateno, habere prætendebant.

Verùm quia quæstiones & litigia inflant animos, invidiam contrahunt, iram generant: ira autem odia & discordias parit, concordia verò pacem, amorem & quietem nutrit, juxta illud: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ etiam maximæ dilabuntur*; Voluit utraque pars, amotis litibus, rem totam amicè componere, ac perpetuam pacem inire: hac tamen lege intercedente, quòd, nimirùm, Comes Guglielmus Raymundus Marchio Meliveti, tam nomine proprio, quàm nomine magnifici Domini Comitis Antonii de Montecateno sui fratris, & magnificarum Dominæ Joannæ, & Dominæ

Comitissę Elvirę suarum sororum, & tanquam procurator ad hęc specialiter deputatus Comitis Antonii de Montecateno, & Petrus unà cum Constantia, per pactum solemne remitterent, sicuti remiserunt spem litis eventùs: renunciantes magnificis Domino Comiti Nicolao de Peralta, tam proprio nomine, quàm nomine & pro parte Nicolai, Agathæ & Matthæi de Peralta pupillorum (quorum est tutor testamentarius, & balius per M. R. C. ordinatus Comes Nicolaus) necnon & nobilibus viris Amato de Inveges, & Joanni de Falco procuratoriis nominibus, præsentibus & stipulantibus, & ab eodem Domino Marchione, quibus supra nominibus, eisdemque Domino Petro & Domina Constantiâ, memorato Domino Nicolao (*sunt eadem quasi verba transactionis*) omnia jura, omnesque actiones, quæ habent, eisque competere possent tam jure successionis, quàm *ex principali providentia illustrissimorum Principum & eorum prædecessorum* super bonis quibuscumque Domini Comitis Nicolai, & filiorum quondam Domini Joannis de Peralta, & specialiter super Comitatu Sclafani, Terra & Castro Clusæ, hospicio magno, & aliis possessionibus positis in Urbe Panormi, & aliis feudis, terris, baroniis, & aliis bonis burgensaticis & hæreditariis quondam Domini Comitis Matthæi de Sclafano.

Ac specialiter Marchio prædictus eidem C. Nicolao renunciavit omnia jura sibi quomodolibet cōpetentia tam jure successionis & dotium maternarum per quondam Comitem Raymundum de Peralta promissarum quondam Comiti Matthæo de Montecateno, quàm quocumque alio modo ad ipsum Marchionem spectantia, & præcisè super Comitatu Caltabillottæ. Comitemque Nicolaum Dominus Marchio, quibus supra nominibus, ejusque fratres & sorores servarunt indemnem in casu cujuscumque molestiæ ab eis fortè inferendæ. Ità tamen quòd una pars non intelligatur exclusa ab alterius successione; & è contra: sed valeant sibi invicem succedere consanguinitatis jure, hoc modo, videlicet: quòd decedentibus omnibus ab intestato de alterutra domorum prædictarum, possit altera admitti ad successionem: & è contra, quatenus de jure fuerit.

Et viceversa Peraltæ renunciaverunt Comiti Guglielmo Raymundo tam pro se, quàm nomine & pro parte Comitis Antonii de Montecateno, ac Dominæ Joannæ, & Dominæ Comitissæ Elviræ, ac etiam Petro & Constantiæ de Montecateno fratribus & sororibus, omnia jura, quæ haberent, & habere sperarent tam proprio & privato nomine, quàm hæreditario Comitis Matthæi de Sclafano, & quondam Comitis Guglielmi de Peralta super bonis omnibus feudalibus tam quaternatis, quàm non quaternatis, baroniis, terris, & castris, & rebus burgensaticis per Dominum Marchionem, ejusve fratres & sorores, & specialiter super Castro, Terra, & districtu Ader-

Adernionis & Centurpii. Ità quòd una pars non intelligatur exclusa ab alterius successione, juxta pactum superiùs stipulatum.

Alio etiam pacto inter memoratos Peraltas & Montecatenos solemniter adjecto, & specialiter pro parte Comitis Antonii: quòd si magnifica Domina Comitissa Aloysia filia Comitis Matthæi de Sclafano, in bonis Montecatenis renunciatis, (quæ olim fuerunt quondam Comitis Matthæi de Sclafano, & quæ Dominus Marchio, ipsiusque fratres & sorores tenent & possident, & quæ in præsenti transactione continentur) fratres & sorores de Montecateno molestaret, vel molestare faceret in vita, vel post mortem, propter quod Montecateni aliquod damnum incurrerent; eos omnes Comes Nicolaus de Peralta servavit indemnes. Fuitque pariter a Peraltis omni juri renunciatum, quod eis fortè competeret super Marchionatu Meliveti, aliisque bonis, castris & feudis eidem Domino Marchioni per Reges concessis, quæ fuerant olim quorundam Dominorum de Claramonte, & specialiter quondam Domini Manfredi de Claramonte patris magnificæ Elisabettæ de Peralta.

Eodemque anno 1397. die 12. Octobris. Transactio hæc fuit per Regem Martinum cum inserto tenore confirmata.

Adhuc tamen, ab eadem transactione quadraginta diebus nondum elapsis, Comes Antonius, ut ipse in regiis privilegiis confessus fuit, Regis inimicus factus est.

Quapropter ipsomet anno 1397, die 16. Novembris, per sententiam a Magna Curia pronunciatam, Comes Antonius fuit delinquens declaratus, ejusque Comitatus & bona fuerunt publicata.

Cùm autem ipsum Comitem Antonium ejusque nepotes crimine pariter notatos pœniteret, fueruntque ab eis omnibus Regi Martino præsentata capitula.

Anno 1398. die 10. Junii. Per alterum ex antedictis capitulis, ità clementissimo Regi decernere placuit. *Item placi a la ditta Regia Maestati restituiri e donari ad Antoni di Muncata predittu la Terra e Turri d'Adernò, cum lu territoriu di Centorbi, & juribus & pertinentiis eorum.*

Et quia pariter in iisdem capitulis promissum a Rege fuerat Comiti Antonio aliisque contumacibus ampliorem per aliud separatum privilegium concedendam esse indulgentiam.

Eam ob rem eodem die 10. Junii Comiti Antonio per Regem privilegium fuit impartitum, in quo eo enarrato, quòd Comes Antonius a semitis veritatis aberrasset, nonnullis adhærendo rebellibus, qui Regem ab apice regalis solii detrudere conati erant: quòdque idem Comes Antonius, repulso nuper erroris caligine, & viam veritatis agnoscendo, ad regiæ fidei cultum spontaneè se convertisset. Volens Rex potiùs misereri, quàm ulcisci, ad quorundam regiorum familiarium & domesticorum humiles

miles preces; læsæ majestatis crimen, ac etiam homicidia, aliaque damna a Comite Antonio usque tunc perpatrata remisit, eique pepercit, & indulsit, ipsumq; Comitem Antonium in fidelium consortio aggregavit: rescindens omnes & quascumque sententias contra eum etiam de crimine læsæ majestatis promulgatas, & præcipuè sententiam in eum per M. R. C. latam die 16. Novembris 1397. Eidemque C. Antonio Adernionis Comitatum restituit hisce verbis.

Eidemque Comiti Antonio Comitatum Adernionis cum territorio Centorbi, ac feudis, membris, & pertinentiis suis, & signanter cum feudis della Cavalera, Pubertello, lo Judeo, Santo Todaro, & petia terra vocata la Scarlata, reddimus, restituimus, & tornamus, & de uberiori gratia dictum Comitatum Adernionis dicto Comiti Antonio, suisque filiis utriusque sexùs natis & nascituris legitimis dumtaxat in perpetuùm: & defectu filiorum legitimorum prædictorum, aliis ejusdem Comitis Antonii hæredibus & successoribus quibuscumque cum dicto territorio Centorbi, ac juribus & redditibus, fructibus, proventibus, vassallagiis, ædificiis, feudis, montibus, planis, aquis, aquæductibus aquarum diversibus, piscationibus, venationibus, molendinis, molendinorum saltibus, pascuis, pratis, erbagiis, terragiis, territoriis, limitibus, tenimentis, ac coltis sive regiis subventionibus: necnon pertinentiis universis, præsertim cum dictis feudis di la Cavalera, Pubertello, lu Judeo, Santo Todaro, & petia terrarum vocata la Scarlata, sub debito & consueto militari servitio per eundem Comitem præstando, ana pro quibuslibet, unc. 20. annui redditùs Comitatùs prædicti, unum equum armatum, quoties opus fuerit, & inde extiterint requisiti; de liberalitate nostra, speciali gratia, ac de certa nostra scientia, necnon cum deliberatione totius nostri Consilii nostro lateri assistentis, de novò gratiosè concedimus & donamus: donationibus quibuscumque de dicto Comitatu, aut ejus membris quomodolibet fortè factis (quas hujus serie de certa nostra scientia, & potentia regia legibus absoluta, & pro bono & pacifico statu hujus Regni revocamus & irritamus, & penitùs annullamus) nullatenus obstituris. Volentes expressè, quòd si aliqui jus aliquod habere prætenderent quocumque jure, ratione, sive causa in Comitatu prædicto, aut ejus membris & pertinentiis quibuscumque, & præsertim in dictis feudis di la Cavalera, Pubertello, lu Judeo, Santo Todaro, & petia terræ vocato la Scarlata; minimè contra dictum Comitem, aut ejus hæredes vel successores quoscumque, possint vel valeant dirigere actiones, nec eosdem proinde in judicio vel extra judicium quomodolibet molestare; sed contra nos & fiscum nostrum amenitate respiret: personæ seu personis quibuscumque, quæ in dictis Comitatu, aut ejus membris, præsertim in dictis feudis, aut aliquo ipsorum, jus aliquod habere ostenderint, de bonis seu excadentiis, ac juribus nostræ Curiæ satisfacere promittimus; ac pro satisfactione hujusmodi nos & nostram Curiam, seu bona nostra & fisci

fisci nostri penitùs obligamus. Mandantes hujus serie firmiter & expressè nobili Regni nostri Siciliæ Magistro Justitiario consanguineo nostro carissimo, Judicibus Magnæ Curiæ, consiliariis, familiaribus, cæterisque universis & singulis officialibus & subditis nostris, dictorumque officialium locatenentibus præsentibus & futuris, quatenus præsentem nostram remissionem, ac dicti Comitatùs confirmationem, ac novam donationem, ac omnia & singula in præsenti privilegio contenta, rata & firma habeant, teneant & observent: dictumque nobilem Comitem Antonium ac ejus hęredes & successores ad petitionem quarumcunque personarum in dicto Comitatu, aut ejus membris, & præsertim feudis prędictis di la Cavalera, Pubertello, lo Judeo, Santo Todaro, & petia terrarum vocata la Scarlata, jus aliquod habere prętendentium, nullatenus molestent, seu molestari patiantur, aut permittant: quinimò quoscumque contra ipsum Comitem, & ejus hęredes vel successores proinde agere volentes, a judiciorum limine repellant, nec causam aliquam seu quæstionem audiant: nam omnibus jus habentibus in dicto Comitatu & ejus membris, præsertim in dictis feudis di la Cavalera, Pubertello, lo Judeo, Santo Todaro, & petia terrę vocata la Scarlata, ęquivalens ad cambium dare promittimus, ac satisfacere eisdem de bonis nostrę Curię, ut præfertur. Et nihil Collectores collectę & regię subventionis in nostro Regno statuti & statuendi de collecta & regia subventione prędicta, se nullatenus intromittant: imò ipsum Comitem ejusque hęredes & successores prędictos, eandem collectam & regiam subventionem colligere, percipere & habere, eorumque utilitatibus applicare liberè, & sine contradictione qualibet patiantur & permittant: juribus tam canonicis quàm civilibus, statutis, usibus, ritibus, provisionibus, mandatis & ordinationibus pręmissorum contrariùm dictantibus quovis modo nullatenus obstituris.

Anno 1413. die 5. Septembris. Idem Comes Antonius de Montecateno, per ejus nuncupativum testamentum hæredem suum universalem instituit super omnibus suis bonis, & specialiter super Comitatu Adernionis cum territorio Centurpii, magnificum Joannem de Montecateno nepotem suum, sub infrascripto fideicommisso. *In casu quo præfatus magnificus Dominus Joannes mori contigerit sine filio, vel filiis masculis ex suo corpore legitimè descendentibus; casu prędicto substituit sibi magnificum Gastonum filium legitimum & naturalem magnifici Comitis Matthęi de Montecateno: & in casu, quo dictus Gastonus mortuus fuerit cum filio legitimo & naturali; casu prędicto voluit dictus testator, quòd dicta hęreditas, seu Comitatus Adernionis cum dicta Terra Centorbi perveniat ad ejus filium masculum: in quorum masculorum vel masculi defectu, substituit Guglielmum Raymundum filium quondam magnifici Guglielmi Raymundi ejus fratris, ejusque filios legitimos & naturales ex suo corpore legitimè descendentes: in quorum defectu; succedat ille, qui de*

de jure succedere debet.

Anno 1416. die 13. Augusti. Comes Joannes de Montecateno Serenissimo Infanti Joanni exposuit, quòd propter obitum quondam Comitis Antonii de Montecateno patrui sui, fuerat ei delata successio Comitatùs Adernionis, olim possessi per Comitem Antonium tam ex testamentaria dispositione Comitis ejusdem, quàm etiam ex sententia Magnæ Regiæ Curiæ, & in finali declaratione, cujus vigore cœpit Comitatùs possessionem. Ideoque regiam majestatem exorabat, ut dignaretur Comitatum in ejus personam confirmare, sibique de novò concedere & donare.

Quapropter Rex privilegium restitutionis Comitatùs, olim Comiti Antonio concessum per Regem Martinum *die* 10. *Junii* 1398. confirmavit, juribus Comiti Matthæo II. de Montecateno primogenito Comitis Guglielmi Raymundi III. reservatis: idque per hæc verba rescripsit. *Eidem nobili, tanquam benemerito & satis digno, & suis hæredibus & successoribus quibuscumque, præfatum Comitatum cum territorio Centorbi, & cum omnibus suis juribus, præeminentiis, honoribus & prærogativis, cum quibus præfatus Comes Antonius possidebat & tenebat, juxta tenorem cujusdam privilegii Serenissimi quondam Martini Aragonum & Siciliæ Regum, & Reginæ Mariæ recolendæ memoriæ, dati in Campo contra Leontinorum anno incarnationis Domini* 1398. 10. *die mensis Junii 6. Ind. ac subsignati solito signo, & sigilli appensione muniti, confirmamus, acceptamus & ratificamus.*

Et ad uberiorem gratiæ nostræ largitionem, Comitatum eundem præfato nobili Joanni de Montecateno, & dictis suis hæredibus & successoribus, si & quatenus spectat ad regiam Curiam nostram, de novò concedimus & donamus: transferentes in eum omne jus, quod regio fisco competit, vel retroactis temporibus usque ad præsentem diem competere potuisset: juribus tamen alterius semper salvis, & specialiter Comitis Matthæi de Montecateno, secundùm tamen formam dicti privilegii; cùm in nullo per præsentem clausulam volumus derogare; & .... si quam habet, non intendimus præjudicare per confirmationem, & de novò concessionem. Nec intelligatur quòd præsens confirmatio, & nova gratia in judicio vel extra possit contra dictum Comitem allegari: imò fiat ei justitia, ac si dicta gratia facta non fuisset.

Anno 1420. die ultimo Junii Comes Joannes de Montecateno per suum nuncupativum testamentum hæredem scripsit universalem super Comitatu Adernionis & Terra Centorbi magnificum Dominum Guglielmum Raymundum suum filium primogenitum. Et super Castro, Terra & Baronia Ferulæ hæredem instituit magnificum Antonium Perium suum secundogenitum.

Voluit tamen, quòd *si aliquis prædictorum ejus filiorum & hæredum mori contigerit in pupillari ætate, minori vel majori quandocunque, liberis masculis legitimis & natura-*

turalibus non relictis ex ejus corpore legitimè descendentibus; eo casu, ille, qui supervixerit, succedat præmortuo in hæreditate prædicta.

Voluit etiam, quòd si Comitatus Adernionis cum territorio Centorbi auferretur a dominio ejusdem magnifici Domini Guglielmi Raymundi ejus filii primogeniti, & hæredis ut supra instituti; eo casu, excluso dicto magnifico Antonio Perio filio secundogenito a dicta institutione Baroniæ Ferulæ, in ea censeatur institutus & scriptus hæres magnificus Guglielmus Raymundus suus filius primogenitus.

Ac demum voluit, quòd *si casu contigerit*, (sunt verba testatoris) *quòd omnes prædicti filii masculi morerentur in pupillari ætate, minori vel majori quandocumque, sine filiis masculis & fœminis legitimis & naturalibus; eo casu de Comitatu & territorio Centorbis fiat secundùm voluntatem & dispositionem quondam magnifici Domini Antonii de Sclafano, aliàs de Montecateno, olim Comitis Comitatùs prædicti. In prædictis verò Terris, Castro & Baronia Ferulæ succedat filia primogenita: & nihilominus dictas filias fœminas idem magnificus testator instituit, ordinavit, & fecit hæredes suos in Terra & Baronia prædictis, cum illis institutionibus & substitutionibus, conditionibus & clausulis appositis in institutionibus & substitutionibus præfatorum filiorum masculorum. Si verò ex prædictis filiis masculis & hæredibus institutis, ut supra, superessent tantùm filiæ fœminæ; succedere possent in baroniis prædictis secundùm ordinem primogenituræ, utique primogenitus præferatur cæteris minoribus.*

Anno 1454. die 20. Maii. Fuit per Comitem Guglielmum Raymundum IV. expositum Regi Alphonso, quòd Comes Antonius magnus ejus patruus, possidens Adernionis Comitatum, per suum testamentum, scripsit hæredem Comitem Joannem de Montecateno suum ex fratre nepotem: quòdque ob mortem Comitis Joannis ipsius Comitis Guglielmi Raymundi genitoris, Comes ipse Guglielmus Raymundus IV. ejus filius cœperat ejusdem Comitatùs possessionem: unde regiam Comes ipse desiderabat confirmationem. Idcircò Rex, inserto tenore privilegii concessi per Regem Martinum Comiti Antonio *anno 1398. die 10. Junii*, confirmationem hujusmodi per hæc verba concessit. *Eundem Guglielmum Raymundum de Montecateno, suosq; filios de ejus corpore legitimè descendentes natos jam, & in antea nascituros: & ipsis deficientibus, hæredes & successores quoscumque horum itaque serie investimus. Et ad majoris nostræ gratiæ cumulum, Comitatum, territoria & feuda prædicta eidem Guglielmo Raymundo de Montecateno Comiti, & suis filiis de legitimo corpore descendentibus: & ipsis deficientibus, suis, ut præfertur, hæredibus & successoribus quibuscumque ratificamus, acceptamus, approbamus, atque confirmamus, & validamus, juxta præinserti privilegii continentiam & tenorem. Volentes & declarantes expressè, quòd dictus*

Guglielmus Raymundus de Montecateno Comes, ut præfertur, hæredesque sui in hujusmodi Comitatu, territoriis & feudis tam de legitimo corpore descendentibus, quàm, ipsis deficientibus, alii successores quicumque, ut superiùs est expressum, habeat, teneat, & possideat, habere, tenere, & possidere possint & valeant Comitatum & feuda hujusmodi, cum eorum & cujuslibet ipsorum pertinentiis universis: sub eadem quidem forma, qua dictum Comitatum, territoria & feuda dictus quondam Antonius tenebat & possidebat.

Anno 1465. die 4. Maii. Comes Guglielmus Raymundus IV. Adernionis possessor ex testamento Comitis Joannis sui patris, & ex illo Comitis Antonii sui patrui magni, prout a Rege confirmationem obtinuerat, morti proximus, supremas condidit testamentarias tabulas, in quibus hæredem scripsit in nostro Comitatu Comitem Joannem Thomam suum primogenitum, antiquam juris francorum clausulam confirmando, quòd verbis explicavit infrascriptis. *Item voghiu e cumandu, che in la Turri, Contato, e Terra d'Adernò, con li soi raggiuni e dritti, edificii, vigni, e giardini, ed ogni cosa edificata: item in li scadentii e tratti, & etiam in la raggiuni di lu granu supra l'estrattioni, poi di la morti di lu dittu Gio: Tomasi mio figlio ed heredi, succedano e succediri diggiano soi figli legitimi e naturali di suo corpo legitimè descendenti masculi, siccind' havirà: quibus deficientibus & non existentibus; succedano e succediri diggiano altri mei figli masculi, scindi saranno, di mio corpo legitimi e naturali, e loro descendenti masculi: in quorum defectu; succedano li fimmini di lo dittu D. Giovanni, e loro descendenti: quibus deficientibus & non existentibus; succedano li mei figli fimmini.Ità tamen, chi tutti li preditti siano figli legitimi e naturali di nostru e loro corpu legitimè descendenti, singula singulis referendo: & etiam servato ordine genituræ, videlicet, quòd major natu minoribus fratribus, & masculus fœminis præferatur: & vivant jure francorum: & quòd servetur natura feudorum, & forma privilegiorum, ubi sunt privilegia, & etiam forma instrumentorum prædecessorum, & ipsorum omnium formà in aliquo non mutatà.* Eamque clausulam juris francorum in nonnullis aliis capitulis, in quibus Paternionis successionem præscripsit, confirmavit.

Anno 1466. die 5. Julii. Comes Joannes Thomas confirmationem impetravit cum inserto tenore privilegii Comiti Guglielmo Raymundo suo genitori concessi per Regem Alphonsum *anno* 1454. ubi pariter insertum legitur, ut dictum est, privilegium restitutionis Comitatùs Adernionis factæ per Regem Martinum Comiti Antonio *anno* 1398. *die* 10. *Junii*.

Anno 1479. die 17. Julii. Idem Comes Joannes Thomas concessam habuit Adernionis investituram, in qua dixit, Comitatum possidere vigore privilegii Comiti Antonio per Regem Martinum impartiti sub prædicto *anno* 1398. *die* 10. *Junii*: naturâ & formâ feudi in aliquo non mutatâ.

An-

Anno 1501. die primo Junii. Comes Joannes Thomas, per testamentum, sub quo decessit, hæredem universalem instituit Comitem Guglielmum Raymundum V. suum primogenitum: & in eo nil de Comitatu Adernionis disposuit, cùm affirmaverit de bonis illis disponere intellexisse, in quibus creandi hæredem potestatem habebat.

Unde eodem anno 1501. die 24. Septembris, Comes Guglielmus Raymundus V. concessam habuit Comitatùs investituram *juxta formam suorum privilegiorum*: naturâ tamen & formâ feudi in aliquo non mutatâ.

Anno 1510. die 14. Octobris. Idem Comes Guglielmus Raymundus V. hæredem sibi scripsit universalem Comitem Antonium suum primogenitum: nullâ factâ speciali nostri Comitatùs dispositione.

Ut defacto anno 1511. die 24. Octobris, Comes Antonius in investitura per semetipsum capta, nostrum Comitatum possidere dixit *juxta formam suorum privilegiorum*: ac naturâ & formâ feudi in aliquo non mutatâ.

Anno 1517. die 2. Martii. Iterum per Comitem Antonium fuit capta investitura ob mortem Serenissimi Regis Ferdinandi, & successionem Reginæ Joannæ, Regisque ejus viri: & eodem modo, quo in alia sub *anno* 1511. Comitatum possidere dixit *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1549. Decessit ab intestato Comes Antonius, eique successit D. Franciscus ejus filius primogenitus, qui fuit primus Princeps Paternionis.

Anno 1550. & 1557. Comes D. Franciscus de Comitatu Adernionis, & aliis statibus, cœpit investituram *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1566. die 24. Februarii. Comes D. Franciscus Princeps Paternionis, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem D. Cæsarem Moncada ejus filium legitimum & naturalem, & indubitatum successorem, qui vir fuit D. Aloysiæ de Luna Comitissæ Caltabillottæ.

Anno 1568. die 29. Martii. Comes D. Cæsar, patris successor, omnium statuum cœpit investituram *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*, *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1571. Decessit ab intestato Comes D. Cæsar, eique successit D. Franciscus primogenitus, qui anno 1572. die 13. Februarii investituram cœpit de dicto Comitatu Adernionis *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1584. die 15. Martii. Contracto matrimonio inter Comitem D. Franciscum Moncada filium Comitis D. Cæsaris, & D. Mariam Aragona & la Cerda; plura fuere inter conjuges, usquequò contractus matrimonialis non extenderetur, conventa capitula, inter quæ unum adest sequentis te-

tenoris, quòd pariter in succeſſione Comitatùs Caltaniſſettæ relatum eſt. *Item proceſſit ex pacto juramento vallato, quòd filii & filiæ utriuſque ſexùs, naſcituri & naſcituræ ex præſenti matrimonio, ſuccedant & ſuccedere debeant tam in Principatu Paternionis, Caltaniſſettę, Adernionis, Centumrupium, & Motta Sanctæ Anaſtaſiæ, quàm in Ducatu Montisalti, Comitatu Colleſani, & aliorum: ità quòd filius maſculus præferatur fœminis, & major natù minoribus, in perpetuùm & in infinitùm: & ille ſeu illa, qui ſeu quæ ſuccederet in dictis ſtatibus, ſervare debeat alternativam titulorum, cognominum, & armorum ipſorum contrahentium: cum hoc, quòd primogenitus ſeu primogenita, qui ſeu quæ ſuccederet in dictis ſtatibus, prout ſuperiùs dictum eſt, nominari & vocari debeat Dux Montisalti, ſeu Duciſſa Montisalti, & ſuſcipere arma & cognomina de Aragona: & nepos ſeu neptis dictorum excellentiſſimorum Dominorum jugalium vocari debeat Princeps ſeu Principiſſa Paternionis, & ſuſcipere arma & cognomina de Moncada: & ſic ſervetur ordo in dictis & aliis genitis uſque in infinitùm quoad arma & cognomina ex pacto.*

Anno 1585. die 18. Julii. Cùm fuerit à ſponſis memoratis ſtipulatus contractus matrimonialis; in eo ſequens legitur pactum. *Item proceſſit ex pacto juramento vallato, quòd filii & filiæ utriuſque ſexùs naſcituri & naſcituræ ex præſenti matrimonio (Deo dante) qui ſuccedet tam in Principatu Paternionis, Centumrupium, Caltaniſſettæ, Melilli, Adernionis, Colleſani, & aliorum, in quibus ex forma privilegiorum diſpoſitionum ſuccedere debet in dictis ſtatibus; ſervare debeant alternativam titulorum, cognominum, & armorum ipſorum contrahentium: hoc eſt, quòd primogenitus ſeu primogenita, primus naſciturus ſeu primò naſcitura, qui ſeu quæ ſuccederet in dictis ſtatibus, prout ſuperiùs dictum eſt, nominari & vocari debeat D. Antonius de Aragona Dux Montisalti, ſeu D. Antonia de Aragona Duciſſa Montisalti, & ſuſcipere arma & cognomina de Aragona: & nepos ſeu neptis, qui vel quæ in poſterùm in dictis ſtatibus ſucceſſerit, vocari debeat D. Franciſcus de Moncada Princeps Paternionis, & ſuſcipere arma & cognomen de Moncada: & ſic obſervetur ordo prædictus in omnibus & quibuſcumque ſucceſſionibus dictorum ſtatuum uſque in infinitùm.*

Anno 1592. Obiit dictus Comes D. Franciſcus ab inteſtato, & in ſtatibus ſucceſſit utì ſucceſſor indubitatus Comes D. Antonius, qui vocatus eſt de Aragona.

Anno 1600. die 23. Decembris. Capta eſt inveſtitura per Comitem D. Antonium de Comitatu Adernionis *pro ſe ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus in perpetuùm, juxta formam ſuorum privilegiorum.*

Anno 1626. die 20. Junii. Comes D. Antonius de Aragona & Moncada refutavit per ſe & ſuos ſucceſsores in perpetuùm D. Aloyſio de Moncada ejus filio primogenito, & indubitato ſucceſſori, omnes Status, Principatus, Comitatus, & alia, *pro ſe ſuiſ-*

fuisque haeredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.

Anno 1627. die 9. Junii. Idem Comes D. Antonius tanquam pater & administrator C. D. Aloysii filii, cœpit investituram de Comitatu Adernionis *pro se suisque haeredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1631. die 3. Aprilis. Comes D. Antonius, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem Comitem D. Aloysium de Moncada ejus filium.

Anno 1672. die 9. Aprilis, Comes D. Aloysius de Moncada Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in suo, sub quo decessit, testamento hæredem universalem instituit D. Ferdinandum, qui vocatus est de Aragona, ejus unicum filium: a quo eodem anno 1672. fuit capta investitura *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1713. die 11. Novembris. Comes D. Ferdinandus mortuus est, institutâ Dominâ Catharinâ Marchionissâ Villæfrancæ Cliente, ejus unicâ filiâ: inter quam, ut dictum est, & Dominum Ducem Sancti Joannis præsens judicium possessorium fuit institutum, in quo etiam pro Comitatu Adernionis Dominam Clientem esse victuram suadet nedum privilegiata interdicti possessorii natura, in quo jura Regni clarissimè insistunt, ut vos scitis ornatissimi Patres: imò etiam clamant regiæ investituræ, prædictorumque omnium, quas audistis, antecessorum dispositiones.

Præsentem igitur † discursum in tres dividam partes. In quarum Prima suadebitur, successionem Comitatùs Adernionis, vel a secundo Comitis Matthæi de Sclafano testamento, in quo fœminæ sunt invitatæ: vel regulandam esse a clausula juris francorum confirmata in transactione inita de Regis mandato, & ab eodem cum inserto tenore approbata, inter Peraltas & Montecatenos *anno* 1397. ac non esse attendenda in præsenti succesione, quatenus adesset, Comitis Matthæi I. testamentum. 2

In Secunda docebitur, vel servandum non esse fideicommissum Comitis Antonii, ex defectu potestatis: vel si attendi deberet, non esse agnatitium, sed fœminarum admissivum.

Et in Tertia demum concludendum nobis erit, sequentes post Comitem Antonium Comitatùs possessores, usque ad Comitem Ferdinandum ultimò defunctum, clausulam juris francorum confirmasse: eritque tractandum super instrumentis in processu ab utraque Parte productis.



DI-

DISCURSUS SECUNDI
PARS PRIMA.

De exequutione secundi testamenti Comitis Matthæi de Sclafano, vel transactionis stipulatæ sub anno 1397. ac de non exequendo pro præsenti successione testamento Comitis Matthæi I. de Montecateno, etiam quòd adesset, & Comes Matthæus ab intestato non decessisset.

SUMMARIUM.

Liberorum nomine veniunt omnes descendentes, ac filii utriusque sexùs. n. 1.

Proponitur objectio, quòd Adelasia Regis Rogerii neptis primùm possederit Comitatum Adernionis, ex testimonio Abbatis D. Rocchi Pirri. n. 2. Cujus solutio n. seq.

Comes Matthæus de Sclafano quòd fuerit descendens, consanguineus, vel successor Comitissæ Adelasiæ, sicula historia vel publica documenta non aperiunt. n. 3. & seq.

Concessio facta post Cap. Si aliquem *præsumitur cum clausula juris francorum, ex doctrina Ill. P. de Drago. n. 6.*

Concessiones statim post Cap. Si aliquem, *cum clausula juris francorum declarata per omnes effectùs factas fuisse testatur regia Cancellaria. n. 7.*

Clausula juris francorum expressa in concessione, quoad omnes effectùs intelligenda est. n. 8.

Comes Matthæus de Sclafano liberè de Comitatu disposuit tam in vita quàm in morte. n. 9.

Disponendi modus arguit amplitudinem potestatis. n. 10.

Qualitas bonorum præsumitur libera ne dispositio testatoris diligenter constructa frustratoria reddatur. n. 11.

Forma feudi non apparente, antiquioris prædecessoris dicto standum est. n. 12.

Observantia rei statum constituit. n. 13.

Lucas Barberius Comitem Matthæum de Sclafano primum credit acquisitorem Comitatùs Adernionis in suo Capibrevio. n. 14.

Affertur objectio agnationis contemplatæ in testamento Comitis Matthæi de Sclafano, ejusque verba transcribuntur. n. 15.

Agnatio contemplata prætenditur ex qualitate bonorum, ex instituta primogenitura, ex sæpius repetita qualitate masculinitatis, ex translineatione ad masculum inveniendum, postpositâ fœminâ lineæ ingressa, ejusque vocatione in propria cellula, ex injuncto onere deferendi cognomen & arma, & de-

& demum ex ampla probibitione alienandi. n. 16. Sed bis omnibus respondetur n. 17. & seq.

Qualitas bonorum perpetuitatem fideicommissi potiùs arguit, quàm agnationem, vel saltem conjectura dicitur æquivoca, quæ potest tam regulari, quàm agnatitio fideicommisso applicari. n. 18.

Primogenitura, etiam in fideicommissis regularibus, passim instituitur, quæ tamen ultra successionis individuitatem aliud ex se non operabitur. n. 19.

Qualitas masculinitatis sæpiùs repetita agnationem non concludit, quando fœminæ non sunt exclusæ nisi propter masculos. n. 20.

Translineatio ad inveniendum masculum alterius lineæ non potest in nostro casu pro conjectura agnationis allegari ex pluribus, de quibus n. 21.

Vocatio filię fœminę in propria cellula non arguit agnationem, ubi ad alium finem a testatore ordinata videtur. n. 22.

Pręceptum assumendi cognomen & arma non solùm ad tuendam agnationem injungi potest, sed ad hoc ut quilibet per regulare fideicommissum successor sive masculus sive fœmina, testatoris pręceptum adimplere teneatur. num. 23. & 24.

Probibitio alienationis regularem potiùs primogenituram concludit, quàm agnationem, nempe ad hoc, ut bona ipsa integra & indiminuta penès hęredes remaneant. n. 25.

Nonnulla pro coronide in testamento ponderantur, quę manifestam reddunt vocationem fœminę in defectu masculi ejusdem lineę & gradùs. n. 26.

Proponitur objectio, quòd pro præsenti successione sit attendendum fideicommissum agnatitium Comitis Matthęi de Montecateno. n. 27. cui respondetur n. 28. & 30.

Transactio solemniter stipulata sub anno 1397. inter Peraltas & Montecatenos processit in exequutionem testamenti Comitis Matthęi de Sclafano. ibid.

Transactio prędicta, etiamsi sola attendatur, arguit descendentes Comitissæ Margaritæ ex pacto & providentia Principis ad successionem admissos n. 29.



INspecto, ut par est, acutissimi Patres, tenore secundi testamenti Comitis Matthęi de Sclafano primi nostri Comitatùs quæsitoris, quod exequutioni traditum fuisse constat, nedum ex continuata Montecatenorum possessione, atque ex obtento per Comitem Antonium privilegio sub anno 1396. in quo fuit testamentum ipsum confirmatum, verùm etiam ob initam anno 1397. cum Peraltis transactionem, quisque animo cernit fœminas esse ad successionem admittendas. Ipse quidem Comes testator Comiti Matthæo de Montecateno, suo ex Comitissa Margarita nepote, hærede instituto in bonis omnibus, quæ ultra flumen salsum possidebat, inter quæ Comitatus Adernionis includebatur (ut ipsemet Co-

Comes asseruit;) expresse mandavit, post ipsius Comitis Matthæi I. hæredis mortem, omnes liberos suos legitimos & naturales, ipsorumque liberorum liberos esse successuros: eisque omnibus non superstitibus; Comitissam Aloysiam ejus filiam secundogenitam ad successionem admisit. *Quòd si fortè liberi legitimi & naturales* (ità testator dispsoluit) *procreandi ex prædicto Matthæo & legitima uxore sua de legitimo matrimonio de suo corpore descendentes, fuerint superstites ipsi Matthæo, & mori contigerit in pupillari ætate, vel postea quandocumque sine liberis ex eorum corpore legitimè descendentibus; in eum casum & quemlibet ipsorum prædicta bona omnia stabilia, feudalia, & burgensatica perveniant & pervenire debeant pleno jure, post mortem prædicti Comitis Matthęi nepotis ipsius testatoris, ad prędictam Comitissam Aloysiam filiam suam, vel ejus filios masculos: nativitatis ordine & pręrogativa servatis.*

1 Sub repetito enim † liberorum nomine, nedum omnes veniunt descendentes, ut inferiùs ad fideicommissi perpetuitatem enucleabitur; verùm pariter sub eo, filii utriusque sexùs apertè includuntur. *L. si ita scriptum 46. ff. de leg. 2. L. si quis ità 16. ff. de testamentaria tutela.*

Ut autem lapis hic noster angularis reprobetur, primaque præsentis discursùs moles dilabatur, & ruat, multa cumulat in contrarium Adversarius.

Et quidem asserit primò, neutrum ex Comitis Matthęi de Sclafano testamentis esse observandum, cùm in eo evidens considerari debeat potestatis defectus. Ipse quidem † primus non fuit 2 nostri Comitatùs quæsitor, ubi Comitatus quasi per bina antecedentia sæcula ante Comitis possessionem a regio demanio segregatus reperiebatur: cùm, teste eruditissimo Abbate D. Roccho Pirro, ipsius posseditrix visa sit *anno* 1134. Adelasia Domini Regis Rogerii neptis, a Metilde ejusdem Regis Rogerii sorore, ac Ranulfo Maniacio Comite Montis Canusei, ac Avellanæ progenita. Ipsa quidem fuit Adernionis Comitissa, & anno prædicto 1134. de mense Aprilis, insimul cum filiis suis Adam & Metilde, dedit Monasterio Catanæ quandam Ecclesiam, quæ in territorio Adernionis sita est, in honorem Sanctæ Mariæ, cum sibi pertinentibus, & adjacentibus terris, vineis, & villanis, atque Ecclesiam Sancti Philippi, quæ est propè dictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ, cum sibi pertinentibus & adjacentibus terris: & prætcrea fontem, qui est supra Ecclesiam Sancti Joannis versùs orientem, & alios fontes, qui sunt subtus dictam Ecclesiam versùs occidentem.

Quapropter, cùm antiquissima credi debeat prima concessio, ex qua Comes Matthæus ipse possedit, & Nortmannis regnantibus impetrata, qua tempestate jus longobardorum in Regno vigebat; non sub clausula juris francorum, quæ adhuc introducta non erat,

sed

sed secundùm jus commune feudorum, concessionem Comitis Matthæi progenitoribus factam fuisse credendum est: ex qua non fœminæ, sed agnati, & proinde Dominus Dux Sancti Joannis illius valent prætendere successionem.

3 Plures tamen † objectioni accommodantur solutiones. Quarum prima est, quòd ex Comitissa Adelasia non descenderit Comes Matthæus de Sclafano, neque per concessionem, quæ Comitissæ facta fuerit, Comes Matthæus successerit in Comitatu Adernionis: ipsum enim ex regia Nortmannorum stirpe originem traxisse, ut in Comitissa Adelasia verificatur, sicula historia non refert; quinimò familiam de Sclafano multò post extinctum Nortmannorum imperium floruisse inferiùs allegabitur.

Rursùs Comitissa Adelasia Hadrani tantùm possessitrix prætendi potest, non autem Centurpii, ubi Comes Matthæus de Sclafano fuit utriusque possessor: adeout diversa credi debeat Comitis Matthæi concessio, Centurpiumque complectens. Eodem enim modo, quo Pirrus in Comitissa Adelasia Adernionis retulit dominium, ità etiam Centurpii possessionem in eadem retulisset, si Centurpio pariter gavisa esset: ut simul fuisse factam concessionem præsumendum est, quoniam in quolibet instrumento, in quo Comes Matthæus intervenit, utriusque dominus enunciatur, atque simul sequentes antiquarum concessionum confirmationes a Regibus factæ conspiciuntur.

Ulteriùs ex Pirro nil aliud hauritur, nisi quòd Adelasia Adernionis fuerit Comitissa, non autem quòd ipsum in pleno dominio possederit, quod apud Regem potuit remanere. Æquè enim stare potest, quòd feudum in regio demanio conservetur, & titulus, nempè dignitas ex feudo concessa, apud fidelem inveniatur. Tametsi Author hujusmodi donationem pariter referat ab Adelasia factam Catanensi Monasterio Ecclesiarum Sanctæ Mariæ & Sancti Philippi sitarum in territorio Adernionis, cum terris adjacentibus, ac vineis, villanis & fontibus; id enim non probat quin Comitissa Adelasia universi territorii Domina esset, sed quòd illarum Ecclesiarum, cum terris, vineis, villanis & fontibus dominium pariter habuerit.

Atque demum Comitem Matthæum de Sclafano a Comitissa Adelasia non descendisse, neque ex concessione Comitissæ Adelasię impertitæ Comitatum possedisse, manifestè concluditur ex eo, quia anno 1303. alia Adernionis in Comitatum erectio, possidente Comite Matthæo, scripta est: ubi si eadem concessio facta Comitissæ Adelasiæ in Comitem Matthæum transfusa esset; nova hujusmodi decoratione opus non erat. Quòd si recens in Comitatum erectio, instante Comite Matthæo, reperita videtur; non ex antiqua concessione impartita Comitissæ Adelasiæ, sed ex nova concessione per Comitem Matthæum promerita ipsum possedisse censendum est:

ut legi potest citatus Pirrus *in not. 1. Ecclesiæ Catanensis f. m. 24.* ibi. *Nota quòd Adelacia, sive Adelasia Regis Rogerii neptis, fœmina religiosissima, Comitissa fuit Paternionis; Hadrani, Collesani &c.* Et in eadem *not. f. m. 114.* ibi. *Hadranum, hodie Adernò, antiquissimum Oppidum ad Ætnæ radices id esse, de quo Plutarchus in Timoleonte 340. stadiis Tauromenio distare, atque Deum Hadranum ibi magno in honore per universam Siciliam haberi scripsit. Ubi huic Deo fanum dicatum opinatur in petra nigra ex ruinis græcè scripta leguntur*, Chiselylus Chrysoli f. Camistratus Ratori. f. Niceus. *anno 1303. titulo Comitatus sub ditione Matthæi de Sclafano decoratum, nunc sub Duce Montisalti Moncada auctum est laribus 1601. incolis verò 5937.*

Secunda solutio ea est, quòd 4 † etiamsi per possibile Comes Matthæus de Sclafano ex concessione facta Comitissæ Adelasiæ in Aderniono successisset; non per hoc Comes Matthæus successor ex clausula juris francorum dici non deberet: quoniam Regni Capitula, ubi non constat de individuali concessionis tempore, eam sub clausula juris francorum factam esse præsumunt: adeout cùm in casu nostro de temporis individualitate non constet; nulli dubium quòd concessio cum clausula juris francorum veniat præsumenda: ut latiùs in primo discursu probatum est.

Quamvis autem in contrariùm opponatur Regni leges, de eis concessionibus loquutas non fuisse, quæ eo tempore fieri debuerunt, quo in Regno clausula juris francorum introducta non erat, sed jus longobardorum servabatur; cùm affirmetur quòd concessiones eo modo factæ censeri debent, ubi de earum scriptura non constat, quo in regione ubi facta concessio, creditur Reges concedere, & Vasalli possidere solebant: adeout in casu nostro præsumi necessariò debeat, quòd concessio facta fuerit, eo tempore, quo vigebat jus longobardorum, quia eo tempore facta est, quo jus francorum cognitum non erat, & secundùm jus longobardorum Vasalli in Regno vivebant. Nihilominus cùm in nostro themate in individuo tempus doceri non possit, quo facta concessio fuit; locum habere Regni Capitula manifestissimum est: hoc sanè tantùm casu, nempe certo concessionis tempore designato Regni decreta limitantur, non autem ex sola potentia, cùm tunc, ut leges ipsæ decernunt, præsumptio pro clausula juris francorum tanquam in Regno antiquissimi, semper pugnabit: ut pariter in primo discursu tractatum est.

Ultrà quam quòd tutum non esset credere, quòd eâ tempestate concessio facta esset, qua jus francorum in Regno non vigeret, quòdve concessio cum clausula juris francorum facta non fuerit, si Adelasiæ vel ejus matri Metildi Nortmannis & fœminis concessio facta videretur, & a Regibus, qui pariter Nortmanni erant: cùm eorum dominii tempore jus francorum quoad omnes ejus effectùs in-

introductum esse probaretur, si necessitas postularet, ut sæpiùs in primo discursu dictum est.

Tertia solutio ea est, quòd
5 † cùm ex antedictis indubium sit quòd Comes Matthæus de Sclafano a Comitissa Adelasia non descenderit, atque quòd ex concessione facta Comitissæ Adelasiæ non successerit, etiam quòd daremus, quòd non ipsi Comiti Matthæo, sed suis progenitoribus facta concessio esset; adhuc eam cum clausula juris francorum emanatam fuisse credendum foret: cùm eo tempore relaxari debuerit, quo Capitulum *Si aliquem* esset jam publicatum, nempe post annum 1285. Quippè ante Aragonensium adventum de Comitis familia, & Adernionis posseditrice neque in regia Cancellaria, nec alibi aliqua penitùs habetur notitia.

Nihilque referret iterata Adversarii assertio, quòd etiam condito sub Rege Jacobo Cap. *Si aliquem*, jus francorum commune in Regno non fuerit; adeout concessio non per necesse cum clausula juris francorum facta præsumi deberet, sed ab illud allegante docendum esset: nam eâ tempestate jus francorum in Regno uti jus particulare servabatur. Contra-
6 rium enim † apertè concludunt Authores omnes in primo discursu allegati, quos citat loco ibidem recensito Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §. 3. *n.* 303. cujus verba, ut doctrina statim oculis subjiciatur, iterum transcribere placet, hæc sunt. *Hujus tamen lucis ministerio, temporisque hujus evoluta serie, ipsamet contra nos chronologia hìc intorquetur, suoque francorum juri excitare vires intendit Adversarius. Cùm enim nos etiam ipsi fateamur amplissimam & integram juris francorum formam in utroque Siciliæ Regno ex vi Constitutionis* Ut de successionibus *ab anno* 1221. *& in Regno Neapolis ex vi Capit.* Considerantes *ab anno* 1284. *atque in hoc nostro ex vi Capit.* Si aliquem *ab anno* 1285. *inter jura communia consedisse, quicquid sit de ipsius ante præcalendata tempora specialitate: fateri certè ad contrariorum sensum cogimur, alteram hanc præsentis, de quo nunc agimus, & reliquorum deinde prolabentium temporum spharam, pleno & indiminuto francorum jure illustrari. Condito jam per Franciscum seniorem ejus testamento sub anno* 1337. *quo quidem tempore, multoq; antea, inter jura communia francorum jus ipsum prævigebat: ut ad oculum demonstravimus* n. 229. *& hìc etiam confirmamus ex Montano* §. præterea Ducatus n. 121.

Quòd † eo magis attendendum 7
est, quia (ut testantur regiæ Cancellariæ privilegia inserta in primo discursu) regiæ concessiones immediatè post Capitulum impertitæ, cum clausula juris francorum factæ conspiciuntur: ac proinde cùm, non constito de principali concessione, eo modo ipsa præsumi debeat, quo aliæ, tempore quo ipsa facta supponitur, fiebant concessiones, eò ipsò quòd post Capitulum *Si aliquem* cum clausula juris francorum per Reges concessiones fieri solebant; innega-

bile pariter erit, quòd omnes omnino concessiones post Capitulum a Regibus factæ, cum clausula juris francorum relaxatæ præsumantur, etiamsi doceretur eâ tempestate aliquos in Regno fuisse Barones, qui vivebant jure longobardorum, cùm eorum concessiones eo tempore factę præsumerentur, quo jus francorum adhuc introductum non erat, quod tamen doceri non poterit: nam omnibus, ut in præcedenti discursu dicebam, revolutis regiæ Cancellariæ codicibus, nec de per se, nec per insertionem antiquorum privilegiorum, de hujusmodi vivendi modo per jus longobardorum privilegia faciunt mentionem, etsi antiquissima, & Nortmannorum tempore concessa ibi conserventur.

Neque assumpto nocebit cavillus ab Adversario excitatus, quòd etiam condito Capit. *Si aliquem*, concessiones cum clausula juris francorum emanatæ, non quoad omnes ejusdem clausulæ effectùs factæ censeri debeant, sed quoad unicum tantùm effectum, nempe feudi & possessoris individuitatis.

8 Etenim † in hoc (iterum repetam) maximum intercedit æquivocum. Aliud equidem est, quòd possit jus francorum in abstracto sumptum pro certo tempore considerari in ordine tantùm ad feudi & possessoris unicitatem, & non quoad effectum successionis fœminarum, quòd (iterum dicam) in Regno mihi satis difficile est: aliud tamen esse videtur, quòd concesso feudo cum clausula quòd concessionarius vivat jure francorum, post Constitutiones *In aliquibus*, & *Ut de successionibus*, & Capitulum *Si aliquem*, ut est casus noster, possit legitimè prætendi quòd ad primum tantùm effectum præsumi concessio debeat. Quoniam, appositis in concessionibus verbis supra notatis, ea semper intelligenda esse quoad omnes clausulæ effectùs, apertè testantur concessiones in individuo tempore publicationis Cap. *Si aliquem* factæ: in eis enim clausula juris francorum quoad omnes ejus effectus a Regibus declaratur. Ut in præmissorum corroborationem ea omnia repetuntur, quæ in præcedenti discursu dicta sunt.

Demum verò † quarta solutio est, quòd Comes Matthæus de Sclafano indubitabiliter primus fuit Adernionis & Centurpii quæsitor, ex eo, quòd ipse liberè de facto de Comitatu disposuit, tam in vita ex donatione feudi, quod dicitur Modulum Campanæ situm in territorio Centurpii, a se facta Lanceæ de Grifo Messanensi suo consobrino sub anno 1311. die 7. Novembris: quàm in morte, ut universa ejus indicant testamenta. 9

Siquidem ex hoc † disponendi modo, potestatis amplitudo præsumitur, ex R.Rom. *p.5. rec. decis.93. n.75.& 76.& p.8. dec.69.n.*14. Mans. *consult.* 291. *n.*71.& 72. 10

Neve frustratoria † credatur testatoris dispositio tanto studio cōstructa, bonorum qualitas libera supponitur. Surd. *cons.*135. *a n.*39. *ad* 42. *lib.*1. Menoch. *cons.* 454. *n.*16. 17. *vol.*5. *& cons.* 812. *n.* 5. 6. *vol.*9. Caren. *resol.* 112. *sub n.*12. Rot. *in rec. p.*5. *tom.* 11

tom. 1. *dec.* 93. *n.* 64. 70. 71. *&* *par.* 8. *decis.* 69. *n.* 13. Mans. *consult.* 291. *n.* 8. *& seq.* Balducc. ad Ramon. *cons.* 37. *a n.* 67. *ad finem.* & alii adducti per Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §. 3. *n.* 310. *& seq.*

12 Feudique † forma non apparente, antiquioris prædecessoris dicto standum omninò est. Add. ad Lunam *cons.* 1. *super n.* 60. *fol.* 19. Magon. *decis. florent.* 54. *n.* 7. Habent enim omnia prædicta vim ob-

13 servantiæ †, quæ rei statum constituit. Rocca *disput. cap.* 57. *n.* 43. *ubi quamplurimi.* Ill. de Drago *loco mox allegato.*

Atque hoc ipsum ex eo confir-

14 matur, quòd † citatus Lucas Barberius in nostri Comitatùs Capibrevio, antecedentis possessoris ante Comitem Matthęum de Sclafano mentionem non faciat, ipsumque certissimum credat primum acquisitorem, sub tamen illo minus legitimo vocabulo usurpationis: quò nil evidentiùs. Non enim ipse Comes Matthæus Comitatùs occupator diceretur, si concessio suis facta esset progenitoribus: cùm eo casu ejus titulus justissimus atque validissimus esset.

Ac pariter assertio confirmatur ex eo, quòd eam nedum non negat, sed implicitè regia Cancellaria confirmare videtur. Cùm enim de territorio Comitatùs Adernionis & Centurpii fuerit feudum Melinventri, ut in ejus secundo testamento affirmat Comes Matthæus, & feudum ipsum tanquam quid liberum vendiderit, antequam obiisset; Comes Matthæus (nempe *anno* 1351. *die* 3. *Decembris*) cuidam Desiatæ de Bonsuli pro pretio unc. 600. in pecunia numerata, quas Comes venditor de contanti fassus est; in ea venditione Comes Matthæus dicitur, *Dei & Regis gratia Comes Adernionis & Centurpii*: ipsaque venditio *anno* 1358. *die* 5. *Februarii* cum inserto tenore fuit per Regem confirmata, & iterum *anno* 1406. *die* 19. *Februarii* a Rege Martino confirmata est. Si enim primus quæsitor Comes Matthæus non fuisset, hujusmodi titulum Rex non permisisset, & in præjudicium substitutorum, qui se proculdubio opposuissent, venditionem, præcipuè mortuo jam Comite venditore, non confirmasset: ipse quidem, ut supra dictum est atque in privilegiis enunciatur, anno 1354. mortuus erat.

Asserit secundò Adversarius, quòd † etiamsi Comes Matthæus 15 de Sclafano primus Comitatùs acquisitor judicandus esset, atque suo transcripto fideicommisso standum foret; adhuc tamen ex eo in præsenti successione non veniret admittenda Domina Cliens, sed eam vinceret Dominus Dux Sancti Joannis: cùm eo tantùm casu Domina Cliens invitata videatur, quo masculi agnati, etiam lineæ inferioris, non existerent, non autem agnatis existentibus, ut in nostro casu, per existentiam Domini Ducis Sancti Joannis, verificatur. Atque id probari concludit ex aliis testamenti capitulis, quæ primum superiùs a nobis expositum subsequuntur, & interpre-

pretantur: etenim per ea capitula vocatio liberorum ad masculos agnatos tantùm restricta est. Hujusmodi capitula, quæ pariter in facto adnotata sunt, hæc esse videntur.

Item si fortè ex filiis legitimis & naturalibus prædicti Matthæi filii masculi, vel filius procreari contigerit, & in pupillari ætate decesserint; prædicta bona omnia stabilia, feudalia, post mortem dicti Matthæi, perveniant ad prædictam Comitissam Aloysiam, & filios masculos ejusdem, ut præscribitur: & in casu quo dicta Comitissa Aloysia non supererit, vel ejus filius masculus; bona prædicta feudalia, & stabilia, & burgensatica remaneant & perveniant filiæ vel nepti dicti Matthæi suscipiendis seu nascituris sibi ex legitimo matrimonio legitimè descendentibus: dummodo dicta filia vel neptis ejusdem sub hac conditione nubat, quòd vir ejus cognominetur cognomine dicti testatoris, & signa deferat ejusdem testatoris, seu arma. Itaut in omnem eventum tam dictus Matthæus nepos ipsius testatoris, quàm filius masculus ex suo corpore legitimè descendens nasciturus, aut in defectu ipsorum filiorum suorum, ut supra dictum est, ille, qui succedet in prædictis bonis, tam jure successionis ultimæ voluntatis, quàm ex causa dotis, omnino signa seu arma Domini Comitis Matthæi deferat, & suo cognomine cognominetur: aliàs cadat a successione prædicta. Et istud onus cognominationis & signorum habeat quicumque successurus in bonis prædictis: aliàs cadat a successione ipsa, & observantibus voluntatem Domini testatoris applicetur, ut supra.

Item si fortè tam ex prædicto Matthæo, quàm ex prædicta Comitissa Aloysia filius masculus ex legitimo matrimonio ipsorum non nasceretur, aut non superesset, ut supra dictum est, & filia vel filiæ fœminæ ex utroque nascerentur, & superessent; quòd in eum casum qualibet dictarum filiarum, quæ veniret ad maritum, succedat in dictis bonis stabilibus, feudalibus, & burgensaticis provenientibus patri vel avo eorum a dicto Comite Matthæo testatore, cum conditione, quòd dictæ omnes filiæ fœminæ nubant cum conditione, quòd viri earum portent signa dicti testatoris, & suo cognomine cognominentur: aliàs bona non habeant supradicta, sed observantibus voluntatem Domini testatoris applicentur, ut supra.

Item voluit & ordinavit dictus testator, quòd quicumque successor suus fuerit in bonis feudalibus supradictis tam ex parte prędicti Matthęi inclusivè, quàm ex parte dictę Comitissę Aloysię, hęredumque suorum, deferat & deferre debeat arma seu signa testatoris, sine aliqua immixtione aliquorum signorum, videlicet duas grues in campis albo & nigro hinc inde paratis: & in cognomine ipsius testatoris idem intelligatur, videlicet, quòd cognominetur de Sclafano, & absque aliqua adjunctione alicujus cognominis: quòd si secùs fecerit, subjaceat pœnis prędictis, videlicèt, quòd cadat a successione prædicta, & devoluatur successio prædicti Matthęi ad prędictam Comitissam Aloysiam, & filios ejus legitimos & naturales deferentes ar-

arma & cognomen ipsius testatoris: & è contra, successio prædictæ Comitissæ Aloysiæ devoluatur ad prædictum Matthæum, & ejus filios legitimos & naturales deferentes eadem signa, & ipsius cognomine cognominentur. Et si fortè dicti hæredes vel eorum successores non servarent voluntatem testatoris ejusdem in cognomine & armis, ut superiùs est expressum; ipsò factò cadant ab hæreditate prædicta: & in eo casu hæreditas devoluatur ad Curiam: dummodo quòd ipsa Curia omnia & singula disposita in præsenti testamento teneatur adimplere quantùm ad legata, debita, fideicommissa, & libertates, & confirmationes donationum factarum per eundem testatorem particularibus personis, præterquàm dictis suis hæredibus. Et omnia bona prædicta propter defectum dictorum hæredum ad dictam Curiam devenire contigerit; ipsa Curia debeat retinere, uti, frui quousque filii dictorum contravenientium perveniant ad ætatem legitimam. Qui filii, si dispositionem dicti testatoris servare voluerint, & servare promiserint cum effectu; in eo casu bona dicti testatoris repetant & habeant a dicta Curia, ac si in eis essent principaliter instituti: dummodo quòd servent prædicta in proximo capitulo disposita.

Item voluit & mandavit dictus testator, & intentionis suæ est, & ità declarat, quòd nullus hæredum suorum sibi succedentium possit vendere, alienare, dare, pignorare, ac etiam permutare aliquod feudum, vel partem feudi, Castrum, nec Terram aliquam in toto suo territorio, seu quæcunque bona burgensatica sibi pervenientia, nec etiam super ipsis terris, feudis & bonis burgensaticis aliquam fidejussoriam cautionem subire, pro qua omnia bona obligentur vel alienentur: ità quòd, sicuti obligantur ad portandum signa & cognomen, ità obligentur in nullo penitùs dictam hæreditatem distrahendo: imò dicta hæreditas remaneat, & ex integro absque diminutione aliqua, ipsis hæredibus, vel ipsorum alteri præsentem dispositionem servanti. Et si fortè dicti successores contrafecerint; ipsò factò dicta obligatio, alienatio, permutatio, vel in alteram personam translatio sit nulla, quocunque modo translatio fiat ex contractu, vel quasi, sive ex debito: & ipso casu cohæres, qui non alienaverit, vel deliquerit, possit omnia bona alienata per dictum cohæredem, vel facto ejus, petere, exigere, & habere, ac si fuisset in eisdem bonis alienatis ex nunc principaliter institutus. Quo casu in prædictis bonis, quæ sic alienari contigerit, eum hæredem instituit, qui præmissa servaverit: ità quòd possit annullare, & capere omnia bona feudalia & burgensatica prædicta sine magistratùs licentia, nullo juris ordine servato.

16 Profectò (inquit Adversarius) per allegata capitula † agnationis contemplatio consurgit ex pluribus. Et quidem primò, ex qualitate bonorum & testatoris: de magno enim agitur patrimonio, & de viro ex Proceribus Regni nostri pereximio.

Secundò, ex instituta primogenitura: non enim omnibus liberis concessa successio est, sed filiis tan-

tantùm primogenitis.

Tertiò, ex sæpiùs repetita qualitate masculinitatis: cùm semper masculi utriusque hæredis fuerint ad successionem invitati.

Quartò, ex translineatione ad masculum inveniendum, postposità filiâ fœminâ lineæ ingressæ: ubi enim Comes Matthæus absque filiis masculis decessisset, filius masculus ex columnello Comitissæ Aloysiæ vocatus est; non autem filia fœmina Comitis Matthæi.

Quintò, ex vocatione in propria cellula filiæ fœminæ lineæ melioris, post admissos ad successionem filios masculos lineæ inferioris: filiis enim fœminis tunc Comitis Matthæi proprii parentis successionis beneficium permissum est, cùm uterque cohæres sine filiis masculis decessisset; non autem ubi Comitissa cum filiis masculis, & Comes Matthæus cum filiis fœminis, ut dictum est, obiisset.

Sextò, ex onere per testatorem injuncto omnibus omnino ejus bonorum possessoribus, ipsius deferendi cognomen & arma, sub pœna incorporationis, quatenus aliquis ex substitutis præcepto contraveniret. Licèt enim ipse prolem masculinam non haberet; tamen fictè & artificialiter proprios agnatos Comitem Matthæum, & Comitissam Aloysiam adoptavit.

Et septimò, ex ampla prohibitione alienandi, ut integrè atque indiminutè penès hæredes testatoris hæreditas conservetur.

Sed † ex eis omnibus nullum penitùs resultare agnationis conservandæ desiderium, proindeque fideicommissum prædictum non esse agnatitium, clarum & evidentissimum est. 17

Et quidem † non obstat prima conjectura qualitatis bonorum, & testatoris: hæc enim propriè conjectura fideicommissi perpetuitatis est, non autem agnationis: & quatenus ad agnationem arguendam pariter afferatur; communiter tamen a Jureconsultis ad inducendum agnatitium fideicommissum sufficiens non reputatur, cùm æquivoca sit, & quæ potest tam regulari, quàm agnatitio fideicommisso applicari: ut alibi latè scriptum est. 18

Non juvat secunda conjectura erectionis primogenituræ: quoniam † ejusdem farinæ est, ut fuit antecedens qualificata. Regularia enim fideicommissa primogenituram includere, usu pariter videtur receptissimum, & ultra successionis individuitatem, aliud ex se non operabitur. Castill. *controv. tom. 6. cap. 131. n. 26.* Thesaur. *qu. st. forens. 12. n. 60. & 61. lib. 2.* Molin. *de primogen. lib. 3. cap. 4. n. 4. & seq.* Luca *de fideic. disc. 25. n. 19.* Atque etiam quia hujusmodi conjectura in nostro fideicommisso non intercedit, ex eo, quòd expressa primogenitura in eo instituta non est, sed tantùm ex eo resultat, quòd de feudis agitur, quòdque successorum denominatio in numero singulari fuit explicata. 19

Non refert tertia conjectura

sæ-

sæpiùs repetitæ qualitatis mascu-
20 linitatis. Ipsa quidem † non ad eum finem per testatorem adjecta videtur conservandi agnationem; sed ut sexus demonstretur illius, qui esset ad formam regularis primogenituræ successurus. Sæpiùs enim masculinitatis qualitas repetita agnationem non concludit, quando, prout in casu nostro, fœminæ non sunt exclusæ, nisi propter masculos. Cassanat. *cons.* 38. *n.* 89. *& seq.* Rot. Rom. *p.* 2. *rec. decis.* 667. *n.* 10. Valenzuel. *cons.* 97. *n.* 76. Suelves *cons.* 5. *n.* 40. *& seq.*

Non movet quarta conjectura translineationis factæ à linea Comitis Matthæi decedentis absque filiis masculis, ad inveniendum masculum de linea Comitissæ A-
21 loysiæ. Quoniam † hujusmodi translineatio non ad masculum inveniendum in linea Comitissæ Aloysiæ facta est, cùm non immediatè filius ipse masculus fuerit ad successionem invitatus, sed ipsamet Comitissa Aloysia, & in casu non existentiæ ejusdem Comitissæ Aloysiæ, filii masculi ipsius Comitissæ ad successionem admissi sint: adeout affectio tantùm ad Comitissam Aloysiam considerata videatur, non autem ad suos filios masculos.

Ulteriùs translineatio, quatenus per possibile considerari posset, pro unico tantùm casu demandata videretur, nempe eo solùm, quo Comes Matthæus absque filiis masculis decessisset, superstite Comitissa Aloysia, vel ejus filiis masculis: qui quidem casus verificatus non fuit, cùm Comes Matthæus pluribus relictis filiis masculis defunctus sit.

Insuper eo casu de hujusmodi translineatione ad masculum inveniendum Comitissæ Aloysiæ quærendum esset, quo duraret Peraltarum agnatio: eâ tamen deficiente, ut in præsentiarum extincta est, super ea nil penitùs venit immorandum, omnisque cessare debet controversia: cùm de successione tantùm descendentium Comitis Matthæi agendum sit, inter quos de regulari primogenitura dubitari non valet.

Non obstat quinta conjectura vocationis in propria cellula filiæ fœminæ Comitis Matthæi, ubi nempe cùm ipse, tum Comitissa Aloysia sine filiis masculis decessisset. Ipsa quidem † ad eum fi- 22
nem ordinata videtur, ut prælatio Comitissæ Aloysiæ concederetur, vel filiis masculis tantùm ex ea nascituris, quatenus filius masculus ex Comite Matthæo non nasceretur, ut supra fuit examinatum; non autem ad agnationem conservandam, ut dictum est. Cùm autem filius masculus ex Comite Matthæo jam natus fuerit, & proinde casus verificatus non sit, ut pariter fuit supra conclusum; antecedens fideicommissum favore omnium descendentium tam masculorum quàm fœminarum perfectè dispositum, nullam ex ea recipiet alterationem.

In nihilo prodest sexta conjectura assumptionis cognominis & armorum testatoris. Non enim
† ea ad tuendam agnationem per 23

fœminarum exclusionem fuit ordinata, sed ad hoc, ut cùm masculus tum fœmina testatoris nomen & insignia conservaret. Quo casu
24 firmant communiter omnes, † eo non obstante, fideicommissum esse regulare, sub onere tantùm, quòd quilibet bonorum successor, masculus sit vel fœmina, præceptum testatoris adimplere teneatur. Ità Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 14. n. 8. & lib. 3. cap. 5. n. 78.* Molin. *de justitia & jure disput. 165.* Mierez *de majorat. p. 2. quæst. 6. n. 93.* Giurba *decis. 32. n. 27. 28.*

Et tandem parvifacienda est septima conjectura desumpta ex prohibitione alienandi: cùm ipsa
25 † potiùs regularem foveat primogenituram, quàm agnationem, eo quia non ut bona in familia conserventur, & ad tuendam agnationem adjecta est, sed ut bona ipsa integra & indiminuta penès hæredes remanerent. *Doctores communiter.*

Quibus omnibus pro coronide
26 accedat, quòd † quasi per modum regulæ testator ipse protestatus est masculos cum fœminis in eadem linea & gradu existentes præferre intellexisse: ut legitur in alio sui testamenti capitulo. *Item si fortè ex prædicta Comitissa Aloysia filia prædicti testatoris, ex legitimo marito suo proles legitima non superstiterit, vel ex eorum filiis; in eo casu post mortem ipsius Comitissæ Aloysiæ bona ipsa perveniant ad prædictum Matthæum cohæredem suum, & ejus filios: & in defectu eorum; ad fratres ipsius Matthæi: & in ipsorum defectu; ad filios eorundem: & in defectu omnium masculorum; ad filias fœminas eorundem: hoc semper intellecto, quòd successio ipsa priùs ad masculos ejusdem gradùs, quàm ad fœminas devoluatur.*

Atque iterum, in casu nativitatis posthumi eum in universis institutum, ea sub lege honoravit: ut cùm posthumus obierit, omnes ipsius posthumi liberi succederent, ut in descendentia Comitis Matthæi, & Comitissæ Aloysiæ mandaverat: proindeque ad formam per clausulam juris francorum desideratam omnes ejus hæredes honorasse visus est: ut in infrascriptis aliis habetur capitulis. *Item voluit & mandavit dictus testator, quòd si dicta Comitissa Beatrix uxor sua, vel quacunque alia uxor ejus legitima, post præsens testamentum masculum filium pareret, seu procrearet ex eodem testatore posthumum masculum ipsius testatoris; in eo casu, cassatis & annullatis omnibus prædictis institutionibus & substitutionibus, idem testator instituit hæredem suum universalem ipsum posthumum nasciturum ex dicta uxore sua, vel quacumque alia legitima, quæ pro tempore fuerit, si masculus fuerit, super omnibus Comitatu, Baroniis, Castris, Terris, locis, possessionibus & rebus aliis quibuscumque testatoris ipsius tam feudalibus quàm burgensaticis, tam mobilibus quàm stabilibus, existentibus tam citrà quàm ultrà flumen salsum, & in tota Sicilia, & ubique locorum; & in eo casu instituit sibi prædictam Comitissam Aloysiam filiam suam hæredem in dote sibi data per testatorem eundem, & vult eam de dicta dote*

dote esse contentam.

Item si fortè dictus posthumus masculus nasciturus ex dicta Comitissa Beatrice uxore sua, vel alia quacumque uxore sua legitima, & ex eodem testatore decederet in pupillari ætate, vel quandocumque sine liberis de suo corpore legitimè descendentibus; quòd in eo casu remaneant prædictæ institutiones validæ atque firmæ.

Quæ quidem omnia taliter sunt concludentia, atque tutissimo veritatis clypeo præmunita, ut, cùm fuerit facta transactio sub *anno* 1397. Peraltæ Montecatenis cùm masculis tum fœminis ex supradicta Comitis Matthæi dispositione Comitatum confirmaverint, ut infra examinabitur.

Atque etiam cùm *anno* 1398. *die* 10. *Junii* Comiti Antonio post delictum facta fuerit Comitatùs restitutio; pro filiis masculis & fœminis indistinctè restitutio facta est: & ità per Comitem Matthæum de Sclafano fuisse dispositum, implicitè a Regibus affirmatur ex eo, quòd una manu *anno* 1396. ipsimet Reges favore ipsiusmet Comitis Antonii, & in tuitionem suæ possessionis testamentum Comitis Matthæi de Sclafano, ut superiùs dictum est, approbaverant: & ex alia in privilegio *anni* 1398. Comitatum pro masculis & fœminis expressè Comiti Antonio restituerunt. Adeout necessum non sit conjecturas enumerare, per quas clausula juris francorum in dispositione C. Matthæi de Sclafano confirmaretur: etenim in claris versamur, in quibus argumenta superflua judicantur.

Asserit tertiò Adversarius, quòd 27
† quidquid hactenùs gestum sit, super præsenti successione attendendum non veniat, sed regulanda successio sit a fideicommisso Comitis Matthæi I. de Montecateno (quod agnatitium est) nepotis, ut dictum est, Comitis Matthæi de Sclafano ex Margarita illius filia primogenita. Quoniam in solemnissima transactione de Regum mandato stipulata sub *anno* 1397. & quæ fuit cum inserto tenore a Regibus confirmata, nulla penitùs mentio de testamentis Comitis Matthæi de Sclafano facta videtur; quinimò omnia bona sua post ipsius mortem libera supposita sunt, & Comitatus filiis Comitis Matthæi de Montecateno, utì patris hæredibus, relaxatus est.

Verùm † a secundo testamento 28
Comitis Matthæi de Sclafano in memorata transactione transigentes non discessisse, quinimò illùd ad unguem fuisse exequutos, lucidissimè demonstrabitur.

Primò, quia, per transactionem hujusmodi, omnibus Comitis Matthæi filiis cùm masculis tum fœminis, nempe Comiti Guglielmo Raymundo III. primogenito, aliisque secundogenitis, Comiti Antonio, Petro, Joannæ, Elviræ & Constantiæ Comitatus permissus est. Quòd, cùm non ex alio, quàm ex secundo testamento Comitis Matthæi, ubi ipsi fuerant substituti, evenire potuerit; consequens ergo, quòd in ejusdem exequutionem & observantiam id gestum extiterit.

Secundò, quia tempore transactionis Montecateni in Comitatùs possessione reperiebantur, & in ea, expressè factâ ipsius possessionis mentione, fuerunt a Peraltis pacificè relicti. At quia id in exequutionem processerat sententiæ per Magnam Regiam Curiam pronunciatæ, ex qua secundi testamenti subsistentia fuerat declarata, cùm literæ illius nullitatem declarantes ex continuata Montecatenorum possessione exequutioni traditæ non fuerint; rectè sequitur, quòd antiquam possessionem in observantiam secundi testamenti in Montecatenis Peraltæ confirmaverint.

Et tertiò, quia per hujusmodi transactionem alia bona existentia citrà flumen salsum Peraltis fuere concessa. Cùm enim in secundo testamento pariter hujusmodi divisio contineretur, nempe quòd bona existentia ultrà flumen salsum haberet Comes Matthæus, & ea sita citrà flumen salsum consequi deberet Comitissa Aloysia; si ità in transactione exequutum fuit, consequens ergo, quòd contrahentes secundo steterint testamento.

Verumtamen (inquit Adversarius) in transactione nulla de Comitis Matthæi testamentis mentio facta videtur, sed tantùm præmissum fuit, quòd lites quæstionesve inter ipsas partes parabantur.

Sed quòd etiam ex hoc transigentes implicitè secundo Comitis Matthæi testamento stare voluerint dubitandum non venit; cùm enim, ut dictum est, de actuali Montecatenorum possessione mentio facta fuerit; & quòd contra eos Peraltæ judicia instituere prætendebant, quæ ex transactione non instituerunt, sed eis omnibus cessum est; secundum Comitis Matthæi testamentum fuisse confirmatum quisque judicabit, cùm lites ad infringendum hujusmodi testamentum debebant institui, ex quo Montecateni in Comitatùs possessione reperiebantur: & eò ipsò quòd Montecateni in illius possessione fuerunt confirmati; secundum Comitis Matthæi testamentum censetur expressè approbatum.

Jam verò (subdit Adversarius) si ità esset, Montecateni in transactione titulum hæreditarium Comitis Matthæi eorum patris non expendissent, sed titulo successionis jure proprio usi essent. Quòd si ità se non gesserunt; signum ergo, quòd Comitatum liberum in Comite Matthæo eorum genitore certò crediderint.

Verùm Montecateni etiam uti successores, & venientes jure proprio, & ex pacto & providentia Principis transactionem stipulati sunt: quoniam etsi in narrativa transactionis affirmetur adesse cõtroversiam inter Peraltas & Montecatenos uti hæredes C. Matthæi eorum genitoris; adhuc tamen ibidem adjunctum est, quòd etiam uti patris successores ad successionem aspirabant: & subsequenter in dispositiva transactionis, ubi Montecateni cesserunt omnibus juribus sibi competentibus super bonis a Peraltis possessis, etiam

etiam tanquam venientes jure proprio, & ex pacto & providentia Principis actum perfecerunt. Cùm enim viceversa Peraltæ juribus cesserint sibi competentibus super bonis a Montecatenis possessis; hujusmodi cessio favore Montecatenorum, utì venientium pariter jure proprio, & ex pacto & providentia Principis, facta dici debet: eodem enim titulo alia bona existentia citrà flumen salsum Peraltis superiùs relaxaverant. Verba narrativæ transactionis hæc sunt. *Tanquam filios & haeredes & successores quondam magnifici & egregii Domini Matthai de Montecateno*. Et verba dispositivæ transactionis hæc esse videntur. *Tam jure successionis, quàm ex principali providentia illustrissimorum Principum, & suorum pradecessorum.*

Neque assumpto nocebit Adversarii replicatio, quòd quamvis Montecateni in transactione affirmaverint se successisse ex pacto & providentia Principis in bonis a Peraltis possessis; nihilominus idem non affirmavere Peraltę quoad Comitatum & alia bona, quæ penès Montecatenos remanserunt. Etenim licèt id expressè Peraltæ in transactione non dicant, implicitè tamen illud confiteri non desinunt: quoniam si prætensio Montecatenorum, ut in transactione supponitur, omnia bona Comitis Matthæi de Sclafano eorum proavi respiciebat, & ipsi ob talem prætensionem bona existentia citrà flumen salsum utì venientes ex pacto & providentia Principis, Peraltis permiserunt; rectò jure dici debet, quòd bona existentia ultrà flumen salsum, & in indidividuo Comitatum Adernionis eis Peraltæ utì pariter venientibus ex pacto & providentia Principis relaxaverint: idem enim erat titulus (ut dictum est) quo utraque bona Montecateni prætendebant, nempe utì descendentes Comitissæ Margaritæ eorum aviæ, & Comitis Matthæi eorum genitoris: & proinde si utì venientes jure proprio Montecateni cessionem favore Peraltarum expressè fecerunt, & Peraltæ id admiserunt; ità etiam Peraltæ in Montecatenis successionem aliorum bonorum, quæ illis concesserunt, ad eos utì jure proprio venientes pertinere confessi sunt.

Nec mirùm quòd etiam titulus hæreditarius Comitis Matthæi de Montecateno eorum patris cumulatus fuerit: nam prætensio ad tempus mortis Comitis Matthæi de Sclafano extendebatur, & consequenter omnes fructus includebat, qui usque ab anno 1354. a Peraltis percepti fuerant. Cùm verò fructus hujusmodi ad hæreditatem Comitis Matthæi eorum genitoris pertinerent; eam ob rem titulus hereditarius Comitis Matthæi de Montecateno pariter expensus est.

Præmissa verò indubitabilissima redduntur ex eo, quòd C. Matthæus de Montecateno tēpore suæ vitæ, & C. Antonius cùm ante tùm post transactionem, in actis, in quibus utì Comites Adernionis intervenerunt, cognomine de Sclafano usi sunt, quod cùm eis in secundo

cundo testamento Comitis Matthæi de Sclafano injunctum fuerit; consequens ergo quòd vigore secundi testamenti Comitatum habuerint.

29 Jam verò † (ut undequaque Adversarius victus remaneat, & ut Domina Cliens æquè principaliter ex transactione, ut insistit, quàm ex secundo testamento Comitis Matthæi de Sclafano Comitatùs possessionem obtineat) concedamus quòd ex pura litera transactionis metienda successio sit; nihilominus etiam transactione attentâ manutentio possessionis Dominæ Clienti venit concedenda. Quippè Montecateni utì descendentes Comitissæ Margaritæ eorum aviæ, filiæ primogenitæ Comitis Matthæi de Sclafano, ad universam assequendam ex pacto & providentia Principis intestatam omnium bonorum feudalium successionem, nullitatem omnium testamentorum prætendere poterant: ut Comitissa Margarita judicium instituerat. Ac pariter utì filii & jure proprio successores Comitis Matthæi eorum genitoris ad assequendam successionem Comitatùs Adernionis & aliorum bonorum, quæ ultrà flumen salsum sita erant, firmitatem secundi testamenti Comitis Matthæi de Sclafano eorum proavi sustinere valebant: ut etiam fuerat a suo genitore judicium institutum. Peraltæ verò, vel ex antiqua conventione stipulata inter Comitem Guglielmum de Peralta & Comitem Matthæum de Sclafano bona existentia citrà flumen salsum, vel ex tertio testamento Comitis Matthæi de Sclafano, bona omnia cùm feudalia tum allodialia eis relaxanda esse, poterant allegare.

Cùm autem in transactione nulla penitùs neque de testamentis neque de aliis juribus individualis mentio facta fuerit, sed tantùm Montecateni tam utì hæredes & successores Comitis Matthæi de Montecateno eorum genitoris, quàm utì successores ex pacto & providentia Principis in genere liticesserint prætensioni, quam habebant succedendi etiam in bonis existentibus citrà flumen salsum, quæ a Peraltis possidebantur: Peraltę autem pariter in genere liticesserint prætensioni, quam habebant succedendi etiam in bonis existentibus ultrà flumen salsum, quæ a Montecatenis possidebantur: adeout bona, quæ sita erant ultrà flumen salsum, penès Montecatenos, & ea quæ existebant citrà flumen prædictum, remanserint; rectè sequitur quòd per transactionem Comitatus Adernionis expressè in Montecatenis utì successoribus ex pacto & providentia Principis conservatus sit; atque bona existentia citrà flumen salsum, ex conventionibus olim factis inter Comitem Matthæum de Sclafano & Comitem Guglielmum Peralta virum Comitissæ Aloysiæ ejus generum, in Peraltis perseveraverint.

At quia idem est Comitatum Adernionis Montecatenos utì successores ex pacto & providentia Principis adeptos esse, ac si eis ex clausula juris francorum Comi-

mitatus permissus fuerit; consequens ergo, quòd vigore transactionis, etiam solâ literâ attentâ, Domina Cliens veniat ad præsentem successionem admittenda.

Iterum tamen replicat Adversarius id, ex assertione quòd Montecateni in Comitatu successerint ex pacto & providentia Principis, non resultare, cùm non doceatur qualesnam fuerint isti Principes, qui primam investituram de Comitatu antecessoribus C. Matthęi de Sclafano concesserunt: quinimò subjungit, quòd illi veniunt præsumendi, qui concessionem non sub clausula juris francorum, sed secundùm jus longobardorum feuda Vasallis relaxarunt. Sed satis huic objectioni superiùs responsum est, proindeq; nos ad ea remittimus, quæ ibi scripta videntur. Id tamen peculiariter repetendum est, quòd Comitatus a Peraltis, omnibus filiis Comitis Matthęi de Montecateno cùm masculis tum fœminis relictus est: & cùm fuerit jure antiqui feudi Comiti Antonio, ut diximus & infra replicabitur, *anno* 1398. Comitatùs facta restitutio; pro se & filiis cùm masculis tum fœminis restitutio facta est: adeout clausula juris francorum tanquam contenta in transactione in hujusmodi restitutionis privilegio fuerit expresſè confirmata. Hic enim erat titulus, quo Comes Antonius ante publicationem Comitatum possidebat.

30 Opus ergo † non esset, amplissimi Patres, super qualitate fideicommissi Comitis Matthæi I. de Montecateno, etiam pro successione Comitatùs Adernionis quid allegare. Ipse quidem nedum ab intestato decessit, & de ejus testamento non constat, ut in primo discursu probatum est; verùm etiam si cum testamento & sub prætenso fideicommisso ab humanis discessisset, non per hoc sua dispositio servanda esset: nam ex avito testamento in Adernioно sub onere restituendi suis descendentibus institutus est, & proinde nullam penitùs disponendi facultatem habebat.

Sed si per possibile suum fideicommissum foret in successione Comitatùs Adernionis attendendum, quia fortè liberè in Comitatu successerat; adhuc tamen ex eo non Dominus Dux Sancti Joannis, sed Domina Cliens veniret ad successionem admittenda. Quoniam Comes Matthæus quoad nostrum Comitatum instituto posthumo, qui fuit Comes Antonius, suos omnes sub nomine liberorum substituit descendentes cùm masculos tum fœminas, nullamque penitùs consideravit agnationem. Verba sui fideicommissi hæc sunt. *Item instituit sibi haredem suum super dictis Comitatu Adernionis, & feudis suis, & Centorbi, ac super omni jure ad eundem Dominum testatorem spectantibus quoquomodo posthumum si nasci contigerit, & ad lucem pervenerit, & ad ætatem perfectam, nasciturum ex magnifica Domina Allegrantia secunda consorte sua. Et casu quo dictus posthumus ad lucem non pervenerit, vel mori eum contigerit in minori ætate, vel quandocumque, liberis legitimis ma-*

i. *scu-*

sculis non procreatis; dicta hereditas perveniat ad dictum magnificum Dominum Guglielmum Raymundum. Quamvis autem testator solos masculos in conditione posuerit, vel eos ad successionem vocaverit; nihilominus fœminas non exclusit, quinimò eas pariter ad successionem admisit: cùm enim versaremur in descendentibus, vocatio etiam favore fœminarum subintelligenda esset, ex dispositione *tex. in l. cum avus ff. de condit. & demonstrat. cum concordantibus*: ut infra in examine fideicommissi Comitis Antonii latè punctus examinabitur.

Comes autem Antonius absque filiis defunctus est (ait Adversarius) proindeque, quidquid sit de substitutionibus adjectis in linea descendentium Comitis Antonii; substitutiones illæ servandæ sunt, quæ favore Comitis Guglielmi Raymundi III. ejusque descendentium agnatorum fuerunt ordinatæ: ut in primo discursu pro Comitatu Augustæ oppositum est. Idem enim fideicommissum universam successionem regere debet, licèt, quoad Comitatum Adernionis expressè repetitum non fuerit: nam Comiti Guglielmo Raymundo factum est, qui hæres universalis institutus fuerat, ac pariter in Comitatu Adernionis fuerat substitutus.

Verùm præscindendo ab eo, quòd hujusmodi fideicommissum a Comite Matthæo super aliis bonis factum, ad Comitatum Adernionis extendi non posset, cùm substitutioni factæ favore Comitis Guglielmi Raymundi pro Comitatu Adernionis aliæ substitutiones adjunctæ non fuerint: adeout etiam ex hoc nunquam a fideicommisso Comitis Matthæi hujusce Comitatùs succesio regulanda veniret; hoc fideicommissum illud esset, quod in primo discursu regularem primogenituram continere visum est. Rursùs dici posset, quòd cùm Comes Guglielmus Raymundus Comiti Antonio fratri prædecesserit, & Comiti Guglielmo Raymundo nullus alius fuerit substitutus; Comitis Guglielmi substitutio evanuerit, & Comitatus liber in Comite Antonio remanserit. Sed si Comes Antonius disponendi libertatem habuerit, vel ob allegatum Comitis Guglielmi prædecessum, vel alio jure; in sequenti parte examinabitur.



DI-

DISCURSUS SECUNDI
PARS SECUNDA.

De non attendendo, ex defectu potestatis, fideicommisso Comitis Antonii de Montecateno: ac de eo observando velutì fœminarum admissivo, quatenus Comes Antonius disponendi facultatem habuerit.

SUMMARIUM.

Liberorum nomine veniunt omnes descendentes, præsertim accedentibus conjecturis. n. 1.

Fideicommissum Comitis Matthæi de Sclafano desumitur perpetuum ex multis conjecturis. n. 2. & seq.

Verba reddimus, restituimus, & tornamus, *ostendunt feudum esse concessum utì antiquum. n. 5. eorumque virtus & potentia ad se attrabit virtutem aliorum sequentium. n. 6.*

Verba de novò concedimus, *adjecta in restitutione feudi, vim habent novæ concessionis: ubi tamen concurrit clara voluntas concedentis. n. 7.*

Verbum restituere, *& verbum* confirmare, *inter se simbolizant, atque ejusdem sunt operationis. n. 8.*

Verbum donare, *adjectum post restitutionem, est ejusdem restitutionis expressivum & accessorium, ac non includit novæ concessionis promissionem. n. 9.*

Verbis restituimus, reddimus & tornamus, *si conjuncta est clausula*, quatenus opus est, de uberiori gratia, *& similes, antiquum feudum dicitur confirmatum. n. 10.*

Clausula pro hæredibus & successoribus quibuscumque, *apposita non in primo, sed in sequentibus privilegiis; operatur, quòd non existentibus vocatis in prima investitura, possit feudum etiam in extraneos transferri. n. 11.*

Possessorium admittit mutationem tituli juris ministerio, & absque ulla animi declaratione. n. 12.

Conjecturæ agnationis in contrarium allegatæ super fideicommisso Comitis Antonii refelluntur à n. 13.

Conditio si sine filiis, *subintelligitur in gravamine descendentium. n. 14.*

Conditio si sine filiis, *in gravamine descendentium subintellecta, complectitur utrumque sexum. n. 15.*

Textus in l. cum avus *cum concord. procedit etiam in dispositione transversalis, propriam prolem non habentis. n. 16.*

Fœmina, ubi expressè exclusa non est, nec votum conservandæ agnationis intercedit; gaudet beneficio l. cum avus *cum concord. n. 17. imò etiam si fœmina fuissent exclusa. n. 18.*

Fœmina, licèt in expressa dispositione hominis non sit vocata, admittitur tamen ex legis beneficio, cùm inter vocationem hominis, & illius exclusionem detur medium, nempe vocatio legis. n. 19.

Limita, quoties substituti fuerunt agnati, ex theorica Aretini: *quòd tamen intellige, nisi agnatorum vocatio fuerit facta per nomen proprium, & in particulari. n. 21.*

Cumulantur nonnulla conjecturæ pro admissione fœminarum ex fideicommisso Comitis Antonii. n. 22. & seq.

Fœmina si reperitur vocata in linea substituti minus dilecti, multò fortiùs censetur admissa in linea instituti magis dilecti. n. 23. 25. & 26.

Repetitio masculinitatis excluditur inter substitutiones in diversa periodo & oratione conscriptas, si aliunde agnatio non fuerit a testatore considerata. n. 24.

Fœmina præsumitur ad successionem invitata, dum non fuit a testatore de dote provisa. n. 26.

Agnatio excluditur, quoties testator fœminas sive ante sive post agnatos admisit. n. 27.

Ponderantur nonnulla pro perpetuitate fideicommissi Comitis Antonii, & contraria refelluntur. n. 28. & seq.

Filiorum nomine veniunt omnes descendentes, quoties, præsertim in feudalibus, concurrit tractus successivus, & substitutiones collata sunt in remotum tempus. n. 29.

Fideicommissum non tantùm pro filiis primi gradùs, imò etiam pro omnibus descendentibus ordinatum censetur, quoties testator alias fecit substitutiones in tempus remotum verificabiles. n. 30.



Rioribus Adversarii assertionibus dissipatis, nova contra Dominam Clientem parantur arma, ex quibus Dominus Dux Sancti Joannis victor evadat. Dicitur enim, quòd Comes Antonius liberam de Comitatu disponendi facultatem habebat, quòdve primus reputari debeat Comitatùs acquisitor, ejusque parendum sit fideicommisso, quod agnatitium prætenditur. Disponendi libertas in Comite Antonio consideratur ex eo, quòd fideicommissum a Comite Matthæo de Sclafano in ejus secundo testamento institutum, personam ipsius Comitis Antonii non egreditur: adeout Comitatus in eo liber evaserit. Atque, quòd Comes Antonius primus Comitatùs acquisitor dicendus sit, propugnatur ex eo, quòd commisso per eum delicto, Comitatus publicatus est: & cùm fuerit eidem Comiti Antonio a Regibus, ex gratia, restitutus; de feudo novo restitutio facta est: eaque nova concessio, & sua testamentaria dispositio facta favore Comitis Joannis sui ex Comite Guglielmo Raymundo III. nepotis & hæredis universalis, fuit a Regibus confirmata nedum favore Comitis Joannis, verùm etiam favore Comitis Guglielmi Raymundi IV. & Comitis Joannis Thomæ Comitis Joannis descenden-

dentium, qui in Comitatu successerunt, ut ipse Comes Antonius pariter dispofuerat.

Hujusmodi tamen postrema Adversarii prætensio locum non habebit, cùm Comes Antonius Comitatùs Adernionis purus hæres gravatus extiterit: & proinde neque ex ea Dominus Dux Sancti Joannis victoriam consequetur.

Quatenus itaque pertinet ad primum; fideicommissum Comitis Matthæi de Sclafano temporale prætenditur, & quod personam Comitis Antonii non excedat, eo quia Comes ipse testator Comitis Matthæi Montecateni liberos, ac liberorum liberos in conditione posuit: proindeque cùm soli Comitis Matthæi filii, cujusmodi fuit Comes Antonius, ex præsumpta vocatione censeri debeant ad Comitatùs successionem admissi, tametsi Comes Antonius in Comitatu succedere debuerit; nihilominus ipse ad restitutionem favore suorum descendentium, vel aliorum substitutorum non erat obligatus, sed de eo liberè disponere potuit.

1 Verùm † fideicommissum esse perpetuum nedum ex eo comprobatur, quòd ex proprio verbi *liberorum* significato, omnes penitùs veniunt primi instituti descendentes, adeout pariter & ipsos vocatos esse censendos, planum & absolutissimum fit; verùm etiam ex eo, quod adjuncta in fideicommisso leguntur verba perpetuitatem importantia, tractusque successivus, ac personas includens expresfè in fideicommisso non nominatas. Ipsa quidem suaptè natura sunt, ut fideicommissum perpetuum judicetur, atque quòd testator sub denominatione liberorum omnes penitùs incluserit descendentes: ut infrascriptæ indicant principaliores conjecturæ.

Prima itaque conjectura est, quòd † testator ubi præceptum dedit suis successoribus deferendi cognomen & arma; ultra personas sub nomine filiorum ex suis hæredibus venientes, alias inclusisse supposuit sub denominatione liberorum comprehensas: ità enim affirmavit. *Dummodo dicta filia vel neptis ejusdem Matthæi sub hac conditione nubat, quòd vir ejus cognominetur cognomine dicti testatoris, & signa deferat ejusdem testatoris seu arma: itaut in omnem eventum tam dictus Matthæus nepos ipsius testatoris, quàm filius masculus ex suo corpore legitimè descendens nasciturus, aut in defectu ipsorum filiorum masculorum suorum, ut supra dictum est*, ille, qui succedet in bonis prædictis *tam jure successionis ultimæ voluntatis, quàm ex causa dotis, omnino signa seu arma Domini Comitis Matthæi deferat, & suo cognomine cognominetur: aliàs cadat a successione prædicta. Et istud onus cognominationis & signorum habeat* quicumque successurus in bonis prædictis: *aliàs* cadat a successione ipsa, & observantibus voluntatem Domini testatoris applicetur, *ut supra*. 2

Secunda conjectura est, quòd † ubi testator in casu inobservantiæ præcepti, incorporationem favore Regiæ Curiæ ordinavit; om- 3

nes in fideicommiſſo dixit hæredum deſcendentes & ſucceſſores incluſiſſe, qui ſub illo non includerentur, ſi ſupra ſub nomine *liberorum* vocati non eſſent: nedum enim verba mox inſerta, verùm etiam alia & quidem ampliora ſubſequenter in hunc, qui ſequitur, modum adnotavit. *Item voluit & ordinavit dictus teſtator, quòd* quicumque ſucceſſor ſuus fuerit in bonis feudalibus ſupradictis, tam ex parte prædicti Matthæi incluſivè, quàm ex parte dictæ Comitiſſæ Aloyſiæ, hæredumque ſuorum *deferat & deferre debeat arma ſeu ſigna teſtatoris, ſine aliqua immixtione aliquorum ſignorum, videlicet, duas grues in campis albo & nigro hinc inde paratis: & in cognomine ipſius teſtatoris idem intelligatur, videlicet, quòd cognominetur de Sclafano, & abſque aliqua adjunctione alicujus cognominis. Quòd ſi ſecus fecerit, ſubjaceat pœnis prædictis, videlicet, quòd cadat a ſucceſſione prædicta, & devoluatur ſucceſſio prædicti Matthæi ad prædictam Comitiſſam Aloyſiam, & filios ejus legitimos & naturales deferentes arma & cognomen ipſius teſtatoris: & è contra, ſucceſſio prædictæ Comitiſſæ Aloyſiæ devoluatur ad prędictum Matthæum, & ejus filios legitimos & naturales deferentes eadem ſigna, & ipſius cognomine cognominetur*. Et ſi fortè dicti hæredes, vel eorum ſucceſſores *non ſervarent voluntatem teſtatoris ejuſdem in cognomine & armis, ut ſuperiùs eſt expreſſum; ipsò factò cadant ab hæreditate prædicta: & in eo caſu hæreditas devoluatur ad Curiam: dummodo quòd ipſa Curia omnia & ſingula diſpoſita in præſenti teſtamento teneatur adimplere quantùm ad legata, debita, fideicommiſſa, & libertates, & confirmationes donationum factarum per eundem teſtatorem particularibus perſonis, præterquàm dictis ſuis hæredibus. Et ſi omnia bona prædicta propter defectum dictorum hæredum ad dictam Curiam devenire contigerit; ipſa Curia debeat retinere, uti, frui quouſque* filii dictorum contravenientium *perveniant ad ætatem legitimam: qui filii, ſi diſpoſitionem dicti teſtatoris ſervare voluerint, & ſervare promiſerint cum effectu; in eo caſu bona dicti teſtatoris repetant & habeant a dicta Curia, ac ſi in eis eſſent principaliter inſtituti: dummodo quòd ſervent prædicta in proximo capitulo diſpoſita*.

Et tertia demum conjectura eſt, quòd † ubi teſtator alienationem 4
prohibuit, id per verba temporis perpetuitatem denotantia ordinavit: & nedum ejus hæredibus, verùm etiam illorum omnium ſucceſſoribus id præcepit: adeout non in ſolis hæredum filiis, ſed in omnibus ejus deſcendentibus fideicommiſſum duraturum ſuppoſuerit, quemadmodum teſtator dixerat in præcepto delationis cognominis & armorum. Ità enim inquit diſponens. *Item voluit & mandavit dictus teſtator, & intentionis ſuæ eſt, & ità declarat, quòd nullus hæredum ſuorum ſibi ſuccedentium poſſit vendere, alienare, dare, pignorare, ac etiam permutare aliquod feudum, vel partem feudi, Caſtrum, nec Terram aliquam in toto*

to

to suo territorio, seu quæcumque bona burgensatica sibi pervenientia: nec etiam super ipsis terris, feudis, & bonis burgensaticis aliquam fidejussoriam cautionem subire, pro qua omnia bona obligentur, vel alienentur: ità quòd sicut obligantur ad portandum signa & cognomen, ità obligentur in nullo penitùs dictam hæreditatem distrahendo; imò dicta hæreditas remaneat & ex integro absque diminutione aliqua ipsis hæredibus, vel ipsorum alteri præsentem dispositionem servanti. Et si fortè dicti successores contrafecerint; ipsò factò dicta obligatio, alienatio, permutatio, vel in alteram personam translatio, sit nulla, quocumque modo translatio fiat ex contractu vel quasi, sive ex debito: & ipso casu cohæres, qui non alienaverit, vel deliquerit, possit omnia bona alienata per dictum cohæredem vel facto ejus petere, exigere, & habere, ac si fuisset in eisdem bonis alienatis ex nunc principaliter institutus. Quo casu in prædictis bonis, quæ sic alienari contigerit, eum hæredem instituit, qui præmissa servaverit: ità quòd possit annullare & capere omnia bona feudalia & burgensatica prædicta sine magistratùs licentia, nullo juris ordine servato.

Quæ quidem conjecturæ si in fideicommisso nostro ævo composito validæ essent, & convincentes; vehementissimæ ac firmissimæ evadunt in nostro themate, in quo de fideicommisso agitur (ut alibi dicebat Adversarius) instituto sub *anno* 1348. & proinde usque quasi a quatuor elapsis sæculis, in quibus testatores brevibus propriam explicabant voluntatem.

Rursùs, si in dispositione bonorum allodialium perpetuitatem concluderent; quid dicendum in feudis, quæ ex subjecta materia, & de eorum natura perpetua sunt, & pro quibus quælibet conjectura sufficiens reputatur?

Quatenus verò pertinet ad alterum, nempe quòd ex nova concessione facta Comiti Antonio post delictum sub *anno* 1398. *die* 10. *Junii*, Comes Antonius primus Comitatùs quæsitor reputandus sit, & ejus observanda sit dispositio; assumptum expellitur, & puram probatur fuisse factam antiqui Comitatùs restitutionem, ex verbis privilegii. Postquàm enim Rex a delicto Comitem Antonium ejusque filios absolverit, ità subjunxit. *Eidemque Comiti Antonio Comitatum Adernionis &c. reddimus, restituimus, & tornamus.* Iis equidem † verbis intercedentibus, feudum uti antiquum esse concessum, nemo dubitabit ex 5 *L. fin. §. fin. C. de sent. passis & restitutis, ubi Bartol.* Rot. Rom. penès Merlin. *dec.* 125. *n.* 45. *tom.* 1. *& ex Doctoribus passim.*

Quamvis autem immediatè verba illa subjungantur: *Et de uberiori gratia dictum Comitatum Adernionis dicto Comiti Antonio, suisque filiis utriusque sexùs natis & nascituris, legitimis dumtaxat, & in perpetuùm: & in defectu filiorum legitimorum prædictorum, aliis ejusdem Comitis Antonii hæredibus & successoribus quibuscumque, cum dicto territorio Centorbi, ac cum juribus & redditibus &c. de liberalitate nostra,*

stra, *speciali gratia*, *ac de certa nostra scientia*, *necnon cum deliberatione nostri Sacri Consilii nostro lateri assistentis*, *de novò gratiosè concedimus & donamus*. Nihilominus ipsa ad præponderandum apposita sunt, atque a præcedentibus verbis, nempe redditionis, restitutionis, & tornationis (ut verbis utar privilegii) recta dicuntur, & absorbentur, & nonnisi puram continent restitutionem. Ea siquidem
6 † est hujusmodi verborum vis, atque potentia; ut aliorum sequentium ad se attrahat virtutem & robur: ex magistrali doctrina Afflict. *de feud. lib.* 2. *tit. de Vasall. decrep. ætat. n.*9. *&* 10. Cesal. *cons.* 301. *n.* 129. *&* 130. *tom.* 3. *fol.* 6. Rosental. *de feud. cap.*2. *tit. de feud. divis. conclus.* 19. Cannet. *super cap. volentes*, *vers. sed occurrit n.*26. *ubi de deciso fol.*122. Cassanat. *cons.* 43. *num.* 91. *vers. & confirmatur*. Mastrill. *de magistr. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 21. *ad* 24. *in allegat. ibi impress.*
7 Cùm † eo tantùm casu verba recensita, *de novò concedimus*, vim habeant novæ concessionis, quando voluntas Regis concedentis est clara, quòd novam voluerit facere concessionem, & feudum jam publicatum sub nova & diversa forma, quàm antiqua, concedere. Isern. *in cap.* 1. *Vasall. decrepit. ætat. n.*3. *vers. quòd si diximus.* Gregor. *de concess. feud. p.*5. *quæst.* 2. *n.* 4. Revert. *decis.* 562. Justificant. *in causa Buteræ art. n.*5. *et* 6. Corsett. *cons.* 23. *n.* 15. *& seq. & præcipuè num.* 21. *&* 22. *ubi addit.* quem refert & sequitur Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §. 4. *a n.* 368. *&* 371. *&* §. 6. *n.*493.

Quòd adeò verum est, ut ipsemet Rex privilegium hujusmodi denominet confirmationem. Per hæc verba. *Mandantes bujus serie firmiter & expressè nob. Regni nostri Siciliæ Magistro Justitiario &c. quatenus præsentem remissionem*, *& ejusdem Comitatùs* confirmationem *&c. inviolabiliter observent*. Ejusdem enim † operationis est verbum *restitutio*, quàm *confirmatio*: 8
ac verbum *restituere*, & verbum *confirmare*, inter se simbolizant, cùm præcipuè de contraria Principis mente non appareat. Gregor. *de concess. feud. p.* 5. *quæst.* 2. *num.* 4. Cassanat. *cons.* 43. *n.* 91. *vers. & confirmatur*. Galeota *respons. fisc.* 12. *num.* 331. *&* 333. Corsett. *filius in addit. ad patrem cons.* 23. *n.* 9. Mastrill. *de indulto cap.* 20. *n.* 36.

Atque expressiùs dixerat Rex instante Comite Antonio in capitulis, etiam toto Sacro Consilio interveniente, eodem die 10. *Junii* 1398. quo privilegium expeditum est pro Comitis Antonii absolutione, firmatis: ibi enim petitum & obtentum fuit, quòd placeat Regi Terram & Turrim Adernionis cum territorio Centurpii Comiti Antonio restituere. His verbis. *Item placi a la ditta Regia Maestati* restituiri, *e donari ad Antoni di Muncada predittu la Terra e Turri d'Adernò, cu lu territorio di Centorbi, & juribus & pertinentiis eorum*. Neque † absolutam feudi antiqui 9
restitutionem evitabit verbum illud, *donari*, quod post restitutionem adjectum est: ejusdem enim re-

restitutionis est expressivum & accessorium, ac non includit novæ concessionis promissionem: ut expressè concludunt Dec. *cons.* 445. *n.* 6. Anna *in repet. feud. n.* 190. *fol.* 164. Mastrill. *de indulto cap.* 20. *n.* 39. *vers. sublimita primò.* Eaque interpretatio magis in casu nostro procedit, quo fuit expressè dictum de uberiori gratia novam fieri
10 concessionem. Cùm enim † verbis *restituimus, reddimus & tornamus*, conjuncta sit clausula, *quatenus opus est, de uberiori gratia*, & similes; antiquum feudum confirmari non dubitatur. Corsett. *loc. cit. n.* 26. Mastrill. *dicto cap.* 20. *n.* 39. *vers. sublimitatur secundò.*

Jam verò hactenus dicta locum habere merentur, quia in hujusmodi nova prætensa concessione, novæ leges appositæ non videntur; quo casu de vera feudi antiqui restitutione dubitandum non est. Luca *de feud. disc.* 5. *n.* 23.

In contrarium tamen novas in privilegio adjectas fuisse leges opponitur: nam postquam dictum fuerat, quòd Comitatus restituebatur *dicto Comiti Antonio, suisque filiis utriusque sexùs natis & nascituris, legitimis dumtaxat, & in perpetuùm*; immediatè ità subjunctum est: *Et in defectu filiorum legitimorum prædictorum, aliis ejusdem Comitis Antonii hæredibus & successoribus quibuscumque.* Equidem antiqua forma, ex qua Comiti Antonio fieri debebat Comitatùs restitutio, erat ex pacto & providentia Principis, (ut a nobis superiùs probatum est) non autem hæreditaria, ut per ascripta verba data videtur.

Sed oppositio non obstat, quoniam hujusmodi verba apposita non sunt in prima investitura, per quam primus feudi quæsitor formâ non ligatur, sed in alio privilegio, quod primam investituram confirmat. Ubi enim † clausula 11
ipsa in alio, quàm in primo privilegio adjecta est; facit quòd feudum, durantibus personis in prima investitura contemplatis, sit ex pacto & providentia Principis: & quòd iis deficientibus, possit etiam in extraneos transferri. Corsett. *cons.* 23. *à n.* 5. *ad* 9.

Ut defacto per eam formam feudum non esse hæreditarium, sed remanere pactionatum, affirmant alia privilegia, quæ in confirmationem privilegii *anni* 1398. a Regibus obtenta sunt, instantibus Comite Guglielmo Raymundo IV. filio Comitis Joannis, & Comite Joanne Thoma ipsius Comitis Joannis ex Comite Guglielmo Raymundo filio, nepote. Anno enim 1454. cùm Comes Guglielmus Raymundus ob mortem Comitis Joannis ejus patris in Comitatu successerit, & privilegium Comiti Antonio ejus patruo magno concessum sub *anno* 1398. atque ejus possessionem ex fideicommisso Comitis Antonii confirmatam desideraverit; a Rege Alphonso confirmationem obtinuit, sub iisdem clausulis, quæ in privilegio concesso Comiti Antonio continebantur, & præcipuè sub clausula, quòd filiis suis deficientibus, Comitatus intelligeretur confirmatus pro suis hæredibus & suc-

successoribus quibuscumque. Ac pariter *anno* 1466. cum inserto tenore privilegii *anni* 1454. idem numero obtinuit Comes Joannes Thomas, Comitis Guglielmi Raymundi filius, & qui ob mortem patris ex fideicommisso Comitis Antonii, ut exposuit, ad Comitatùs successionem admissus fuerat.

Si enim clausula, quòd deficientibus filiis Vasalli confirmationem petentis, feudum de pactionato in hæreditarium transmutaret; clausula ipsa non adjungeretur in privilegio, per quod feudum esse pactionatum defacto confirmatur. At quia id, ut Nostrates interpretati sunt, pro casu deficientiæ omnium personarum, quæ in prima investitura fuerunt contemplatæ, intelligendum est; eam ob rem tam in privilegio concesso Comiti Antonio, quàm in aliis ejus successoribus impartitis, & qui jure proprio veniebant, a Regibus permissum fuit.

Præmissis autem accedat, quòd fortè clausula ipsa pariter in prima concessione facta Comiti Matthæo de Sclafano apposita fuerit, vel saltem quòd in vim expressionis illius, quòd de jure ità procedebat, adjecta sit: cùm enim Comes Matthæus de Sclafano primus Comitatùs acquisitor extiterit, ut probatum est; rectè poterant ipsius descendentes, vel alii in prima investitura contemplati, quatenus personæ deficerent, quæ ex prima concessione succedere valebant, hæredibus suis quibuscumque Comitatum relinquere.

Instat verò Adversarius, quòd si de feudo antiquo restitutio facta esset, *anno* 1416. mortuo Comite Antonio sine filiis, Comes Matthæus II. ex Comite Guglielmo Raymundo III. Comitis Antonii nepos primogenitus, debebat ad successionem admitti; non autem Comes Joannes ex eodem Comite Guglielmo Raymundo III. Comitis Antonii pariter nepos, sed secundogenitus, qui ex dispositione Comitis Antonii ad Comitatùs successionem defacto admissus fuit: ac ex privilegio restitutionis Comiti Antonio concesso sub *anno* 1398. quod a Rege, tanquam motivum permissæ possessionis, favore Comitis Joannis approbatum est.

Idemque cum Comitis Joannis descendentibus exequutum fuisse constat: *anno* enim 1454. instante Comite Guglielmo Raymundo IV. Comitis Joannis primogenito & hærede, a Rege confirmata est successio Comitis Joannis, ac ipsius Comitis Guglielmi Raymundi ex testamento Comitis Antonii, atque ex privilegio *anni* 1398. quod a Rege fuit cum inserto tenore pariter confirmatum. Et iterum anno 1466. instante Comite Joanne Thoma filio Comitis Guglielmi Raymundi IV, fuit a Rege petita & obtenta confirmatio cum inserto tenore privilegii *anni* 1454. in quo, ut dictum est, insertum erat privilegium *anni* 1398. Ac demum anno 1479. instante eodem Comite Joanne Thoma, in juramento fidelitatis per eum præstito, admisit Rex,

quòd

quòd Comes ipse protestatus sit, vigore privilegii anni 1398. Comitatum possidere.

Ea tamen omnia non impediunt quin antiqui feudi fuerit facta restitutio, & quòd ex antiquis investituris renovatis in privilegio *anni* 1398. Comes Joannes, ejusque descendentes Comitatum possederint, & possidere velle declaraverint. Etenim licèt Comes Joannes hæres scriptus Comitis Antonii esset; nihilominus uti filius Comitis Guglielmi Raymundi III. pariter erat in antiquis investituris comprehensus, & ex eis etiam poterat in Comitatu succedere: quapropter, cùm nedum vigore testamenti Comitis Antonii, verùm etiam virtute restitutionis Comiti Antonio factæ sub *anno* 1398, inserto tenore privilegii, Comitatùs possessionem assequutus fuerit; consequens est, quòd sua & suorum descendentium successio potiùs ex antiquo titulo, quàm ex libera Comitis Antonii disponendi facultate permissa fuerit: ipsi quidem omnes verbum nullum in privilegiis dixerunt, quòd Comes Antonius liberum a Regibus Comitatum acceperat.

Idque nedum manifestant memoratorum privilegiorum contextus, verùm pariter ad evidentiam ostendit clausula adjecta in privilegio per Comitem Joannem obtento, post mortem Comitis Antonii, sub anno 1416. in quo privilegium *anni* 1398. confirmatum est. In eo enim jura fuerunt reservata Comiti Matthæo competentia ex eodemmet privilegio restitutionis Comitatùs, quæ *anno* 1398. Comiti Antonio facta fuerat: ut ait Rex per hæc verba. *Juribus tamen alterius semper salvis, & specialiter Comitis Matthæi de Montecateno, secundùm tamen formam dicti privilegii*, (quod illud erat Comiti Antonio concessum anno 1398.) *cui in nullo per præsentem clausulam volumus derogare*. Si enim Rex & Vasallus Comitatùs relaxationem *anno* 1398. Comiti Antonio factam, pro nova concessione reputassent; nullum penitùs jus super Comitatu prætendere poterat Comes Matthæus ex privilegio *anni* 1398. sed ex antiquis investituris: quia verò pro pura tantùm habuerunt antiqui feudi restitutione, per quam Comiti Matthæo II. tanquam primogenito Comitis Guglielmi Raymundi III. deferenda successio erat; propterea Rex jura Comiti Matthæo reservavit, ac proinde antiqui non novi feudi factam fuisse concessionem implicitè declaravit: atque confessus est Comes Joannes, qui si prætendisset quòd in Comitatu ex nova concessione facta Comiti Antonio sub forma hæreditaria successerat; utique reservationem factam favore Comitis Matthæi absque sua protestatione non acceptasset, vel saltem eam absque expressa propriorum jurium reservatione exequutus non esset.

Quod evidentiùs in verbis subsequentibus expressum est: nam Rex, cùm etiam in hoc privilegio *anni* 1416. usus esset verbis, quæ pos-

possent novam concessionem favore Comitis Joannis importare; quia dixerat: *Et ad uberiorem gratia nostra largitionem, Comitatum eundem prædicto nobili Joanni de Montecateno, & dictis suis hæredibus & successoribus, si & quatenus spectat ad Regiam Curiam nostram, de novò concedimus & donamus.* Postquàm fecit salvum jus Comitis Matthæi, quod eidem competebat ex privilegio *anni* 1393. ut dictum est; immediatè Comitis Matthæi præjudicium in eo consistere affirmavit: quòd Comitatus Comiti Joanni permittebatur *per confirmationem & de novò concessionem*.

Atque, ut omnis prorsùs cessaret scrupulus, quòd jurium reservatio facta favore Comitis Matthæi ad id tendebat, quòd concessio Comiti Antonio impertita sub *anno* 1398. antiqui feudi concessionem importaverat, & quòd proinde Comes Matthæus ex antiquis privilegiis in Comitatu succedere debebat; Rex evidentissimè aperuit per verba immediatè sequentia: ità enim subjunxit. *Non intelligatur quòd præsens confirmatio, & nova gratia, in judicio vel extra possit contra dictum Comitem allegari: imò fiat ei justitia, ac si præsens gratia facta non esset.*

His verò addendum est, quòd *anno* 1398. *die* tamen 15. *Octobris* Comes Antonius, postquàm a Regibus sub *die* 10. *Junii ejusdem anni* sæpiùs allegatum obtinuisset restitutionis privilegium: cùm consideraset quòd ad formam in eo privilegio præscriptam, ipsi pura de antiquo feudo restitutio facta erat, & quòd proinde de Comitatu liberè disponere non poterat; aliud ab iisdem Regibus impetravit privilegium, in quo (saltem per literam) ei libera disponendi facultas concessa est nedum favore cujuslibet sui hæredis & successoris, verùm etiam favore suorum filiorum naturalium atque bastardorum, per hæc verba. *Et ut nostra munifica celsitudo versùs dictum nobilem Comitem Antonium, uxorem, filios legitimos & naturales, atque bastardos misericorditer extendatur; eisdem & eorum cuilibet hæredum successorumque suorum in perpetuùm ratificamus, confirmamus, acceptamus, & de novò conferimus & donamus Comitatum Adernionis cum territorio Centorbi, & omnia bona &c.* Eo tamen non obstante nedum ipse hujusmodi privilegio usus non est, quia bastardos, quos habebat, in Comitatu non instituit, & in extraneos non disposuit; verùm etiam expressè reprobarunt Comes Joannes, suique descendentes: non enim posterioris privilegii, per quod Comes Antonius liberam dispositionem fortè prætendere poterat, sed anterioris privilegii, per quod Comiti Antonio disponendi libertas evidentissimè interdicta erat, cum inserto tenore, pluriès confirmationem a Regibus obtinuerunt.

Eaque omnia implicitè confiteri non desiit Comes Joannes. Ipse quidem in suo testamento condito sub *anno* 1420. licèt Comitatum Adernionis Comiti Gugliel-

glielmo Raymundo ejus filio primogenito prius reliquisset, & Antonio Perio ejus filio secundogenito Baroniam Ferulæ; nihilominus quia benè sciebat quòd ipso mortuo poterat Comes Matthæus Comitatùs successionem prætendere; casum hujusmodi quasi certò verificabilem prævidit: atque in ejusdem eventum, revocata institutione Antonii Perii, in Baronia Ferulæ Comitem Guglielmum Raymundum instituit: ut id in infrascripto capitulo continetur. *Item voluit & mandavit, quòd si dictus Comitatus Adernionis cum territorio Centorbi evinceretur a manibus & posse dicti magnifici Domini Guglielmi Raymundi ejus filii & hæredis instituti, ut supra; eo casu dictus magnificus testator, excluso dicto magnifico Antonio Perio filio secundogenito ab hæreditate & institutione dictæ Terræ & Baroniæ Ferulæ, instituit, ordinavit & fecit suum hæredem in & super prædictis Castro, Terra & Baronia Ferulæ dictum magnificum Dominum Guglielmum Raymundum filium suum primogenitum.*

Sed ex antedictis nil aliud resultare, ait Adversarius, nisi quòd
25 Comitis Antonii fideicommissum servandum sit: licèt enim Comitis Matthæi descendentes ex antiquis privilegiis, testamentis, & transactione Comitatùs successionem prætendere possent; adhuc tamen id non in præsenti judicio possessorio, sed in judicio reivindicatorio allegare valerent, cùm eorum possessio usque ab *anno* 1416. quo decessit Comes Antonius, interversa dicatur: nedum enim Comes Matthæus II. ex successione Comitis Joannis, ut visum est, præjudicatus remansit, & ex successione Comitis Guglielmi Raymundi IV. qui anno 1420. in Comitatu successit ob mortem Comitis Joannis ejus genitoris; verùm etiam ad obtinendum in judicio possessorio evidens sibi suisque successoribus paravit præjudicium C. Guglielmus Raymundus etiam IV. Comes Caltanissettæ, filius primogenitus Comitis Matthæi II, ubi *anno* 1465. permisit Comiti Joanni Thomæ filio memorati Comitis Guglielmi Raymundi IV. Comitatùs successionem.

Incassum tamen fit replicatio; quia successio Comitis Joannis & suorum descendentium usque ad Comitem Joannem Thomam ex eo concessa est, quòd ipsi omnes in antiquis privilegiis concessis ante restitutionem factam Comiti Antonio comprehendebantur: & quamvis ex eis C. Matthæus II. & C. Guglielmus Raymundus IV. Comites Caltanissettæ, tanquam procedentes a linea primogeniti succedere debuissent, non autem Comes Joannes, neque Comes Guglielmus Raymundus ejus filius, & Comes Joannes Thomas ejus nepos, qui defactò successerunt; adhuc tamen id non ad eum finem factum est, ut ipsi dicerentur successisse ex solo tantùm fideicommisso Comitis Antonii; quasi quòd ille primus Comitatùs acquisitor dicendus esset, sed ex privilegio pariter restitutionis

Comiti Antonio impartito, quod successionem, ex antiquis investituris antecedenter emanatis, omnibus etiam Comitis Joannis descendentibus concedebat.

Profectò, sicuti Comes Guglielmus Raymundus III. cui tanquam primogenitus Comitis Matthæi I. Comitatùs successio spectabat, successionem Comiti Antonio secundogenito renunciavit; non quidem ut liberè de Comitatu disponere posset, sed uti comprehenso in antiquis investituris: adeout C. Antonius *anno 1396*, post obtentam hujusmodi renunciationem, testamentum Comitis Matthæi de Sclafano, ex quo vocatus erat, & suam possessionem ex hujusmodi testamento confirmatam habuerit; ità etiam exequutos fuisse censendum est Comitem Matthæum II. favore Comitis Joannis, & favore Comitis Guglielmi Raymundi ejus filii: & C. Guglielmum Raymundum IV. Comitem Caltanissettæ, favore Comitis Joannis Thomæ filii Comitis Guglielmi Raymundi IV. Comitis Adernionis, nempe se de medio abdicando: adeout ipsi omnes confirmationem cum inserto tenore obtinuerint privilegii concessi C. Antonio sub *anno* 1398. quod puram tantùm includit antiqui feudi restitutionem ex antiquis privilegiis, & præcipuè ex privilegio confirmationis testamenti Comitis Matthæi de Sclafano Comiti Antonio concesso, ut supra latè probatum est.

Atque etiam quia, mortuo Comite Guglielmo Raymundo V. filio Comitis Joannis Thomæ Comite Caltanissettæ & Adernionis, ac marito Comitissæ Contissellæ filiæ C. Antonii Comitis Caltanissettæ filii Comitis Matthæi II; anno 1510. successit in Comitatu Caltanissettæ & Adernionis Comes Antonius II. ab utroque descendens, nempe a Comite Matthæo filio primogenito, & a Comite Joanne filio secundogenito Comitis Guglielmi Raymundi III: proindeque, cùm per duorum seculorum curriculum & ultrà, omnes Comitatùs possessores illum juxta formam suorum privilegiorum, cum expressa fœminarum admissione, possidere velle protestati sint; nulli dubium quòd etiamsì aliquando fuisset interversa possessio, fuerit nihilominus reintegrata: quia reivindicando a semetipsis, non ex privilegiis vel Comiti Antonio, vel aliis ejus successoribus concessis Comitatum quasi quòd liber Comiti Antonio spectaret, sed ipsum ex antiquioribus præcedentibus privilegiis possederunt.

Quippe, supposito vitio tituli, vigore cujus fortè Dominæ Clientis antecessores Comitatum possidebant, juris ministerio † & absque ulla animi declaratione causa eorum possessionis mutata est, & dicitur vigore alterius tituli tutioris Comitatum possedisse: & sicuti possessores a Comitatùs possessione amoveri non poterant, nisi facta novi tituli discussione; ità, hujusmodi novo titulo jam examinato, ex eo Dominæ Clienti ultimi possessoris filiæ & hæredi pos- 12

possessio concedenda est. R.Rom. coram Merlin. *decis.* 299. *n.* 3. *& seq. & decis.* 313. *n.* 9. Ludovis. *decis.* 546. *a n.* 1. *& in addit. n.* 11. Rot. Rom. *p.* 9. *rec. decis.* 256. *n.* 13. *& seq. to.* 2. *& p.* 11. *decis.* 258. *a n.* 1.

Verùm in casu nostro animi declaratio non deficit: si enim fideicommissum Comitis Antonii (ut firmat Adversarius) agnatitium est; nunquam in Comite Antonio disponendi facultatem supposuerunt successores, si fœminas ad Comitatùs successionem admissas esse confirmarunt (ut in sequenti parte probabitur, in qua super observantia in familia tractandum est) ubi ergo successores fœminas admiserunt, ex antiquis privilegiis Comitatum possedisse declararunt.

Eaque animi declaratio, atque tituli mutatio ex alio præsumenda est: cùm enim juris sit absolutissimi, quòd delictum proprio authori opitulari non possit; nova concessione uti non valeret Comes Antonius, vel post ejus mortem, venientes jure proprio possent a manibus suorum hæredum, ratione evictionis sequutæ, facto proprio heredis gravati, Comitatū sub antiqua forma recuperare: ut in primo discursu probatum est.

Quò fit, ut cùm in Comitatu, ab obitu Comitis Antonii usque ad mortem Comitis Ferdinandi ultimò defuncti, personæ illæ successerint, quæ fuerant in antiquis investituris comprehensæ; consequens ergo, quòd, cùm omnes Comitatùs possessores, juxta formam suorum privilegiorum, Comitatum possedisse in juramento fidelitatis expressè dixerint; quomodocumque C. Antonio Comitatus restitutus fuerit, semper hi qui successerunt, eò ipsò quòd fœminas ad successionem admissas esse confessi sunt; vigore antiquorum privilegiorum Comitatum possedisse declararunt, non autem virtute fideicommissi Comitis Antonii, per quod fœminas, ut dictum est, a successione Comitatùs exclusas esse prætenditur.

Servetur nihilominus dispositio Comitis Antonii, tanquam primi Comitatùs acquisitoris: non sit antiqui feudi restitutio, sed novi absoluta concessio: nec valeant contemplati in antiquis investituris, harum vigore, non obstante nova concessione, ex evictione Comitatum possidere, quod juris principiis repugnaret: & demum habeat Comes Antonius de Comitatu liberam disponendi facultatem; non per hoc ex ea Dominus Dux Sancti Joannis, sed Domina Cliens possessionis manutentionem obtinebit; cùm ejus fideicommissum, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus, fœminam admittat, non autem agnatum remotiorem, ut perperam prætenditur in contrariùm.

Instituto siquidem per Comitem Antonium, specialiter in Comitatu Adernionis & territorio Centurpii, Comite Joanne, suo ex C. Guglielmo Raymundo III. fratre nepote: Comes ipse testator, casu quò ipsum Comitem Joannem sine filio vel filiis masculis mori contigerit; substituit Gastonum

num Comitis Matthæi II. filium secundogenitum ; cui sine filiis masculis decedenti; substituit Guglielmum Raymundum alium Comitis Guglielmi Raymundi III. filium, & successivè ejusdem Guglielmi Raymundi filios : in quorum defectu ; illum substituit, qui de jure succedere deberet, per hæc verba. *In casu quo præfatus magnificus Dominus Joannes mori contigerit sine filio vel filiis masculis ex suo corpore legitimè descendentibus ; casu prædicto substituit sibi magnificum Gastonum filium legitimum & naturalem magnifici Comitis Matthæi de Montecateno : & in casu quo dictus Gastonus mortuus fuerit cum filio legitimo & naturali ; casu prædicto voluit dictus testator, quòd dicta hæreditas seu Comitatus Adernionis cum dicto territorio Centorbi perveniat ad ejus filium masculum : in quorum masculorum vel masculi defectu ; substituit Guglielmum Raymundum filium quondam magnifici Guglielmi Raymundi ejus fratris, & successivè ejusdem filios legitimos & naturales ex suo corpore legitimè descendentes : in quorum defectu ; succedat ille, qui de jure succedere debet.*

Ex universa quidem recitati fideicommissi structura, fœminas, præcipuè in casu in quo versamur, esse ad successionem invitatas apertè convincitur. Nam Comes Antonius testator sub illa conditione apposita post institutionem Comitis Joannis, si nempe Comes Joannes sine filiis masculis decesserit, filias fœminas ejusdem Comitis Joannis non exclusit: quinimò ex aliarum substitutionum contextu eas vel testator, vel leges ad successionem invitarunt : Guglielmo enim Raymundo omnes ejus filii legitimi & naturales substituti sunt, nullâ factâ masculorum & fœminarum differentiâ : atque filiis Guglielmi Raymundi deficientibus ; ille ad successionem admissus est, qui de jure succedere deberet : quòd idem est, ac quòd, deficientibus masculis ejusdem lineæ & gradùs, fœmina censeatur invitata. Et demum nullum penitùs a Comite testatore expressum videtur agnationis conservandæ desiderium : ut infra latiùs explanabitur.

Credit nihilominus Adversarius, fideicommissum esse agnatitium, & fœminarum exclusivum, etiam quòd fœminæ adstrictiores essent, & de linea meliori, ex nonnullis conjecturis : quæ cùm debiles atque fragiles sint ; fœminarum successionem non evitabunt :

13 Et quidem † inutiles videntur conjecturæ desumptæ ex qualitate bonorum, & testatoris : cùm superiùs tam in primo discursu, quàm occasione fideicommissi Comitis Matthæi de Sclafano, fuerint levi brachio resolutæ.

Non attendenda est alia conjectura sæpiùs repetitæ qualitatis masculinitatis : cùm ea in casu nostro non intercedat. In eo enim filii masculi Comitis Joannis, & aliorum substitutorum, post patris mortem, ad formam regularis primogenituræ, sive successionis, per clausulam juris francorum admissi sunt, cùm exclusio fœminarum non adjungatur : qua exclu-

clusione non accedente, ex Doctoribus supra relatis, conjectura sæpiùs repetitæ qualitatis masculinitatis de facili removetur.

Nihil curandum est de alia conjectura translineationis ad masculum inveniendum: ipsa quidem in nostro fideicommisso cum fœminarum exclusione non legitur. Ejusve efficacia in eo præcipuè consistit, quòd existentibus in linea gravati fœminis, fiat transitus, eis postpositis, ad aliam lineam, in qua masculus inveniatur, ut sæpiùs dictum est: at quando indicato tantùm immediato successore de linea ingressa, ad aliam transitus fit; nil proderit translineatio: priori enim tam masculorum quàm fœminarum lineâ non evacuatâ; translineatio locum non habebit.

Non prodest alia exclusionis Allegranticllæ filiæ testatoris, filios masculos non habentis, cum ipsius tantùm provisione de dote. Quamvis enim hæc summopere moveret; cessat tamen, & omnino inutilis redditur, cùm filia legitima non fuerit, sed tantùm naturalis: ut id, quod testator de filiæ natalibus in obscuro dixerat in testamento, manifestavit in codicillo, ubi expressè eam, filiam naturalem fuisse confirmavit. Ut latè super hujusmodi conjecturis in primo discursu scriptum est.

Et demum nullius est ponderis ultima conjectura promanans ex substitutione Gastoni, casu quo Comes Joannes primus institutus sine filiis masculis decesserit: quasi quòd ea omnes tantùm descendentes masculos Comitis Joannis includat, & fœminarum exclusionem inducat: adeout, cùm in præsentiarum adhuc in linea simus Comitis Joannis, ejusque descendentium, & qualitas masculinitatis a testatore requisita, in Domino Duce Sancti Joannis, non autem in Domina Cliente reperiatur; ipse successor dici debeat utì masculus, nõ verò Domina Cliens fœmina, quæ ob solam masculorum vocationem exclusa videtur. Etenim, præscindendo ab eo, quòd propriè hæc non esset conjectura agnationis, sed simplicis tantùm masculinitatis, adeout Domino Duci Fernandinæ Dominæ Clientis filio faveret, utì masculo de linea ingressa, nunquam autem Domino Duci Sancti Joannis agnato remotiori; filiabus Comitis Joannis primi instituti, & multò magis eis ex filiis masculis Comitis Joannis nascituris, ut est casus in quo versamur, suffragatur dispositio textuum in *l. cum avus ff. de condit. & demonstr.* in *l. generaliter §. cùm autem C. de instit. & substit.* & in *l. cum acutissimi C. de fideic.* Ad quorum tenorem † gravatis 14
descendentibus in infinitùm, subintelligitur conditio, si gravatus sine filiis decesserit, quæ † utrum- 15
que sexum complectitur cùm masculinum tum fœmininum: adeout, quamvis ultimus defunctus sine filiis masculis decesserit; non per hoc ejus filia fœmina ex citatis legibus admittenda non est, si ipsa sola in ultimi possessoris linea reperiatur. Torre *de majorat. p. 2. quæst. 16. n. 5. 6. 7.* Serafin. *decis.*

decis. 1216. *num.* 5. Balducc. *decis. tit.* 3. *de legat. decis.* 3. *à n.* 23. *ad finem.*

Nec juvat replicare quòd versemur in dispositione transversalis, quasi quòd allegatæ leges in dispositione tantùm ascendentis, & quoad istius descendentes procedere valeant. Etenim replicationem esse veram, quando transversalis proprios filios haberet,
16 non negarem: ubi verò † ille propriâ prole, proindeque lineâ effectivâ privatus, favore nepotum, prout in casu nostro, disposuit, eos quasi locò descendentium, & propriæ lineæ effectivæ, subrogando; nulli dubium est, quin nepotes ascriptarum legum beneficio fruantur. Luca *de fideic. disc.* 146. *n.* 11. *Et communiter omnes.*

Sicuti etiam non prodest objectio, quæ in materia circumfertur: nempe quòd in casu nostro talis conditio non subintelligatur, cùm positi tantùm in conditione fuerint filii & descendentes masculi Comitis Joannis. Quo casu cùm testator expresè conditionem, *si sine filiis*, a lege subintellectam adjecerit; de eorum successione quærendum est, quos testator admisit, nempe masculorum, non autem aliorum, nempe fœminarum: ipsæ quidem si de eis nil dixit testator; exclusæ præsumuntur: & cùm masculos in conditione posuerit; ergo fœminas exclusit. Quoniam, licèt verum certumque sit, quòd ex hujusmodi, quasi dicam, fœminarum præteritione aliquale resultare posset exclusionis argumentum; adhuc tamen illud non absolutè & simpliciter accipiendum est, sed quatenus ex mente testatoris appareat, ipsum aliunde agnationem amasse, & filios masculos in conditione posuisse, ut propriæ consuleret agnationi.
Nam † si votum conservandæ 17
agnationis non intercedit (ut ex rejectis conjecturis, & ex infrascriptis fœminarum favore allegandis, eam conservare noluisse probatur) fœminæ semper suprascriptarum legum beneficio uti possunt: cùm expressio unius sexùs, eò ipsò quòd aliud motivum non concurrit (ut esset illud agnationis conservandæ) conjecturam pietatis erga alterum, cui textualis innititur dispositio, removere non possit. optimè Palma *alleg.* 93. *n.* 35. Rot. Rom. *p.* 16. *recent. decis.* 132. *n.* 6. Torre *de majorat. p.* 1. *cap.* 25. §. 14. *a n.* 147. *ad* 153. *& p.* 2. *cap.* 16. *a n.* 14. *& seq.* Petrus Aloysius della Rosa *in ejus alleg. n.* 103. apud Torre *de majorat. p.* 2. *quæst.* 16. Altimar. ad Rovit. *cons.* 26. *n.* 37. Balducc. *decis. tit.* 3. *de legat. decis.* 3. *n.* 1. *& seq. & decis.*
4. *n.* 2. *& seq.* Et † etiam si fœmi- 18
næ fuissent exclusæ. Serafin. *dicta decis.* 1216. *per totam.*

Bonumque argumentum non est: *Testator in conditione posuit filios masculos; ergo fœminas exclusit*: sed bonum est aliud, nempe: *Disponens expresè filios masculos posuit in conditione; ergo nil dixit de fœminis*. Argumentum enim a contrario sensu strictè, ac ad limites verborum sumendum est, ut nempe valeat consequentia posterioris argumenti, non autem

pri-

19 primi: adeout, cùm † inter vocationem hominis, & illius exclusionem detur medium, nempe vocatio legis; stare simul possint, quòd fœmina, in expressa dispositione hominis vocata non sit, & quòd nihilominus ex legis beneficio ad successionem admittatur: ut egregiè hujusmodi conceptum explanant Rot. Rom. *dicta p. 16. recent. decis.* 132. *a num.* 7. *ad* 13. Torre *de majorat. p.* 2. *quæst.* 16. *n.* 21. Marchio della Rosa *loc. cit. n.* 105.

Quamvis autem laudati Patres, & nonnulli apud eos firmatam
20 † limitent conclusionem eo casu, quo positis in conditione filiis masculis, substituti legantur agnati, quasi quòd ex hoc præsumatur expressam contemplatam fuisse agnationem, ex theorica Aretini *in tract. de testam.* proindeq; prætendi possit in contrarium limitationem esse casui nostro applicabilem: quia post conditionem adjectam, *si Comes Joannes sine filiis masculis decesserit*, substituti fuerunt Gastonus, & Guglielmus Raymundus testatoris agnati, cùm Gastonus filius fuerit Comitis Matthæi II. testatoris ex Comite Guglielmo Raymundo III. nepotis, & Guglielmus Raymundus testatoris pariter ex eodem Comite Guglielmo Raymundo ejus fratre
21 nepos; nihilominus † procedere non potest limitatio, cùm hujusmodi agnati substituti non fuerint sub appellativo nomine agnatorum, sed nonnulli ex eis uti testatoris magis dilecti ad successionem invitati sunt: nullo penitùs facto verbo de conservanda agnatione, nec de aliis agnatis, quos testator habebat, & aderant in linea Comitum Caltanissettę & Comitum Aytonæ. Ubi enim testator aliquos ex agnatis per nomen proprium, & in particulari substituit, non autem sub illo familiæ vel de agnatione; nedum agnationis conservandæ desiderium non ostendit, verùm etiam, ut in primo discursu dicebam, agnationem abhorruisse videtur: potiùs equidem ex amore directo ad personas, quàm ad propriam agnationem extollendam, illos ad successionem invitasse, censendum est: ut, præter Doctores in primo discursu allegatos, conclusionem exornat Mansi *consult.* 198. *n.* 16. *vers. nec aliquod, & seq.*

Jam verò, ut res in tuto ponatur, & nullus penitùs remaneat hæsitationi locus, nonnullas † ad- 22
ducam conjecturas: ex quibus nedum expositam agnationis impugnationem [redacted] resultare, & fœminas exclusas non fuisse docetur; verùm etiam ordine intellectùs fœminas proculdubio a nostro testatore fuisse vocatas, apertissimè demonstratur.

Prima itaque conjectura sit, quòd Comes Antonius testator in substitutione filiorum Guglielmi Raymundi substituti post mortem Gastoni sine filiis masculis, nullam fecit masculorum restrictionem; sed masculos & fœminas, per denominationem *filiorum*, ad successionem invitavit: his verbis. *In quorum masculorum, vel masculi defectu; substituit Guglielmum Raymun-*

mundum filium quondam magnifici Guglielmi Raymundi ejus fratris, & successivè ejusdem filios legitimos & naturales *ex suo corpore legitimè descendentes*.

Atqui non credendum, quòd, 23 † cùm id testator ordinaverit in linea substituti minus dilecti, idem non voluerit observandum in descendentibus primi instituti magis dilecti; sequitur ergo, quòd, cùm in linea Comitis Joannis solos filios masculos in conditione posuerit; illius filias & descendentes etiam fœminas, quatenus masculi ex ultimo possessore non superstiterint, pariter ad successionem admiserit. Torre *de majorat. decis.* 38. *n.* 22. Balducc. *decis.* 4. *n.* 23. *tit.* 3. *de legat.* Rosa *in allegat. impress. post* Torre *de majorat. p.* 2. *quæst.* 16. *n.* 100.

Nec valet replicare, quòd testator in linea Guglielmi Raymundi masculos tantùm ad successionem admiserit, non autem masculos & fœminas: nam etsi filios tantùm Guglielmi Raymundi dixerit successuros; masculos tamen vocare intellexerit, cùm id repetitum censeri debeat, quòd in filiis primi instituti, & primi substituti testator ordinaverat, nempe, quòd eorum filii masculi essent successuri. Quoniam replicatio eo casu locum habere posset, quo aliundè agnatio fuisset a testatore considerata, vel aliqua dictio repetitiva intercederet, ex qua idem testator jubere videretur in sequenti substitutione, quod in præcedenti ordinaverat.

24 At, † quando nullum penitùs agnationis vestigium in dispositione conspicitur; potiùs postrema substitutio præcedentē, quàm præcedens postremam substitutionem declarabit in diversa penitùs oratione conscriptam. Add. ad Molinam *de primog. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 59. *&* 62. Cassanat. *cons.* 6. *n.* 21. Palma *allegat.* 62. *num.* 15. *to.* 1. Torre *de majorat. p.* 1. *cap.* 37. *n.* 38. *&* 170.

Secunda conjectura sit, quòd in defectu filiorum Guglielmi Raymundi, is admissus videtur, qui de jure succedere debet: quòd idem importat, ut supra dictum est, quòd etiam fœmina, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, censeatur invitata. *In quorum defectu*, sunt verba testatoris, *succedat ille, qui de jure succedere debet*. Cùm ergo † non præsumendum, 25 quòd id minus dilectis concessum sit, quod magis dilectis esset prohibitum; consequens ergo, quòd si inferioribus substitutis fœminarum successio permissa est, etiam prioribus non fuerit denegata. Torre, Balducci, & Marchio della Rosa *supra allegati*.

Nec juvat opponere, quòd, cùm non potuerit amplius testatoris agnatio conservari; tandem fœminis præcedentibus ex ultimis substitutis successio concessa sit: quod nihil penitùs influit in fœminas antecedentium lineatū. Etenim non omnes penitùs agnati præcedentes ad successionem invitati reperiebantur, sed eorum aliqui, nempe Gastonus & Guglielmus Raymundus, ubi pariter aderat Comes Matthæus II. Gastoni

ftoni pater, & Comes Guglielmus Raymundus IV. alter Comitis Matthæi filius, atque Gastoni fra-
26 ter. Quapropter, † cùm æquè benè id, quod consideravit testator in ultimis substitutis, pariter in prioribus debuerit considerare; consequens igitur, quòd idem in fœminis primi instituti ordinaverit. *Doctores supra citati*.

Tertia conjectura ea fit, quòd testator, cùm Allegrantiam ejus filiam naturalem de ingenti dote providerit, proindeque fœminas præ oculis habuerit; nil penitùs dixit de neptibus ex ejus hærede nascituris, neque eas excludendo, neque illas in aliquo hono-
26 rando; quo fit, † ut eas procuIdubio in successione crediderit comprehensas: nam si fortè eas excludere intellexisset, de dotibus providisset, ut cum filia naturali servaverat. Spada *conf.* 284. *n.* 16. 17. 18. *lib.* 3. Torre *de majorat. p.* 2. *quæst.* 16. *n.* 28. Balducc. *decis. tit.* 3. *decis.* 4. *n.* 17.

Et quarta conjectura præcedentes omnes complectens ea fit; quòd noster Comes disponens aliquando fœminas ad successionem admisit, antequam omnes omnino agnatorum lineæ extinctæ essent;
27 ut visum est. Quoties enim † testator admittit fœminas sive ante agnatos, sive post eos, (quod fortiùs est) quælibet corruit agnationis conjectura. Balducc. *decis.* 6. *n.* 19. *tit.* 3. *de leg.* Castill. Sotom. *in addit. ad cap.* 133. *n.* 9. Capicelatro *decis.* 127. *n.* 53. Palma *alleg.* 93. *n.* 35. Mansi *consult.* 198. *a n.* 15. *ad* 20. *lib.* 2.

Quæ quidem omnes conjecturæ adeò veræ sunt, & nullam pati possunt impugnationem; ut ex testamento Comitis Antonii fuisse fœminas Comitis Joannis & ejus descendentium ad successionem invitatas, ipse Comes Joannes primus hæres declaraverit: in ejus enim fideicommisso, quod in sequenti parte referetur, proprias ipsius Comitis Joannis filias a Comite Antonio fuisse admissas, expressis verbis affirmavit.

Et idem asseruit Comes Guglielmus Raymundus IV. Comitis Joannis filius. Ipse quidem in suo testamento clausulam juris francorum confirmavit, & ab ea non esse recedendum, conclusit: atque voluit, quòd antiqua privilegia servari deberent, & antecessorum dispositiones.

Postquam verò Adversarius sibi favorabile proposuerit Comitis Antonii fideicommissum, mutato consilio, dubitavit an illud temporale sit, an verò perpetuum? atque in suppositione quòd non egrediatur personam Comitis Guglielmi Raymundi IV. filii Comitis Joannis primi instituti; opposuit Comitis Antonii fideicommissum ad præsentem successionem extendi non posse: atq; subjunxit, observandum esse fideicommissum memorati Comitis Guglielmi Raymundi IV. quatenus iste fuerit tantùm activè vocatus: si verò etiam passivè vocatus fuerit, ut credit Adversarius; quòd exequendum veniat fideicommissum Comitis Joannis Thomæ filii Comitis Guglielmi Ray-

mundi IV, cùm eo casu fideicommissum Comitis Antonii non in Comite Guglielmo Raymundo, sed in Comite Joanne Thoma dici debeat expiratum. Atque fideicommissa Comitis Guglielmi Raymundi IV. & Comitis Joannis Thomæ supposuit fœminarum exclusiva, Unde necessum mihi esset integrum articulum scribere super perpetuitate fideicommissi Comitis Antonii: sed quia illud perpetuum esse contestati fuerunt Comes Joannes & ipsius descendentes, atque Reges in allegatis privilegiis confirmarunt; eamobrem a proposito labore me posem liberare.

28 Jam verò, † ut undique Dominæ Clientis lucidissima jura conserventur; super hujusmodi perpetuitate nonnulla dicere non pigebit, ea saltem obstacula removendo, ex quibus Adversarius temporalitatem proponere visus est.

Ergo non obstat allegata temporalitas ex eo resultans, quòd Gastonus eo casu Comiti Joanni fuerit substitutus, quo Comes Joannes sine filiis decessisset: adeout ad summum filiorum primi gradùs tantùm considerari vocatio possit, non autem ulteriorum descendentium. Etenim, quamvis regulariter sub filiorum nomine tantùm veniant filii primi gradùs, & non cæteri in perpetuùm descendentes; adhuc tamen conclusio communiter limitatur, quoties
29 † præsertim in feudalibus, quæ de sui natura perpetua sunt, explicitus concurrat tractus successivus, & substitutiones collatæ in remotissimum tempus; cùm, iis accedentibus, fideicommissum perpetuum esse non dubitetur, R. Rom. coram Merlin. *decis.* 145. *n.* 7. 8. R. Rom. *rec. decis.* 81. *n.* 6. *p.* 16. *& decis.* 339. *n.* 4. *p.* 17. R. Rom. post Michalor. *de fratr. dec.* 41. *n.* 1. R. Rom. post Torre *de major. p.* 3. *decis.* 17. *n.* 77. *&* 78. Palma *alleg.* 168. *n.* 13.

Itaque concurrit in casu nostro tractus successivus, & substitutiones habentur collatæ in remotissimum tempus: quoniam post Comitis Joannis mortem sine filiis, Gastonus ejusque filii, & in eorum defectu Guglielmus Raymundus, & successivè ejusdem Guglielmi Raymundi filii, atque demum illi, qui de jure succedere debebant, fuerunt ad successionem admissi: quòd verificari de facili non posset, si filii tantùm primi gradùs Comitis Joannis admissi essent: cùm, eis natis, sequentes substitutiones, tanto studio a testatore ordinatæ, penitùs evanescerent. Eò ipsò itaque, quòd † testator alias fecit substitutiones, quæ, ut verificarentur, 30
ampliori opus habebant temporis latitudine; fideicommissum non pro filiis tantùm primi gradùs Comitis Joannis, sed etiam pro ejusdem descendentibus ordinatum fuisse censendum est. Tanchredin. *consult.* 71. *num.* 21. Altograd. *cons.* 75. *num.* 43. *lib.* 2. Luca *de fideic. disc.* 82. *n.* 11. *vers.* 4. Rota post Torre *de major. p.* 3. *dec.* 17. *n.* 77.

Rursùs tractus successivus, ac aliæ

aliæ substitutiones clarissimè confirmantur ex eo, quòd ultima substitutio favore illius facta est, qui de jure succedere debebat: cùm enim, extinctis omnibus substitutis, id præcipiatur; credendum proculdubio venit, quòd omnes penitùs antecedentium gravatorum descendentes fuerint ad successionem admissi: etenim non est præsumendum, quòd hujusmodi substitutio ad eum finem facta fuerit, ut immediatè verificaretur, & quasi quòd omnes personæ antecedenter vocatæ per vulgarem succedere debuissent, & non successivè, nempe una linea post aliam, ut per verbum *successivè* adjectum in substitutione filiorum Guglielmi Raymundi testator declaravit. Et demum Comitatus liberè illi personæ, quæ de jure succedere debebat, relictus esse videtur, sed tanquam comprehensæ in antiquis investituris: quod dispositionis perpetuitatem satis superque manifestat.

Inevitabilis tamen redditur fideicommissi Comitis Antonii perpetuitas, ex declaratione, ut superiùs dictum est, facta per Comitem Joannem ejusque descendentes. Ipse quidem, cùm in suo testamento nonnullos fecerit substitutionum gradus; demum ad fideicommissum Comitis Antonii se retulit: quod, si non esset perpetuum, gradus in testamento Comitis Joannis expressos non includeret. Itá enim Comes Joannes, postquàm instituisset in Comitatu Adernionis Comitem Guglielmum Raymundum ejus primogenitum, & in Baronia Ferulæ Antonium Perium ejus secundogenitum; suam explicavit voluntatem his verbis. *Item, si casu contigeret, quòd prædicti filii masculi morerentur in pupillari ætate, minori vel majori quandocumque, sine filiis masculis & fœminis legitimis & naturalibus; eo casu de Comitatu & Territorio Centorbis* fiat „ secundùm voluntatem & dispositionem quondam magnifici Comitis Antonii de Sclafano, aliàs de Montecateno, olim „ Comitis Comitatùs prædicti. Idemque observavit Comes Guglielmus Raymundus IV. Comitis Joannis filius, & Comes Joannes Thomas ipsius Comitis Joannis nepos. Equidem Comes Guglielmus Raymundus in privilegio obtento à Rege Alphonso sub *anno* 1454. in Comitatu Adernionis, ex fideicommisso Comitis Antonii, se successisse declaravit; ac ipsius Comitis Antonii testamentariam dispositionem à Rege confirmatam obtinuit, per hæc verba. *Et proinde, pro parte ejusdem Guglielmi Raymundi de Montecateno Comitis Adernionis prædicti, cujus dictus quondam Comes Antonius ejus magnus patruus, ut præfertur, habens, tenens & possidens Comitatum Adernionis prædictum cum territorio Centorbi in Regno ulterioris Siciliæ, cum feudis &c. sicut Domino placuit, fuerit vita functus: & qui dum in ultimis constitutus esset, suum solemne condidit testamentum, in quo heredem sibi instituit universalem magnificum quondam Joannem de Montecateno ejus nepotem, filium* vi-

videlicet fratris dicti quondam Comitis Antonii, & patrem dicti exponentis, in omnibus & singulis bonis ejus mobilibus & stabilibus, burgensaticis & feudalibus, juribus & actionibus universis eidem testatori spectantibus & pertinentibus, ac competentibus & competituris quoquomodo: legatis, ac fideicommissis, & particulari hæreditate in suo condito testamento, ut fertur, dumtaxat exceptis: prout & quemadmodum in eodem ipso testamento exinde facto ponuntur, hæc & alia latiùs contineri. Propter quæ, & etiam ob mortem dicti magnifici Joannis de Montecateno patris exponentis, hujusmodi nepotis & hæredis, ut præponitur, dicti Comitis Antonii, per testamentariam dispositionem *exponens ipse assequutus extitit possessionem Comitatùs, terrarum & feudorum supra expressorum, cum omnibus eorum & cujuslibet ipsorum juribus, actionibus & pertinentiis universis: eaq; omnia in præsenti exponens idem habeat, teneat & possideat jura omnia, redditus, & proventus eorum integrè percipiendo. Nobis propterea humiliter supplicavit, ut cùm in præmissis omnibus ipse successerit, & succedere voluerit; eum de Comitatu, territoriis & feudis prædictis, juxta præsentis privilegii formam atque tenorem, investire, eaque omnia, quæ tam virtute ipsius privilegii, quàm* vigore & prætextu testamentariæ dispositionis Antonii *patrui Comitis Joannis ejus patris tenet & possidet, confirmare de speciali gratia benigniter dignaremur.* Atque eodem modo se gessit Comes Joannes Thomas in privilegio, quod obtinuit *anno* 1466. Ipse quidem, inserto tenore privilegii *anni* 1454. in quo, ut dictum est, insertum erat privilegium *anni* 1398. ac facta fuerat confirmatio testamenti Comitis Antonii; dixit successisse in Comitatu Adernionis uti filius primogenitus Comitis Guglielmi Raymundi, & insertorum privilegiorum, & proinde fideicommissi Comitis Antonii, confirmationem petiit, ut fuerunt confirmata: adeout Comes Joannes Thomas expressis verbis declaraverit, fideicommissum Comitis Antonii adhuc perdurare. Verba privilegii *anni* 1466. hæc sunt. *Et nobis reverenter supplicavit spectabilis & magnificus ipse Joannes Thomasius, ut, cùm prædictus quondam spectabilis & magnificus Guglielmus Raymundus de Montecateno obtinuerit & possederit dictum Comitatum Adernionis cum omnibus & singulis suis feudis, territoriis, juribus & pertinentiis, fructus, redditus & proventus percipiendo, & percipi faciendo; præfatusque spectabilis & magnificus Comes Adernionis, sicut Domino placuit, mortuus & defunctus extiterit: succedente & succedere volente in dicto Comitatu cum feudis, terris, territoriis & juribus suis prædicto spectabili & magnifico Joanni Thomasio*, tanquam ejus filio legitimo & naturali, ac primogenito, *qui a morte præfati quondam spectabilis & magnifici ejus patris dictum Comitatum cum juribus & pertinentiis, ac feudis & territoriis tenuerit & possederit, ac de præsenti teneat & possideat, fructus, redditus & proventus percipiendo, & per-*

& percipi faciendo; dignaremur eidem spectabili & magnifico Joanni Thomasio, suisque filiis de suo legitimo corpore descendentibus, natis jam, & in anthea nascituris: quibus deficientibus, suis hæredibus & successoribus quibuscumque, juxta formam & continentiam privilegii prainserti, confirmare. Cujus supplicationi benigniter annuentes, considerantesque satis grandia, utilia & fructuosa servitia serenissimis Retroregibus, præfato quoque serenissimo Domino nostro Regi diversimodè, tam per dictum quondam Guglielmum Raymundum, & præfatum spectabilem supplicantem, quàm per ipsorum prædecessores, quaque ipse spectabilis supplicans præstat ad præsens, & in anthea præstiturum speramus, dante Domino, meliora: Constito nobis de possessione, morte, filiatione, & primogenitura, *per testes in numero legali & competenti receptos & productos; tenore præsentium de certa nostra scientia, auctoritate regia, qua fungimur, eidem spectabili Joanni Thomasio, suisque filiis de suo corpore descendentibus, natis jam, & in posterùm nascituris: quibus deficientibus, suis hæredibus & successoribus quibuscumque, juxta & secundùm in omnibus & per omnia formam, continentiam & tenorem privilegii prædicti* (in quo testamentum Comitis Antonii, ut dictum est, fuit confirmatum) *confirmamus: sub tamen exemptionibus, clausulis, conditionibus, & particularitatibus in prainserto privilegio contentis & declaratis.*

Et demum perpetuitatem fideicommissi Comitis Antonii confirmavit Comes Guglielmus Raymundus V. filius primogenitus Comitis Joannis Thomæ, in suo testamento condito sub *anno* 1465, ubi dixit, Comitatum Adernionis esse antiquis vinculis, & antecessotum dispositionibus obnoxium: ut verba testamenti, quæ id exprimunt, & alias successorum declarationes, in sequenti parte referemus.

Cœterùm, etiamsì fideicommissum Comitis Antonii temporale videretur; non per hoc fideicommissum Comitis Joannis Thomæ, ut ex adverso oppositum est, sed fideicommissum Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris attendendum esset: quoniam per testamentum Comitis Antonii, Comitatus in C. Guglielmo Raymundo, uti filio Comitis Joannis primi instituti, non autem in Comite Joanne Thoma Comitis Joannis nepote, liber remanere debuisset. Conditio enim adjecta per Comitem Antonium substitutioni factæ favore Gastoni in casu mortis sine filiis Comitis Joannis (si fideicommissum esset temporale) vocationem probaret filiorum tantùm Comitis Joannis, cujusmodi fuit Comes Guglielmus Raymundus; non autem nepotum Comitis Joannis, cujusmodi fuit Comes Joannes Thomas. Quocirca, cùm fideicommissum Comitis Guglielmi Raymundi regulare sit, & fœminas per clausulam juris francorum ad successionem admittat, ut in causa successionis Statùs & Principatùs Paternionis dicebamus; eamobrem etiam ex hujusmodi fidei-

deicommisso, Domina Cliens filia ultimi possessoris vinceret Dominum Ducem Sancti Joannis agnatum remotiorem.

Nec facessit negotium Adversarii replicatio, prætendentis nedum activam, ut dictum est; verùm etiam passivam Comitis Guglielmi Raymundi vocationem, adeout per eum Comiti Joanni Thomæ ejus filio, ex trebelliano, facienda esset Comitatùs restitutio: &, cùm ipse Comes Joannes Thomas, cui restituere deberet, mandatum restituendi a testatore non habuerit; liberè potuerit de Comitatu disponere, atque ejus servanda sit dispositio. Quoniam, præscindendo ab eo, quòd Comes Joannes Thomas in suo testamento apertè confessus est Comitatum restitutioni subjectum posse disse: cùm protestatus fuerit, de eis bonis velle disponere, in quibus disponendi facultatem habebat; & ab illis Adernionum excluserit: ac præscindendo etiam, quòd ejus testamentum in rerum natura non existat, ut in sequenti discursu probandum est: ac demùm præscindendo, quòd suum fideicommissum agnatitium non est; idem esset hujusmodi punctum examinare, quàm iterum in examen deducere, an fideicommissum Comitis Antonii perpetuum fuerit, an temporale? At quia fideicommissi perpetuitas jam ad evidentiam probata est; eamobrem ad ea nos remittimus, quæ superiùs exposita sunt, & ad alia, quæ, ut dictum est, adducenda erunt in sequenti ultima parte in allegatorum omnium corroborationem & observantiam.



DI-

DISCURSUS SECUNDI
PARS TERTIA & ULTIMA.

De observantia in familia post obitum Comitis Antonii, nempe a Comite Joanne usque ad Comitem Ferdinandum ultimum Comitatùs possessorem: ac de scripturarum qualitate in processu ab utraque parte productarum.

SUMMARIUM.

Observantia est optima dubiorum interpres. n. 1.

Dispositio relata attenditur, non obstante quòd dispositio referens aliquid in contrarium contineret: adeout potiùs relati, quàm referentis ratio habenda sit. num. 2.

1 Optima † dubiorum interpres est observantia *Vulgatis juribus*: adeout, si aliqua intercedere posset, prout non intercedit, in antedictis dubietas, ex qua fœminæ ad nostri Comitatùs successionem admitti nec ne deberent? penitùs cessare debeat, si omnes omnino Comitatùs possessores ipsius successionem a clausula juris francorum vel contentam in antiquis, aut recentioribus privilegiis, atque antecessorum dispositionibus, vel in transactione de Regum mandato publicata sub *anno* 1397, metiendam esse firmarunt.

Primus ergo pacificus Comitatùs possessor fuit Comes Antonius, ex privilegio per eum impetrato sub *anno* 1396. ubi a Regibus testamentum Comitis Matthæi de Sclafano confirmatum obtinuit, & ex transactione, Regum accedente decreto & confirmatione, stipulata inter Peraltas & Montecatenos *anno* 1397. in qua Montecateni masculi & fœminæ, uti successores jure proprio, & ex pacto & providentia Principis, intervenerunt. Ipse itaque Comes Antonius *anno* 1398. post delictum Comitatùs restitutionem a Regibus impetravit pro se & filiis suis masculis & fœminis. Quod nedum Regum placito, verùm etiam ipsius Comitis voluntati referendum est: nam in capitulis, Sacro Consilio interveniente, inter Reges & Comitem Antonium publicatis, a Regibus privilegium restitutionis Comitatùs promissum fuit eo pleniori modo, quo Comiti Antonio magis proficuum esset: adeout memorata masculorum & fœminarum admissio, instante Comite Antonio, sequuta sit, ipsamque Comitis Antonii voluntatem ex eo ortum habuisse fir-

firmandum est, quia masculi & fœminæ in antiquioribus privilegiis & antecessorum dispositionibus comprehendebantur, & in eorum privilegiorum atque dispositionum exequutionem & observantiam. Hinc sequentium Comitatùs possessorum voluntas a Comite Antonio usque ad Comitem Ferdinandum ultimò defunctum attendi non deberet, quia Comitatùs restitutio facta Comiti Antonio satis superque indicat, quòd antiquæ investituræ cum clausula juris francorum impartitæ fuerint, atq; idem ordinaverint primi Comitatùs acquisitores, si Comitis Antonii filii utriusque sexùs fuerunt ad successionem admissi.

At quia reliqui Comitatùs possessores, vel ex antiquis privilegiis, ac primi quæsitoris dispositione, vel ex recentioribus privilegiis, atque Comitis Antonii fideicommisso in Comitatu successerint, etiam clausulam juris francorum confirmarunt; camobrem ne ullus prorsùs remaneat dubitationi locus, sequentium possessorum desiderium ac voluntatem in clausulæ juris francorum observantiam indicabimus.

Immediatus Comitis Antonii successor fuit Comes Joannes illius hæres & nepos ex Comite Guglielmo Raymundo III. ejus fratre, ex quo per rectam lineam, ut sæpiùs dictum est, nostri descendunt contendentes. Ipse quidem in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus, fœminas ad successionem invitavit. Anno enim 1420. in nostro Comitatu sibi scripsit hæredem Comitem Guglielmum Raymundum IV. suum primogenitum, & in Baronia Ferulæ Antonium Perium suum secundogenitum, reciproco inter eos ordinato fideicommisso, quatenus eorum alter moreretur quandocumque, liberis masculis non relictis: ac substitutâ filiâ fœminâ, quatenus alter ex institutis, eâ tantùm relictâ, decesserit. Profectò Comes Joannes utriusque hæredis liberos masculos in conditione posuit, & in eis etiam fœminas inclusisse declaravit. Dicitur equidem in fideicommisso: *Si aliquis prædictorum ejus filiorum & hæredum mori contigerit in pupillari ætate minori vel majori quandocumque, liberis masculis legitimis & naturalibus non relictis ex ejus corpore legitimè descendentibus; eo casu ille, qui supervixerit, succedat præmortuo in hæreditate prædicta.* Et deinde subjunxit. *Si casu contigerit, quòd omnes prædicti filii masculi morerentur in pupillari ætate, minori vel majori quandocumque, sine filiis masculis & fœminis legitimis & naturalibus; eo casu de Comitatu & territorio Centorbis fiat secundum voluntatem & dispositionem quondam magnifici Domini Comitis Antonii de Sclafano, aliàs de Montecateno, olim Comitis Comitatùs prædicti.* Tandem verò per expressam fœminarum vocationem ità conclusit. *Si verò ex prædictis filiis masculis, & hæredibus institutis, ut supra,*
„ superessent tantùm filiæ fœminæ; succedant parentibus in
„ baroniis prædictis, secundùm
„ ordinem primogenituræ, *videlicet,*

cet, quòd primogenitus præferatur cæteris minoribus.

Defuncto Comite Joanne, successit Comes Guglielmus Raymundus IV. ejus primogenitus; qui pariter fœminarum successionem, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, amplexus est. Anno enim 1454. ut in præcedenti parte dictum fuit, obtinuit a Rege Alphonso confirmationem, inserto tenore privilegii, restitutionis Comitatùs factæ Comiti Antonio sub *anno* 1398. in qua descendentes Comitis Antonii cùm masculi tum fœminæ admissi erant, & ultra Comitatùs concessionem pro se & filiis suis utriusque sexùs impetravit.

Atque etiam *anno* 1465. Comes ipse Guglielmus Raymundus, per testamentum, sub quo decessit, instituto suo hærede universali Comite Joanne Thoma ejus filio, juris francorum clausulam confirmavit: & successores suos pariter cum clausula juris francorum vivere debere jussit, seque cum privilegiis, & antecessorum dispositionibus conformavit. Hæc sunt verba sui testamenti. *Item vogbiu e cumandu, chi in la Turri, Contato, e Terra d'Adernò, con li soi raggiuni e dritti, edificii, e vigni, o giardini, ed ogni cosa edificata. Item in li scadentii e tratti, & etiam in la raggiuni di lo grano supra l'estrattioni; poi di la morti di lu dittu Gio: Tumasi miu fighiu & eredi, succedanò e succediri diggiano soi fighi legitimi e naturali di suo corpo legitimè descendenti masculi, ò loro descendenti mascoli, siccind'havirà: quibus deficientibus, & non existentibus; succedano e succediri diggiano altri mei fighi masculi, siccindi saranno, di mio corpo legitimi e naturali, e loro descendenti mascoli: in quorum defectu; succedano li fighi fimmini di lu dittu D. Giovanni, e loro descendenti: quibus deficientibus & non existentibus; succedano li mei fighi fimmini. Itá tamen, che tutti li preditti siano fighi legitimi e naturali di nostro e loro corpu legitimè descendenti, singula singulis referendo*: „& etiam servato ordine genituræ, videlicet, quòd major natu „minoribus fratribus, & masculus fœminis præferatur: & vivant jure francorum: *& quòd servetur natura feudorum*, & formâ privilegiorum, ubi sunt privilegia, & etiam forma instrumentorum prædecessorum: & „ipsorum omnium formâ in aliquo non mutatâ.

Quamvis autem in contrarium opponatur fuisse in descendentibus ipsius C. Guglielmi Raymundi testatoris, cujusmodi sunt contendentes, consideratam agnationem, eo quia, in casu mortis filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ primi instituti, filii secundogeniti ipsius testatoris ad successionem admissi sunt, non autem filiæ Comitis Joannis Thomæ, ut ex clausula juris francorum debebant: adeout filiæ ipsæ, non in patris, sed in patruorum defectum, ad successionem in propria cellula invitatæ videantur. Adhuc tamen assumptum nostrum hìc non est Comitis Guglielmi Raymundi fideicommissum per extensum

examinare, nempe, an agnatitium, an verò regularis primogenituræ judicandum sit? id enim sua sede in sequenti discursu instituendo super successione Statùs & Prinpatùs Paternionis, cujus ipse Comes Guglielmus Raymundus fuit primus acquisitor, latissimè examinabitur: ibique dicetur, quòd quicquid testator dixerit favore suorum secundogenitorum in præjudicium filiarum Comitis Joannis Thomæ primogeniti primi instituti; nihilominus cæteros suos descendentes, in quorum successione versamur, per clausulam juris francorum per omnes ejus effectùs explicatam voluit successuros.

Sed tantùm hìc in eo nos fundamus, quòd a forma contenta in privilegiis & instrumentis prædecessorum, in quibus successio fœminis, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, Comes Guglielmus Raymundus recedere non intellexit, & Comitatum Adernionis antiquis vinculis obnoxium esse declaravit: postquàm enim fuit protestatus, quòd per suam dispositionem, antiquam formam rumpere non intendebat; in alio capitulo, in eventum extinctionis propriæ lineæ, hæc adnotavit. *Succeja in li beni vinculati cui di ragiuni duvirà: & in li beni non vinculati, videlicet Paternò, gabella di vinu di Catania, e debito, che diggiu reciviri supra la dota di la Signura mia matri, succeja lo Illustri Signuri Guglielmu Ramundu di Moncata Conti di Caltanissetta &c.*

Profectò, si Comitatum Adernionis vinculatum, ut erat, confirmavit: si a forma privilegiorum & instrumentis prædecessorum non recessit: si in ejus descendentia per clausulam juris francorum esse succedendum præscripsit; nemo dubitabit, quòd fœminarum successionem, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus, confirmare voluerit: atque quòd id, in observantiam privilegiorum, & ex instrumentis prædecessorum, exequutus fuerit.

Et quanquam per antelationem concessam suis filiis secundogenitis masculis in concursu cum filia Comitis Joannis Thomæ videatur per testatorem a clausula juris francorum quodammodo recessum; nihilominus ab ea, etiam per expressam fœminæ melioris lineæ postpositionem, discessum non fuisse concludendum est, eò ipsò quòd ab investituris & prædecessorum testamentis disponens recedere nolle declaravit. Etiam enim † quòd aliquid relato contrarium fortè in referente dispositum esset; semper relatum foret attendendum: cùm in hoc consistat vis relationis, nempe, quòd dispositio referens unum cum relato efficiatur, & non referens, sed relatum cum omnibus suis qualitatibus observari debeat, atque potiùs relati, quàm referentis ratio habenda sit: ut tanquam pro regula firmavit ex Negus. *in Silv. respons. quæst.* 67. *n.* 11. Joannes Augustinus Solarius apud Torre *de majorat. p.* 1. §. 10. *n.* 35. 2

Idem observavit Comes Joannes

nes Thomas Comitis Guglielmi Raymundi IV. filius & hæres. Mortuo enim patre *anno* 1466. confirmatum a Rege voluit atque obtinuit, cum inserto tenore, privilegium *anno* 1454. Comiti Guglielmo Raymundo ejus genitori impartitum: in quo nedum insertum erat privilegium *anni* 1398. per quod Comiti Antonio, ejusve filiis masculis & fœminis Comitatùs restitutio facta erat, verùm pariter confirmatio atque nova Comitatùs concessio Comiti Guglielmo ejus patri pro se & filiis utriusque sexùs permissa fuerat: dictumque fuit in hujusmodi privilegio *anni* 1466. quòd confirmatio Comitatùs pariter Comiti Joanni Thomæ fiebat pro se & filiis suis utriusque sexùs.

Insuper idem Comes Joannes Thomas in homagii præstatione Regi facta sub *anno* 1479. expressè protestatus est Comitatum possidere virtute privilegii Comiti Antonio concessi sub *anno* 1398. in quo, ut sæpiùs dictum est, Comitatùs restitutio favore Comitis Antonii sequuta erat, ipsius filiis maribus & fœminis ad Comitatùs successionem admissis.

Neque ab his omnibus recessit Comes Joannes Thomas in suo testamento cōdito sub *anno* 1501. ut in contrariùm ponderatur. Ipse enim Comitatum Adernionis eo modo reliquit, quo habuerat a suis prædecessoribus: ubi dixit, suam dispositionem de Comitatu Augustæ, Baronia Paternionis, & aliis terris, baroniis, & bonis burgensaticis & feudalibus esse intelligendam, de quibus disponere poterat: & aliunde in Comitatu Adernionis se, ex privilegiis suis antecessoribus impartitis, & præcipuè Comiti Antonio, dixerat successisse, & ità cœperat investituram: ut in præcedenti discursu latiùs scriptum est.

Mortuo Comite Joanne Thoma successit in Comitatu Adernionis Comes Guglielmus Raymūdus V. ejus filius, qui in juramento fidelitatis per eum prestito in manibus Domini Proregis, dixit, in Comitatu successisse *juxta formam suorum privilegiorum*. Sicuti etiam idem observarunt Comes Antonius I. Comitis Guglielmi Raymundi V. filius, atque Comes Franciscus I. & Comes Cæsar successivè Comitatùs possessores: ipsi enim omnes juramentum fidelitatis præstiterunt, & Comitatum Adernionis, *juxta formam suorum privilegiorum*, possidere declararunt.

Clariùs autem clausulam juris francorum observatam voluit Comes Franciscus II. ubi *annis* 1584. & 1585. occasione matrimonii contracti cum D. Maria Aragona & la Cerda Ducissa Montisalti, expressè dixit, in Comitatu Adernionis ejus filios utriusque sexùs esse successuros: *ità quòd masculus præferatur fœminis, & major natu minoribus in perpetuùm & in infinitùm*: alternativâ servatâ cum statibus & familia uxoris, nempe, quòd in una generatione successor vocari debeat D. Antonius vel D. Antonia Aragona Dux Montisalti, atque arma domùs Arago-

næ

næ suscipiat: in alia verò generatione D. Franciscus seu D. Francisca de Moncada Princeps Paternionis, & arma suscipiat familiæ de Moncada.

Et ità demum observarunt Comes Antonius II. & Comes Aloysius I. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: qui omnes vel juramentum fidelitatis præstiterunt, declarando se velle Comitatum possidere *juxta formam suorum privilegiorum*: vel in eo, uti indubitati successores, instituti fuere.

Clarissimè verò a juris francorum clausula non recessit, atque eam fortissimè confirmavit Comes Ferdinandus ultimò defunctus, qui Dominam Clientem ejus unicam filiam in Comitatu, ex antiquis investituris, & antecessorum dispositionibus, legitimam succeditricem declaravit.

Ut autem omnes omninò Comitatùs possessores a C. Antonio usque ad Comitem Ferdinandum Comitatum a secundo testamento Comitis Matthæi de Sclafano (quidquid medio tempore fortè Comitatùs possessores disposuerit) propriam habuisse successionem aperirent; cognomen de Sclafano assumpserunt, ejusve insignia tanquam principalissima, ut ordinaverat in eo testamento C. Matthæus de Sclafano, susceperunt. Neve illud omitteret, tanquam in familia semper observatum, Dominus Dux Sancti Joannis Contendens, in libello petitæ manutentionis possessionis, nostri Comitatùs credens suam ex testamento Comitis Matthæi de Sclafano successionem, cognomento de Sclafano usus est: quòd omnem penitùs eradicat controversiam.

Jam ergo, benemerentissimi Patres, successionem Comitatùs Adernionis & Centurpii a clausula juris francorum regendam esse probatum est: vel enim successio ex antiquissima concessione regulanda sit: vel si a concessione Comiti Matthæo de Sclafano impartita regi debeat, aut a secundo testamento ipsius Comitis Matthæi: vel demum a fideicommisso Comitis Antonii; semper clausula juris francorum, juxta communem nostrorum Patrum interpretationem, locum habebit: ut locum habuisse vidistis per continuatam omnium omninò Comitatùs possessorum observantiam.

Verùm de tenore testamentorum Comitis Matthæi de Sclafano non constare, ait Adversarius, neque de testamentis Comitis Antonii, & Comitis Joannis, de quorum qualitate dubitatur: adeout eorum dispositiones attendi non debeant, sed standum esse subjungit fideicommissis Comitis Guglielmi Raymundi IV. & Comitis Joannis Thomæ Comitis Joannis filii & nepotis, quæ agnatitia sunt: ut in causa successionis Status & Principatùs Paternionis, ac Hyblæ majoris, jam probatum iri supponit.

Iterum hìc, revoluto tamen mantello, super fide Archivio Dominorum Ducum Montisalti tribuenda sermonem facere meum non est, & nunquam esse posset: cùm ea quæ in præcedenti discursu

su super hujusmodi materia adnotavi, etiam in sensu veritatis, affirmaverim. Quapropter quoad secundum testamentum Comitis Matthæi de Sclafano, illud esse originale, si mea me non fallit opinio, compertum habui per oculorum inspectionem: ut a peritis, vel ab oculatissimis causæ Judicibus recognosci potest. Quò tamen ad testamenta Comitis Antonii, & Comitis Joannis, ea, ut Adversarius affirmat, originalia non esse mihi pariter visum est: cùm autem mihi non liceat aliquod per meas asertiones juri Dominæ Clientis, aut veritati præjudicium inferre; possunt etiam hujusmodi testamenta recognosci.

Cœterùm, etiamsì testamenta, de quibus agitur, jam recognita essent, atque constaret testamenta originalia non esse; non per hoc asserta Comitis Guglielmi Raymundi & Comitis Joannis Thomæ fideicommissa servanda esent: nam de testamentis Comitis Matthæi de Sclafano satis constare diceretur, si secundum testamentum, instante Comite Antonio de Montecateno, sub *anno* 1396, & ultimum, instante Comite Guglielmo de Peralta, sub *anno* 1355, fuerunt a Regibus confirmata: atque sui successores usque a Comite Matthæo I. de Montecateno in ipsius secundi testamenti exequutionem, ut dictum est, cognomento de Sclafano usi sunt. Ac pariter de testamentis Comitis Antonii & Comitis Joannis dubitari non poset, si in ipsorum exequutionem privilegia, quæ originalia sunt, Comiti Joanni *anno* 1416. Comiti Guglielmo Raymundo *anno* 1454. & Comiti Joanni Thomæ *annis* 1466. & 1479. cum expressa fœminarum admissione concessa videntur.


Si concludere non licebit, quòd deficientibus omnibus documentis, ex quibus nostri Comitatùs successio per clausulam juris francorum regulanda veniret; nunquam transactio deficeret facta sub *anno* 1397. favore filiorum masculorum & fœminarum Comitis Matthæi I. de Montecateno nepotum & neptum Comitissæ Margaritæ de Sclafano filiæ primogenitæ Comitis Matthæi de Sclafano: in qua Montecateni, uti jure proprio venientes, & uti successores ex pacto & providentia Principis, intervenerunt. Ipsa enim in regia Cancellaria conservatur: & super ea nedum Adversarius, ut visum est, sed etiam nos principalissimè insistimus: super ea enim, ut in voce protestati fuimus, Domina Cliens intendit suam clarissimam habere fundatam intentionem.

Verumtamen est, quòd, quicquid sit an servari nec ne deberet fideicommissum Comitis Guglielmi Raymundi IV. qui pariter in præsenti successione clausulam juris francorum, ut dictum est, non autem agnationem dilexit? fideicommissum Comitis Joannis Thomæ in successione Comitatùs Adernionis, etiam quòd memorata testamenta Comitis Matthæi de Sclafano, atque Comitis Antonii & Comitis Joannis in mundo non esent,

esſent, nunquam esſet attendendum: cùm ex fideicommiſso Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris merus tantùm hæres gravatus extiterit, & nulla penitùs ex eo diſponendi facultas tribueretur. Unde veſtrum erit, integerrimi Judices, Dominæ Clienti per clauſulam juris francorum manutentionem poſseſſionis Comitatùs Adernionis & Centurpii concedere: nedum enim hæres ſcripta eſt, & ultimi poſseſsoris filia, ſed etiam quotquot adſunt antiquæ vel recentiores Comitatùs inveſtituræ, & anteceſsorum diſpoſitiones; clariſſimè ſuam juſtitiam propugnare videntur.

Finis Diſcursùs Secundi.

DI-



III. C. Guglielmus Raymundus.
Joannes Dominus Ferulæ, & Comes Adernionis.
II. C. Matthæus acquisivit Castrumnovum.
Antonius Perius Dominus Ferulæ.
Guglielmus Raymundus Comes Adernionis, emit Paternionum.
I. C. Antonius antea Religiosus in Ordine Prædicatorum.
Gastonus Baro Castrinovi legatarius patris.
IV. Guglielmus Raymundus Comes Augustæ.
Antonius Perius Ambrosius.
C. Joannes Thomas emit jus luendi Paternionum, & transegit cum hæredibus C. Antonelli.
C. Antonellus filius naturalis.
Hæredes C. Antonelli transegerunt cum C. Joanne Thoma.
V. C. Guglielmus Raymundus vir Contissellæ.
C. Contissella.
II. C. Antonius.
I. C. Franciscus primus Princeps Paternionis.
I. P. Cæsar.
II. P. Franciscus.
III. P. Antonius.
I. P. Aloysius S. R. E. Cardinalis.
Ignatius.
I. P. Ferdinandus ultimus moriens.
Ferdinandus.
I. P. Catharina Cliens.
Aloysius Guglielmus Dux Sancti Joannis Contendens.
Federicus Dux Fernandinæ Contendens.

DISCURSUS TERTIUS

SUPER SUCCESSIONE

STATUS ET PRINCIPATUS PATERNIONIS;

ATQUE

STATUS ET BARONIÆ HYBLÆ MAJORIS; SEU MELILLI.



SUMMARIUM.

Facti historia. num. 1.

Divisio discursùs. num. 2.



MAximum antiquæ subtilitatis vitium, quo major masculis, quàm fœminis indulgentia in parentum successione concedebatur, jam correctum erat: fœminæ quidem, quæ filiæ pariter sunt, masculis fuerant exequatæ: atque vivendi modus per clausulam juris francorum, ex qua fœminæ, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, ad feudalem successionem admittuntur, jam Baronibus, tanquam lex communis in Regno servanda, indictus erat. Idem enim familiæ decus, splendorem & ornamentum fœminæ conservare tenentur, & præsertim filia ultimi possessoris, quod usque ad extremum vitæ spiritum pater custodivit, eo tempore, quo Status & Principatus Paternionis, & Baronia Hyblæ majoris seu Melilli a Montecatenis quęsita sunt. Hinc, profundissimi Patres, si in successione Comitatùs Caltanissettæ, & Comitatùs Adernionis & Centurpii, quorum concessiones ac possessorum dispositiones antiquiores esse creduntur, eis, de quibus venit in præsenti discursu edifferendum, jura Dominæ Clientis, quæ ultimi possessoris filia est, & hæres scripta, per clausulam juris francorum clarissima visa sunt, atque a minus justis prætensionibus Domini Ducis Sancti Joannis, qui pariter hanc successionem ex agnatione contendit, vindicata vidistis; potiori jure Dominæ Clientis justitia in præsenti successione, ex his, quæ vobis humillimè exponam, lucidissima pariter apparebit: atque ea, quæ in contrariùm opponuntur, a clausula juris francorum resoluta videbitis.

Status itaque & Principatus Paternionis, ac Status & Baronia Melilli ad Montecatenos hoc mo-

do pervenerunt, & in eo conservata sunt.

Anno 1456. die 15. Decembris.
1 Rex Alphonsus † cùm modum cogitasset, unde posset amorem ostendere, quo prosequebatur magnificum & spectabilem Comitem Guglielmum Raymundum de Moncada (qui erat hujus nominis Quartus, atque, ut in præcedenti discursu visum est, filius erat Comitis Joannis) Comitem Adernionis, suum collateralem Consiliarium & Camerlingum, Regnique Siciliæ Magistrum Justitiarium, ob ingentes pecuniarum summas a Comite in suum servitium erogatas, cùm ante acquisitum Siciliæ Regnum, tum ipso recuperationis tempore, pro qua in magnis laboribus & periculis, præcipuè ad rebelles profligandos versabatur; illum sibi in mentem venisse Rex affirmavit recuperandi Terram & Turrim Paternionis a manibus Petri Speciale, penès quem Terra ipsa & Turris Paternionis sub pacto redimendi alienatæ reperiebantur, ut deinde Comitem Guglielmum Raymundum, qui ea tempestate Beneventani Principatus Vicerex erat, in præmissorum remunerationem, de eis investiret.

Itaque commisit Rex nobilibus viris Christophoro de Benedictis legum Doctori, & Policamo Capuzzi, quos ad effectum hujusmodi procuratores constituit, ut Terram & Castrum Paternionis a posse Petri Speciale, de propria pecunia Comitis Guglielmi Raymundi, recuperarent.

Pretium autem, quod a Rege ex pacto redimendi Petro Speciale refundendum erat, ad summam ascendebat florenorum vigintiquinque mille: quapropter per quoddam albaranum inter Regem & Comitem Guglielmum Raymundum compactum est, quòd pretii jam dicti solutione sequuta; Comiti fieri deberet a Rege venditio Terræ & Castri Paternionis: Regi facultate reservata, quòd pro florenis vigintiquatuor mille, & sic pro minori pretio, pro quo per Petrum Speciale Terra & Castrum possidebantur, semper & quandocumque rem venditam luere valeret: reliquis florenis mille favore Curiæ per Comitem relaxatis: ut ità Regni Capitula non obessent, quibus cavetur, bona demanialia alienari, aut alienata in alterum pro æquali aut majori pretio, quo a possessore detinentur, transferri non posse. Ut jam cognitâ veritate, discussoque negotio cum assistentia Sacri Consilii; pari voto fuerat declaratum, nempe Regni Capitula non obstare, Regique liberum esse, venditionem rerum cum pacto redimendi alienatarum pro minori pretio perficere: cùm demanialium alienatio pro majori vel æquali, non autem pro minori pretio, quo a possessore detinentur, fieri prohiberentur.

Hinc, facto per Comitem Guglielmum Raymundum reali deposito florenorum vigintiquinque mille, eorumque sequutâ in manibus regiorum procuratorum traditione; procuratores Terræ & Tur-

Turris Paternionis possessionem a posse Petri Speciale, cui pecunia consignata est, assequuti sunt, eamque C. Guglielmo Raymundo, ad Regis præscriptum, tradiderunt.

Quamobrem Rex, ut suum laudabile propositum ad debitum finem perduceret, vendidit Comiti Guglielmo Raymundo, ejusque hæredibus & successoribus, ac quibus voluerit in perpetuum, & ad dandum, vendendum, & alienandum, pacto redimendi mediante, per purum & francum allodium, & sine aliquo militari servitio, vel censu juris vel facti, aut alio quovis onere, Castrum sive Turrim & Terram Paternionis, cum mero & mixto imperio, ac juribus & pertinentiis suis universis, pro pretio florenorum vigintiquatuor mille monetæ hujus Siciliæ Regni: nonnisi tantùm redimendi facultate reservata.

Promisit Rex a venditis Comitem Guglielmum Raymundum & suos non amovere, nisi quando per ipsum aut per suos successores in exercitium juris luendi fuerint Comiti emptori & suis soluti floreni vigintiquatuor mille: quoniam floreni mille, de summa florenorum vigintiquinque mille, per Comitem emptorem pro luitione Terræ & Turris Paternionis soluti Petro Speciale, Regi & ejus Curiæ fuerunt, ad finem supra relatum, a Comite relaxati.

Anno 1463. die 11. Aprilis. Desiderans Comes Guglielmus Raymundus, pleno jure, Terram & Turrim Paternionis possidere: &, quòd id assequi poterat, ubi jus luendi in venditione reservatum acquireret, atque quòd hujusmodi jus luendi obtinere non posset, nisi remoto obstaculo Capitulorum Regni, quibus demanialium alienatio vetita est; in Regni Comitiis Mesanæ celebratis, consensum a militari Brachio obtinuit, posse per Regiam Curiam Turrim & Terram Paternionis, Regni Capitulis non obstantibus, pleno jure in Comitem Guglielmum Raymundum alienari. Quod fuit subsequenter ab aliis Brachiis confirmatum.

Anno 1465. die 4. Maii. Comes Guglielmus Raymundus de Moncada, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit in universis Comitem Joannem Thomam suum unicum filium.

Voluit autem, quòd post mortem Comitis Joannis Thomæ primi instituti, pro successione Turris & Terræ Paternionis hujusmodi servetur fideicommissum. *Item voghiu e comandu, che in la Turri e Terra di Paternò, con soi ragiuni, ed in la gabella di lo vino di Catania, ed in lo debbito, che diggiu recipiri supra la dota di la magnifica Signura mia matri, tanto per donationi, ed altri scritturi, quantu pir sententii, issu D. Gio: Tumasi miu fighiu & heredi mortu; succedano soi fighi mascoli, e loro fighi e successuri masculi: e li ditti beni vajano di masculo in masculo, mentri ccindi sarannu: in tantùm, quòd sint filii legitimi & naturales de eorum corporibus legitimè descendentes, & servato dicto ordine geniture, & vivant jure francorum. E si issu D. Gio:*

Tumasi murissi senza fighi masculi legitimi e naturali, ut supra, e non ci fussiru loro fighi masculi legitimi e naturali, e descendenti preditti, e ci fussiru autri mei fighi masculi legitimi e naturali, e loro descendenti masculi di mio e loro corpu legitimè descendenti; in la Terra e Turri di Paternò, gabella di Catania, ed in lo debbito, che diggiu recipiri di la preditta Signura mia Matri, modo & forma ut supra, succedano li detti mei fighi masculi, e loro fighi e descendenti masculi legitimi e naturali, mentri chind' havirà: servato dicto jure francorum, & ordine geniturae.

Quibus deficientibus, seu non existentibus; in li ditti Turri e Terra di Paternò, gabella di Catania, e debbito, che diggiu recipiri supra la dota preditta di la Signura mia Matri, succedano li fighi fimmini di lo dittu Gio: Tumasi, quilla videlicet, a cui de jure appartenirà la ditta successioni di lu Contatu e Terra d'Adernò, siccindi saranno, ò soi legitimi descendenti: servato semper ordine & jure praedictis.

Quibus deficientibus & non existentibus; succedano in li ditti beni li mei fighi fimmini, e loro descendenti, mentri chind' havirà. E si tanto io, quanto lo ditto Gio: Tomasi miu fighiu & heredi non havissimu fighi masculi, e fussiru fimmini; eo casu succedano li fighi fimmini di lo dittu Gio: Tumasi, quilla, a cui appartenirà la ereditati d'Adernò, li quali siano preferuti a li mei fighi fimmini: e li detti beni vajano alli fighi fimmini di lo dittu Gio: Tumasi, e loro descendenti legitimi e naturali, mentri chind'havirà.

Quibus deficientibus, seu non existentibus; succedano a li detti beni li mei fighi fimmini, e loro descendenti legitimi e naturali di loro corpu legitimè descendenti, mentri chind'havirà: & vivant jure francorum.

Postmodum verò ità prosequutus est. *Voghiu e comandu, quòd quandocunque & qualitercunque succedissiru li fighi fimmini nostri, ò di lo dittu Don Giovanni, ò altri di l'infrascritti; li loru mariti, e per inde li primogeniti, e quilli, che succediranno, diggianu prendiri lu cognomu, e fari l'armi di Moncada: aliàs cadano di la ereditati preditta, e vajano a li masculi più prossimi di Moncada legitimi e naturali: quòd vivant jure francorum.*

Item voghiu e comandu, quòd omnibus, in supradictis capitulis declaratis, deficientibus seu non existentibus; in li sopraditti Contato e Terra d'Adernò e Paternò, tratti di grano, gabella di Catània, e debbito, che diggiu recipiri di la Signura mia Matri, succeda lo magnifico e spettabili Misser Antoni Periu Ambrosiu di Moncada, Signuri di la Ferla, miu neputi, fighiu di me fratri, e soi fighi e descendenti masculi legitimi e naturali de eorum corporibus legitimè descendenti, mentri chind' havirà: servato tamen ordine geniturae, & jure francorum.

Quibus masculis deficientibus, seu non existentibus; succeda in li beni vinculati cui di ragiuni duvirà: ed in li beni non vinculati, videlicet Paternò, gabella di lo vino di Catania, e debbito, che diggiu recipiri supra la dota di la Signura me Matri, succeda lo illustri Signuri Guglielmo Raimundu

du Moncada Conti di Caltanissetta, e soi fighi e descendenti masculi de eorum corporibus legitimè descendenti.

Quibus deficientibus, seu non existentibus; succedano li fighi fimmini legitimi e naturali di lu predittu magnifico Misser Antoni Peri miu neputi, quilla a cui de jure pervenirà, e spettirà la successioni di la Ferla, & a loro fighi e successuri, mentri chind' havirà.

Quibus deficientibus, seu non existentibus; succedano li fighi fimmini legitimi e naturali di lu dittu Signur Conti di Caltanissetta.

Et omnibus his prædictis deficientibus, seu non existentibus; tutti li preditti beni pervenganu e siano di lo miu chiù prossimo, seu prossima di la mia Casa di Moncada, a cui de jure appartenirà lo dittu Contatu d'Adernò: in tantu chi di li preditti beni siano spisi unzi 1000. per l'anima mia con consighiu di lo Guardiano di Santa Maria di Gesù, e Priuri di Santa Maria la Grandi di Catania, qui pro tempore erunt: e sempri s'intenda, che tutti li preditti vivant jure francorum, ut supra.

Anno 1470. die 8. Maii. Rex Joannes Domini Regis Alphonsi frater, ejusque in Regno successor, contemplatione matrimonii felicibus auguriis contracti inter Serenissimam Isabellam Castellæ Reginam, & Serenissimum Principem Ferdinandum suum filium; donavit Reginæ nurui jus luendi Villam seu Terram Paternionis, in venditione per Regem Alphonsum Comiti Guglielmo Raymundo facta, reservatum.

Anno 1473. die 24. 25. & 30. Decembris . . . . ac die 23. Junii. In generali Colloquio Panormi celebrato, instante Comite Joanne Thoma de Montecateno, sancitum est, quòd per novas quascumque petitiones a Regno faciendas, ac per rescripta fortè obtinenda, nullum intelligatur inductum præjudicium consensui per Regnum favore Comitis Guglielmi Raymundi patris sui, ut dictum est, præstito sub anno 1463. pro consequendo pleno dominio Terræ & Turris Paternionis: eo tamen protestato, quòd nihil aliud ultra de novò Comiti Joanni Thomæ concessum intelligeretur.

Anno 1473. Comes Joannes Thomas quæsivit pro se suisque hæredibus in perpetuùm Comitatum Augustæ, de cujus pertinentiis est Hybla major, seu Melilli, eumque Comitatum alienavit anno 1479. facultate redimendi reservata in D. Beatricem Branciforti.

Anno 1477. die 9. Septembris. Rex Joannes, cùm ingentibus indigeret pecuniarum summis tam pro conservatione proprii status, quàm pro defensione certorum locorum Regni Castellæ, in quo Rex Ferdinandus filius suus dominabatur; a Comite Joanne Thoma de Montecateno filio & successore Comitis Guglielmi Raymundi, recepit unc. 380. 23. in augumentum pretii Terræ & Turris Paternionis olim venditi per Regem Alphonsum Comiti Guglielmo Raymundo ejus genitori, sub juris luendi reservatione.

His

His favore Comitis Joannis Thomæ concessis, nempe, primò, quòd reluirio in principali venditione contenra, per Regem exerceri non posset, nisi recuperatis omnibus terris a regio demanio segregatis, aliàs venditis & pignoratis: & altero, quòd, casu luitionis eveniente, Comes Joannes Thomas cuicumque alio emptori pro eodem pretio præferri deberet.

Anno 1478. die 24. Maii. Serenissimus Rex Ferdinandus, paternæ forsan inscius donationis, olim factæ Serenissimæ Reginæ Isabellæ ejus uxori, juris luendi Turrim & Terram Paternionis, ac pactorum initorum inter Regem Joannem patrem suum, & Comitem Joannem Thomam superiùs adnotatorum; procuratorem constituit Henricum Henriquez ad faciendam a posse Comitis Joannis Thomæ de Monteeateno luirionem Terræ & Turris Paternionis: eâque sequutâ; Turrim & Terram Paternionis, ob ingentia servitia per ipsum Henricum præstita, illi concessit, atque gratiosè donavit.

Anno verò 1487. die 29. Januarii. Cùm Rex Ferdinandus paternæ concessionis vel meminisset, vel notitiam habuisset a Regina Isabella propriâ conjuge, penès quam jus luendi adhuc ex donatione ei facta per Regem Joannem ejus socerum, ut dictum est, *anno* 1470. reperiebatur; hujusmodi jus luendi a Regina Isabella ad dandum, vendendum & alienandum, pleno jure, donatum obtinuit.

Unde anno 1487. die ultimo ejusdem mensis Januarii, iterum Rex Ferdinandus Henrico Henriquez jus luendi Turrim & Terram Paternionis donavit, atque donationem eidem Henrico antea factam, ex novo jure in se per Reginam translato, confirmavit.

Itaque instituto, ad nomen Regis, per Henricum in M. R. C. judicio contra Comitem Joannem Thomam pro luitione exercenda: ac regio obtento diplomate, ad cujus tenorem anno 1489. die 26. Novembris Rex Ferdinandus ordinavit D. Ferdinando de Acuña Regni Proregi, ut pecuniarum declarare faceret quantitatem, quæ Comiti Joanni Thomæ pro pretio Terræ & Turris Paternionis debebatur: ac quòd, factâ hujusmodi declaratione, sequi deberet Turris & Terræ Paternionis reluitio; Comes possessor acriter se opposuit contra Henricum præmissa prætendentem: præcipuèque allegabat, ad prætensam revenditionem non teneri, nisi prius adimpletis pactis omnibus & clausulis in regiis privilegiis adnotatis.

Cùm autem causa in M. R. C. inter Comitem Joannem Thomam & Henricum Henriquez per quatriennium ventilaretur; tandem partes ipsæ, per viceregiam interpositionem, ad infrascriptam concordiam devenerunt.

Anno nempe 1491. die 31. Augusti. Aloysius Sanchez, & Petrus Orosco procuratores speciales ad actum perficiendum (procurationis inserto tenore) per Henricum constituti, in vim transactionis & accor-

accordii, vendiderunt Comiti Joanni Thomæ & suis hæredibus & successoribus, quibus voluerit, in perpetuùm, & ad dandum, vendendum & alienandum jus luendi Terram & Castrum Paternionis cum eorum integro & indiminuto statu, videlicet, totum id, quod Henricus habebat, & ad eum quomodocumque spectare poterat super Terra & Turri Paternionis, vigore regiorum privilegiorum.

Quia tamen dubitabatur, quin fortè gratiis & concessionibus Henrico impartitis obstarent Regni Capitula, quæ bonorum demanialium alienationem, maximè in exteros, vetant, licèt per Regnum, hoc est per tria ipsius Regni Brachia fuisset jam præstitus consensus, per quem Comes Joannes Thomas jus luendi habere potuisset; Nihilominus, ad majorem cautelam, pacto processit solemni stipulatione vallato, per quod Henricus teneretur transactionis regiam obtinere confirmationem, per quam Regia Majestas iterum Comiti Joanni Thomæ venderet, alienaret, & concederet jus luendi, & omnia jura, de quibus fuerat Henrico facta concessio: adeout Comes ipse Joannes Thomas, suique hæredes & successores, aut ille, quem Comes voluerit, titulum & omnem causam a Sacra Regia Majestate, & suis hæredibus & successoribus habere dicerentur.

Fuit autem in transactione insertus tenor privilegii, quod Henricus propriis sumptibus & expensis debebat a Rege impetrare.

Pro pretio florenorum vigintiocto mille monetæ hujus Siciliæ Regni, hoc modo solvendorum: nempe, quòd floreni decem mille solvendi essent habito privilegio cum exequutoria, & privilegio ipso Comiti emptori tradito omnibus numeris absoluto: floreni novem mille infra annum: & alii floreni novem mille infra duos annos: obtento prius & consignato privilegio, quod tamen Henricus Comiti consignare non teneatur, nisi prius fuerint a Comite idonei ad pretium exolvendum præstiti fidejussores, quos Comes ipse infra terminum mensium trium præstare promisit: eo declarato, quòd jus decimæ & tareni ab Henrico solvi deberet.

Præsente D. Ferdinando de Acuña Regni Prorege, suamque authoritatem, Regis nomine sub amplis dispensationibus, interponente.

Eodem anno 1491. die 7. Novembris. Serenissimus Rex Ferdinandus, factâ præmissorum omnium narratione, privilegium Comiti Joanni Thomæ concessit eâ formâ, quâ fuerat ab Henrico in exposita transactione promissum: quam voluit Rex haberi in privilegio pro inserta, eamque vigore hujusmodi privilegii confirmavit.

Quinimò Rex ipse, juxta promissa per Henricum in enarrata transactione, pro majori cautela, securitate & salvamento Comitis Joannis Thomæ, eidem pro se & suis hæredibus & successoribus, & quibus voluerit, & ad dandum, vendendum, & alienandum, vendidit,

didit, cessit, & transtulit, ac de novò per se & successores suos in perpetuùm concessit, ad francum & purum allodium, jus luendi Terram & Castrum sive Turrim Paternionis cum eorum integro & indiminuto statu, & totum id & quidquid Comiti Joanni Thomæ vigore regiorum privilegiorum, non erat acquisitum, & ad Regem poterat pertinere: & prout & quemadmodum Henrico donatio & concessio facta fuerat.

Pro pretio florenorum viginti-octo mille, quos voluit Rex, Henricum, in terminis in transactione præscriptis, esse consequuturum: & quatenus vendita, essent majori pretio digna, hujusmodi majus pretium Comiti Joanni Thomæ donatum est, ob servitia tum per eum Regibus præstita, tum per ejus prædecessores: & sub clausulis translativis in contractu venditionis apponi consuetis.

Verùm, cùm venditioni obstarent Regni Capitula demanialium alienationes prohibentia; Serenissimus Rex Ferdinandus ea non obstare declaravit: quoniam fuerat in generalibus Comitiis, de venditione facienda, olim concessa licentia Comiti Guglielmo Raymundo, quæ fuerat, ut dictum est, instante Comite Joanne Thoma ejus filio & hærede, confirmata.

Unde acta generalis Colloquii in Officio Regni Prothonotarii registrata, sub inserto tenore, omniaque alia regia & viceregia indulta Comiti Guglielmo Raymundo, Comitique Joanni Thomæ impartita, omnesque aliis actus quomodolibet facti, & ad firmitatem venditionis tendentes, regia confirmatione munita fuerunt.

Anno 1501. die primo Junii Comes Joannes Thomas de Montecateno, ut prætenditur, per ejus supremas tabulas, hæredem suum fecit universalem Comitem Guglielmum Raymundum hujus nominis Quintum suum primogenitũ, sub infrascripto fideicommisso. *Item voluit & mandavit, quòd decedente & moriente dicto illustri ejus hærede universale; succedat in dictis Comitatibus, Terris, Baroniis, & aliis bonis suis, & infra ejus hæreditatem, illustris & spectabilis D. Antonius de Montecateno ejus nepos, filius primogenitus dicti illustris Domini Guglielmi. Si tamen vixerit; in dicto casu ejus hæredem instituit: si tamen non vixerit, vel vixerit, & decesserit sine filiis masculis de suo corpore descendentibus quandocunque; tunc & eo casu succedat & succedere debeat alius filius masculus secundogenitus dicti illustris D. Guglielmi: dummodo quòd non sit in sacris ordinibus constitutus, vel religiosus. Si tamen non vixerit, vel vixerit & decederet sine filiis masculis de suo corpore legitimè descendentibus quandocunque; tunc & eo casu succedat alius filius, qui tunc reperiretur primogenitus dicti illustris D. Guglielmi: dummodo quòd non sit in sacris ordinibus constitutus, vel penitùs religiosus. Et casu quo dictus illustris D. Antonius decederet cum filiabus fœminis tantùm; quòd tunc dicto casu succedat dictus filius secundogenitus dicti illustris Domini D. Guglielmi: & fœmina pra-*

prædictæ debeant habere ejus dotes de paragio secundùm earum conditionem: in quibus dotibus ipse illustris Dominus testator ejus hæredes particulares instituit, dicto casu adveniente: & eodem modo si decederet dictus filius secundogenitus dicti illustris D. Guglielmi cum filiabus fœminis tantùm; quòd eodem modo succedat dictus filius masculus, qui reperiretur primogenitus dicti D. Guglielmi, ut supra dictum est, & fœminæ habeant earum dotes de paragio, ut supra dictum est. Ità quòd semper qui erunt filii masculi descendentes ex dicto illustre D. Guglielmo, & suis filiis & nepotibus masculis; quòd tali casu semper succedant in dictis Comitatibus, Terris, Baroniis, & aliis supradictis, primogenitus masculus, qui tunc reperiatur, semper præferatur aliis: servatâ semper prærogativa primogenituræ, & fœminæ tantùm debeant habere earum dotes de paragio, juxta conditionem earum: in quibus dotibus eas & quamlibet ipsarum dictus illustris Dominus testator hæredes instituit. Quæ quidem dispositiones, institutiones & substitutiones intelligantur de Comitatu Augustæ, & Baronia Paternionis, Baroniis, & aliis bonis burgensaticis & feudalibus, de quibus ipse illustris potest disponere.

Demum sequentem prohibitionem alienationis ascripsit per hæc verba. *Item dictus testator voluit & mandavit, quòd illustris D. Guglielmus ejus hæres universalis, & sui descendentes, & alii nominati & substituti nullo pacto possint nec valeant dictum Comitatum, Terram & Baronias prædictas omnes, de quibus ut supra disposuit, & disponere potest, aliquam partem ipsorum & ipsarum aliquo futuro tempore alienare, vendere, pignorare, emphyteuticare, nec alterius alienationis titulo in alios vel alium transferre; sed veniant ad supradictos nominatos substitutos modo & forma, quibus supra disposuit: quia ad eos omnino voluit quòd perveniant.*

Eodem anno 1501. die 24. Septembris. Comes Guglielmus Raymundus V. concessam habuit investituram Statùs Paternionis, *juxta formam suorum privilegiorum*: naturâ tamen & formâ feudi in aliquo non mutatâ.

Anno 1510. die 14. Octobris. Idem Comes Guglielmus Raymundus hæredem sibi scripsit universalem Comitem Antonium, hujus nominis Secundum, suum primogenitum.

Anno 1511. die 24. Octobris. Comes Antonius Statùs Paternionis juramentum fidelitatis præstitit, & in eo dixit illum possidere *juxta formam suorum privilegiorum*: naturâ & formâ feudi in aliquo non mutatâ.

Anno 1517. die secundo Martii. Iterum a Comite Antonio, ob mortem Serenissimi Regis Ferdinandi, & successionem Reginæ Joannæ, Regisque ejus viri, juramentum fidelitatis præstitum est, & eodem modo, quo in præcedenti juramento præstito sub anno 1511. Statum Paternionis possidere dixit, *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1549. Decessit ab intestato Comes Antonius, eique succes-

fit Comes D. Franciscus ejus filius primogenitus, hujus nominis Primus.

Anno 1550.& 1557. Comes ipse D. Franciscus in juramento fidelitatis, Statum Paternionis possidere dixit *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*, *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1565. die 8. Aprilis. Ob servitia præstita per Comitem D. Franciscum de Moncada Comitem Adernionis, & Comitem D. Antonium ejus patrem, fuit concessus Comiti D. Francisco, ejusque hæredibus & successoribus in perpetuùm, titulus Principis Paternionis.

Anno 1566. die 24. Februarii. Idem Comes D. Franciscus Princeps Paternionis, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem Comitem D.Cęsarem ejus filium primogenitum, & indubitatum succesforem.

Anno 1568. die 29. Martii. Princeps D. Cæsar patris successor, statuum cœpit investituram *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*, *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1571. Decessit ab intestato Princeps D. Cæsar, eique successit Princeps D. Franciscus II. filius suus primogenitus, a quo fuit iterum Melillum acquisitum & venditum.

Anno 1572. sub die 13. Februarii. Princeps D. Franciscus investituram cœpit Statùs & Principatùs Paternionis *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*, *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1584. die 15. Martii. Contracto matrimonio inter Principem D. Franciscum, & D. Mariam Aragona & la Cerda; in capitulis inter conjuges exaratis usquequò contractus matrimonialis extenderetur, hoc legitur pactum, quod pariter in præcedentibus orationibus transcriptum est. *Item processit ex pacto juramento vallato, quòd filii & filiæ utriusque sexùs nascituri & nascituræ ex præsenti matrimonio succedant & succedere debeant tam in Principatu Paternionis, Caltanissettæ, Adernionis, Centurpium, & Mottæ Sanctæ Anastasiæ, quàm in Ducatu Montisalti, Comitatu Collesani, & aliorum: ità quòd filius masculus præferatur fœminis, & major natu minoribus in perpetuùm & infinitùm: & ille seu illa, qui seu quæ succederet in dictis statibus, servare debeat alternativam titulorum, cognominum & armorum ipsorum contrahentium. Cum hoc, quòd primogenitus seu primogenita, qui seu quæ succederet in dictis statibus, prout superiùs dictum est, nominari & vocari debeat Dux Montisalti, seu Ducissa Montisalti, & suscipere arma & cognomina de Aragona: & nepos seu neptis dictorum excell. Dominorum Jugalium vocari debeat Princeps seu Principissa Paternionis, & suscipere arma & cognomina de Moncada: & sic servetur ordo in dictis & aliis genitis usque in infinitùm, quoad arma & cognomina ex pacto.*

Anno 1585. die 18. Julii. Cùm fuerit a sponsis memoratis stipulatus contractus matrimonialis; in eo sequens pactum adjectum est.

Item

Item processit ex pacto juramento vallato, quòd filii & filiæ utriusque sexùs nascituri & nascituræ ex præsenti matrimonio (Deo dante) qui succedent tum in Principatu Paternionis, Centurpium, Caltanissettæ, Melilli, Adernionis, Collesani, & aliorum, in quibus ex forma privilegiorum & dispositionum succedere debet in dictis statibus, servare debeat alternativam titulorum, cognominum & armorum ipsorum contrahentium: hoc est, quòd primogenitus seu primogenita, primus nasciturus seu prima nascitura, qui seu quæ succederet in dictis statibus, prout superiùs dictum est, nominari & vocari debeat D. Antonius de Aragona Dux Montisalti, seu D. Antonia de Aragona Ducissa Montisalti, & suscipere arma & cognomina de Aragona: & nepos seu neptis, qui seu quæ in posterùm in dictis statibus successerit, vocari debeat D. Franciscus Moncada Princeps Paternionis, & suscipere arma & cognomen de Moncada: & sic observetur ordo prædictus in omnibus & quibuscunque successionibus dictorum statuum, usque in infinitùm.

Anno 1592. Obiit Princeps D. Franciscus ab intestato, & in statibus successit, utì successor indubitatus, Princeps D. Antonius III. qui vocatus est de Aragona.

Anno 1600. die 23. Septembris. Capta est investitura Statùs & Principatùs Paternionis a Principe D. Antonio *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Anno 1626. die 10. Junii. Princeps D. Antonius refutavit per se & suos successores in perpetuùm Comiri D. Aloysio ejus filio primogenito & indubitato successori omnes Statùs, Principatus, Comitatus, & alia, *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Anno 1627. die 9. Junii. Idem Princeps D. Antonius, tanquam pater & administrator Comitis D. Aloysii filii, statuum omnium cœpit investituram *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum.*

Anno 1631. die 3. Aprilis. Idem Princeps D. Antonius, per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem Comitem D. Aloysium, ut dictum est, ejus filium, qui vocatus est de Moncada.

Anno 1637. Iterum a Principe D. Aloysio Baronia Melilli recuperata est, & vendita, facultate redimendi reservata. Atque tandem anno 1645. ab eodem Principe D. Aloysio reacquisita est: adeout ex tunc usque ad obitum Comitis Ferdinandi ultimi defuncti penès Dominos de Moncada, vigore hujusmodi reluitionis, conservatus sit: ut latiùs sua sede dicetur.

Anno 1672. die 9. Aprilis. Princeps D. Aloysius, jam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in suo, sub quo decessit, testamento, hæredem universalem instituit Comitem D. Ferdinandum ejus unicum filium, qui vocatus est de Aragona.

Eodem anno 1672. Princeps D. Fer-

D. Ferdinandus de Aragona statuum omnium cœpit investituram *juxta formam suorum privilegiorum*.

Anno 1713. die 11. Novembris. Obiit Princeps D. Ferdinandus, institutâ hærede universali Domina Cliente, quam unicam habuit filiam. Sciebat enim ex forma investiturarum & avitarum dispositionum, in statibus omnibus, quos in hoc Regno possidebat, esse successuram, & a Domino Duce Sancti Joannis agnato remotiori non molestandam.

Cùm autem hujusmodi dispositioni non acquieverit Dominus Dux Sancti Joannis, & judicium possessorium instituerit; vestrum erit, amplissimi Judices, paternæ institutionis subsistentiam declarare, cùm a clausula juris francorum pariter præsens successio veniat regulanda.

2 Discursu itaque † in tres partes distributo. In Prima probatum ibit fideicommissum conditum a Comite Guglielmo Raymundo IV. primo Statùs Paternionis acquisitore, in præsenti successione esse regularis primogenituræ: adeout filia ultimi possessoris vincat agnatum remotiorem.

In Secunda fundabitur, in successione Statùs Paternionis non attendendum fideicommissum Comitis Joannis Thomæ filii Comitis Guglielmi Raymundi, licèt ipse jus luendi a Rege in venditione reservatum, acquisierit: atque existentia testamenti Comitis Joannis Thomæ examinabitur.

Et in Tertia conclusum videbitur, titulum Principis Paternionis, cùm in eo fœmina proculdubio sit ad successionem admissa, ulli prorsùs quæstioni subjacere: nonnullaq; alia dicentur de observantia fideicommissi Comitis Guglielmi Raymundi, & de successione Statùs & Baroniæ Hyblæ majoris, seu Melilli.



DI-

DISCURSUS TERTII
PARS PRIMA.

De exequendo in præsenti successione, tanquam fœminarum admissivo in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, fideicommisso Comitis Guglielmi Raymundi IV. de Montecateno Comitis Adernionis, primi Statùs Paternionis acquisitoris.

SUMMARIUM.

Clausula juris francorum apposita in fine dispositionis, habens caudam serpentinam, etiam expressam absorbet agnationem, impropriando verba dispositionis: ex doctrina Nostratum, *inter quos* Consil. Rizzari. *n.* 1.

Clausula juris francorum apposita per modum regulæ si totaliter agnationem non absorbet, mirabiliter proficit ad declarandum fideicommissum regulare, & non agnatitium. n. 2.

Fortiùs si absque dispositionis contrarietate clausula salvari potest. n. 3.

Proponitur Adversarii objectio circa sensum antiquum & modernum clausulæ juris francorum. n. 4. *cui respondetur n.* 6. *& seq.*

Clausula juris francorum antiquitùs exclusionem potiùs, quàm fœminarum admissionem importabat. n. 5.

Jus francorum ante Regni Constit. In aliquibus *&* Ut de successionibus *primogenitos masculos admittebat cum omnimoda fœminarum exclusione. n.* 7.

Jus francorum, post Constitutiones & multò magis post Cap. Si aliquem, *ultra primogenituram & feudi individuitatem, fœminas admisit in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs. n.* 8. *&* 10.

Jus francorum post Cap. Si aliquem *fuit factum commune in Regno, quidquid sit post Constitutiones & ante Cap.* Si aliquem: *quo tempore ab allegante tanquam speciale probandum erat. n.* 9.

Confirmatur assertio ex observantia in familia. n. 11.

Proponitur alia Adversarii objectio, quòd etiam post Constitutiones, jus francorum fuit explicatum, quòd fœminæ admitterentur omnibus omnino agnatis deficientibus: ex doctrina Perni *&* Cannetii, *ac authoritate rerum judicatarum. n.* 12. *sed respondetur n.* 14.

Ill. Regens D. Vincentius de Ugo laudatur. n. 13.

Textus in Cap. 1. de eo qui sibi & hæredibus suis, *in Regno Siciliæ non procedit. n.* 15.

Afferuntur conjecturæ in contrarium allegatæ pro agnatione in fidei-

com-

exclusivum concludere potest. n. 34.

Conjectura, quæ cum regulari primogenitura compatiuntur, agnationem inducere non valent. n. 35.

Qualitas masculinitatis volita a testatore in ingressu successionis, ad hoc ut primogenitura a masculo inciperet, non censetur repetita, nec operatur fœminarum exclusionem in progressu, postquam successio fuit jam in masculo radicata: ex authoritate nonnullarum Rot. Rom. *decisionum, quæ ad intentum transcribuntur. n. 36. 37. & 38.*

Adducuntur nonnullæ conjecturæ exclusivæ agnationis, & repetitionis masculinitatis, resultantes ex universo tenore fideicommissi Comitis Guglielmi Raymundi IV. num. 39. & seq.

Testatoris menti ac juris dispositioni repugnat, quòd filiæ fœminæ primi instituti de linea ingressa & magis dilectæ vincantur a fœminis substitutorum minus dilectis. n. 40. 41. 42. & 43.

Fœmina proximior & lineæ ingressæ præfertur, ex mente testatoris, masculo remotiori. n. 44.

Decisio M. R. C. apud Mutam *decis. 57. declaratur. n. 45.*

Ill. Præses D. Casimirus Drago laudatur. n. 46.

Decisiones M. R. C. & Consistorii in causa Hyeracis declarantur. n. 47.

Decisio M. R. C. in causa successionis Terrarum Roccæ & Mauri-Joannis seu Valdinæ declaratur. n. 48.



Uccessionem Statùs Paternionis venire a regulari primogenitura & clausula juris francorum metiendam, litera ostendit (quæ non admittit cavillum) primi capituli fideicommissi, quod a Comite Guglielmo Raymundo IV. primo illius acquisitore, conditum est. Ipse quidem, cùm in eo capitulo loquutus sit de descendentibus filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ ejus filii primogeniti primi instituti, cujusmodi sunt Domina Cliens & Dominus Dux Sancti Joannis; perpetuam regularem primogenituram inter eos ordinavit, proindeque masculis tantùm in eadem linea & gradu existentibus, in concursu cum fœminis, prælationem concessit. Adeout, cùm in præsentiarum quæstio sit inter agnatum remotiorem, ut est Dominus Dux Sancti Joannis, & fœminam proximiorem constitutam in linea ultimi possessoris, ut est Domina Cliens; nulli dubium, quin ipsa veniat ad successionem admittenda, non autem Dominus Contendens. Verba capituli hæc sunt. *Item voghiu e comandu, che in la Turri e Terra di Paternò &c. issu D. Gio: Tumasi miu fighiu & heredi mortu; succedano li soi fighi mascoli: e li detti beni vajano di masculo in masculo, mentri ecindi sarannu: in tantùm quòd sint legitimi & naturales de eorum corporibus legitimè descendentes, & servato dicto ordine genituræ, & vivant* jure *francorum.*

Quamvis enim in principio fideicommissi testator protestatus fue-

fuerit, quòd mortuo Comite Joanne Thoma primo instituto, succedere deberent ejus filii masculi: & quòd bona ire deberent de masculo in masculum donec extassent: adeout oriri posset dubium an fideicommissum pro masculis tantùm foret institutum; geniturae ordinem testator voluit esse servandum, & quòd successores viverent jure francorum: quòd idem importat, ac si testator seipsum declarando dixisset, quòd illa continuata masculorum vocatio, ad formam regularis primogeniturae, & secundùm jus francorum, intelligenda esset: nempe donec masculi in eadem linea & gradu invenirentur, ipsis tamen inibi non existentibus; quòd foeminae, ex quarum concursu earum vocatio resultat, eâ praerogativâ gaudentes, essent ad successionem admittendae. Adeout Domina Cliens filia ultimi possessoris, literaliter videatur ad successionem invitata, cùm masculi ejusdem lineae & gradùs in casu nostro deficiant: ità enim per primogenituram succeditur, atque per jus francorum.

Magis autem in thesi nostra id locum habere meretur, in qua primogenitura & jus francorum fuere per omnes suos effectùs explicata. Postquàm enim noster disponens in praecedenti capitulo pro successione Comitatùs Adernionis dixerat, *& etiam servato ordine geniturae, videlicet, quòd major natu minoribus fratribus, & masculus foeminis praeferatur, & vivant jure francorum*; subsequenter cùm de Paternione loquutus sit, de quo nunc disceptatur, eundem servatum voluit primogeniturae ordinem, & jus francorum, adjuncta dictione *dicto*, quae repetitionem importat: ità enim, ut visum est, testator affirmavit: ***Et servato* dicto *ordine geniturae, & vivant jure francorum.***

Atque maximè illud procedere dubitandum non est, quia testator nedum in qualibet substitutione specialiter, quod satis sufficiens esset, verùm etiam in fine omnium substitutionum generaliter per modum regulae, ut in facto visum est, ordinavit jus francorum esse servandum, ac regularem primogenituram, omnibus eorundem effectibus explicatis. Si enim † clausula juris francorum in fine tantùm dispositionis apposita, ut rectè putarunt aliqui, caudam habens serpentinam, quamlibet etiam expressam absorbet agnationem, verba dispositionis impropriando. Quos inter authores, Regni & M. R. C. praxim referens, adnumeratur Consiliar. Rizzari *de cens. tom. 1. §. fideicommissum quaest. 3. versic. declara*: qui hisce sub verbis doctrinam expendit. ***Declara, nisi fieret fideicommissum agnatitium expressum super feudo haereditario. Si tamen testator in fideicommisso praedicto agnatitio, sive super feudo, sive super allodialibus addiderit clausulam***, ità quòd vivant jure francorum; ***tunc dicta clausula destruit totum agnatitium vel masculinum: quoniam de irregulari reducitur ad regulare fideicommissum; secundùm quod vivitur in Regno. Et ità fuit decisum per M.Curiam***

riam Messanæ de anno 1664. *in causa illorum de Platamone Civitatis Syracusarum, pro fideicommisso imposito super feudo Cifalis. Et in simili facit Burg.* in prælud. ad ll. Tauri n. 126. in fine. *Tum quia, ut diximus, una sola conjectura, quæ sit contraria agnationi vel masculino fideicommisso, destruit totam masculinitatem ac agnationem. Valenzuel.* consf. 97. n. 27. & 28. *Fusar.* quæst. 311. n. 28. *& Burg.* ibidem n. 127.

Quid dicendum in casu nostro, in quo non in fine tantùm, sed in omnibus substitutionibus clausula juris francorum adjecta est: & non ad agnationem destruendam, sed ad dispositionem declarandam clausula juris francorum expenditur: isto sanè casu conveniunt omnes nostræ siculæ jurisprudentiæ

2 interpretes, quòd † clausula juris francorum apposita per modum regulæ ad fideicommissum regulare declarandum, & ad probandum, quòd non sit agnatitium, mirum in modum proficiat: ut videre est apud Gregor. *de concess. feud. p.* 2. *quæst.* 8. *a num.* 8. *ad* 12. *p.* 3. *quæst.* 7. *n.* 35. *& p.* 4. *quæst.* 15. *n.* 13. Giurba *de feud. prælud.* 4. *n.* 49. *vers. quid dicendum*, *& n.* 50. Cannet. *in Capit. Volentes §. sed magna fuit num.* 40. 41. *&* 42. *f.* 57. Corsett. *consf.* 5. *n.* 3. *&* 4. ubi dicit, quòd habet caudam serpentinam. Intrigliol. *de feud. cent.* 1. *quæst.* 49. *n.* 93. *& decis.* 43. *n.* 83. Cutell. *decis.* 20. *n.* 22. *per tot.* Costa *consf.* 89. *n.* 1.

Quinimò quòd attendi debeat

3 clausula juris francorum † quando est apposita per modum regulæ, prout in casu nostro, & quando absque dispositionis contrarietate clausula salvari potest, tanquam indubitatum affirmat nunquam satis laudatus, & qui materiam ab antiquis ambagibus extricavit Ill. de Drago *in causa Hyeracis* §. 6. *a n.* 437. *& seq.*

Quò fit, ut, cùm de re clarissima agatur, nihil esset quòd contra nostras hujusmodi firmissimas assertiones ex adverso in medium apponi possit.

Subtilissimus tamen ex adverso in causa Patronus, cùm vellet eximiam ingenii sui aciem manifestare, etsi de re fortissima tractaretur, & quæ favore Dominæ Clientis quasi evidentiam saperet; opponit primò, atque affirmat, quòd

† primævum jus francorum solam 4
introduxerat primogenituram & feudorum individuitatem, non autem admissionem fœminarum in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs: ut in præsentiarum juxta communem intelligentiam jus francorum explicatur, atque a nobis allegatum est. Adeout priscis temporibus idem esset succedere per jus francorum, quàm per agnationem: eam enim fovebat jus longobardorum, quod in unicitate feudi & possessoris corrigebatur, non autem in fœminarum exclusione.

Subjungit deinde Adversarius, quòd antiquitùs, nempe anno 1465. quo nostrum fideicommissum conditum est, dubitabatur an jus francorum juxta modernam, an verò juxta primævam naturam intelligendum esset: atque quòd

potiùs juxta sensum antiquum, quàm secundùm recentiorem interpretationem, jus francorum accipiebatur.

Unde concludit, quòd noster testator non de moderno, sed de antiquo jure francorum loquutus fuerit: cùm enim, ut dictum est, receptior esset opinio, quòd jus francorum effectum successionis fœminarum adhuc non producebat; credendum est quòd Jureconsulti illius temporis, quos noster testator in fideicommissi structura consuluit, agnationem quam eis disponens communicavit, per appositionem præcepti, quòd status possessores servare deberent jus francorum, explicarunt: adeo-
5 ut † ex nostra clausula juris francorum nedum fœminarum admissio hauriri non possit, verùm etiam ex ea apertissima fœminarum exclusio confirmetur: ex Ill. Præside de Drago *in causa Hyeracis* §. 3. *quasi per tot.* ubi de jure francorum origine & progressu summa cum eruditione tractatur.

Eoque magis assumptum procedere instat, quo magis, ultra præceptum quòd possessores Statùs Paternionis vivere deberent sub jure francorum, alia dedit signa testator, ex quibus agnationem contemplasse visus est: tales equidem in fideicommisso conjecturæ intercedunt (quas infra enumerabimus) ex quibus evidens agnationis contemplatio resultat. Si enim testator de moderno jure francorum loquutus esset, clausulas non adnexisset moderno juri francorum penitùs contrarias & repugnantes: adeout cùm eis usus fuerit; de antiquo jure francorum testatorem loquutum esse, nemo dubitabit.

Atque ad intentum Adversarius adducit transactionem stipulatam anno 1424. inter C. Guglielmum Raymundum IV. Comitem Caltanissettæ, & Gastonum ejus fratrem, filios Comitis Matthæi II: ipsi quidem successionem Castrinovi & Caltanissettæ, per jus francorum, esse regulandam dixerunt, per quod fœminæ a successione penitùs arcebantur.

Ut itaque † objectio resolvatur, ea quæ sparsim in primo & secundo discursu dicta sunt, iterum repetere juvabit: ex illis enim evidenter patebit, quòd nostra clausula juris francorum non antiquo, sed moderno sensui debet accommodari. 6

Menti ergo revocandum est, quòd ante Constitutiones *In aliquibus* & *Ut de successionibus*, quæ, ut dictum est, conditæ sunt *anno* 1221. sicuti dubitabatur de modo vivendi in Regno, cùm Constitutiones ipsæ nonnullos longobardorum, alios verò speciali francorum jure viventes enuncient; ità etiam dubitabatur in quonam consisteret jus francorum, & quænam diversitas inter unum & aliud jus intercedebat? & ut placet Ill. Præsidi de Drago, qui, ut sæpiùs dictum est, materiam profundissimè examinat *in causa Hyeracis*, jus francorum † ante Constitutiones in eo solùm consistere visum est, quod ad feudalem successionem primogenitos admittebat, & 7
feu-

feuda integra conservabat; fœminas verò penitùs excludebat, ut mandat jus longobardorum, quod feudum & successionē inter omnes filios masculos Vasalli distribuit.

Memoriæ etiam recolendum est,
8 quòd † post Constitutiones jus francorum in Regno non ampliùs in sola primogenitura & feudi individuitate constitutum est, sed etiam in fœminarum admissione, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, ut in præsentiarum conservatur, & multò magis post Capitulum *Si aliquem*, quod conditum est, ut pluriès diximus, *anno* 1286. sub Rege Jacobo: quæ post tempora jus francorum nedum Nostrates illud interpretati sunt, ut in præsentiarum explica-
9 tur, verùm etiam † commune factum est, ubi tale non erat, etiam post Constitutiones & ante Capitulum *Si aliquem*: nam ab allegante, tanquam speciale, probandum erat.

Quibus ad memoriam revocatis, nemo non videt quòd anno 1465. quo nostrum fideicommissum conditum est, jus francorum non importabat agnationem, & proinde quòd termini, qui prætenduntur applicari ad casum nostrum, prorsùs inapplicabiles sint: quoniam nedum Constitutiones, verùm etiam Capitulum *Si aliquem* jam condita erant, & illa antiqua interpretatio jam a nostris Jureconsultis recesserat. Adeout indubitabile sit, quòd nostra clausula juris francorum etiam apposita videatur ad finem, ut in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, fœminæ admitterentur, non autem ad solam feudi & successoris individuitatem manifestandam.

Eo magis, quòd in nostro fideicommisso nedum affirmatum est, quòd servetur jus francorum, in quo posset intrare dubietas an esset jus francorum antiquum, an verò modernum; sed in individuo dictum fuit, quòd servetur jus francorum modernum, nempe illud quod fœminas ad successionem admittit in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus: etenim, ut sæpiùs dictum est, effectus moderni juris francorum explicati sunt, videlicet, quòd *major natu minori*, & *masculus fœminæ præferatur*: atque hoc affirmat Ill. de Drago *in causa Hyeracis loco supra citato*, nempe, quòd † jus fran- 10
corum ante Constitutiones fœminas excludebat, sicuti jus longobardorum; post autem Constitutiones, fœminæ feudali successione gloriantur.

Neque negotium facessit transactio stipulata sub *anno* 1424. inter Comitem Guglielmum Raymundum IV. Comitem Caltanissettæ, & Gastonum ejus fratrem, filios Comitis Matthæi II: in ea enim hujusmodi juris francorum interpretationem non haberi, satis probatum ivit ex his, quæ scripsimus *in disc.* 1. *p.* 4. *a n.* 48. *cum pluribus seq.*

Et ultra, cùm anno 1466. ob mortem sine filiis legitimis & naturalibus Comitis Guglielmi Raymundi IV. Comitis Caltanissettæ orta fuerit contentio super suc-

cessione Comitatùs Caltanissettæ inter Comitem Antonium Comitis Matthæi II. filium secundogenitum, & fratrem defuncti Comitis Guglielmi Raymundi primogeniti ex una parte, & Comitem Joannem Thomam de Monteeateno nepotem Comitis Matthæi II. ex Comite Guglielmo Raymundo IV. Comite Adernionis filio Comitis Joannis fratris memorati Comitis Matthæi II. & pariter nepotem memorati C. Guglielmi Raymundi IV. Comitis Caltanissettæ ultimi defuncti. Qui quidem Comes Antonius & Comes Joannes Thomas se fundabant vel in clausula juris francorum contenta in antiquissimis privilegiis uti immediatè concessis post adventum Dominorum Regum Aragonensium, vel in clausula juris francorum contenta in testamento Comitis Matthæi II. quod conditum fuit anno 1421. vel demum in clausula juris francorum contenta in memorata transactione stipulata sub anno 1424. inter Comitem Guglielmum Raymundum, & Gastonum ejus fratrem. Ambo nempe C. Antonius, & post ejus mortem C. Joannes Thomas, media solemnissima
11 transactione, ad successionem † admissi sunt, unà cum omnibus suis descendentibus cùm masculis tum fœminis: adeout confirmatum evidenter fuerit, quòd clausula juris francorum post Constitutiones & post Capitulum *Si aliquem* fœminas ad successionem admittebat, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus: & quòd antiquum jus francorum, per quod fœminæ excludebantur, amplius non servabatur, & ab aula recesserat.

Menti autem tenendū est, quòd hujusmodi interpretatio clausulæ juris francorum data est in transactione, quæ fuit stipulata sub anno 1466. & proinde eodem ipso tempore, quo conditum fuit fideicommissum, de quo in præsentiarum disputatur, cùm illud anno immediatè præcedenti, nempe 1465. conditum erat: & sicuti proponitur, quòd in confectione fideicommissi Comitis Guglielmi Raymundi IV. Comitis Adernionis, in quo de Statu Paternionis dispositum fuit, Jureconsulti intervenerunt, qui eam interpretationem juri francorum dare potuerunt; ità affirmatur, quòd in transactione, de qua est sermo, & latior factus est in *disc.* 1. *p.* 5. Jureconsulti interfuerunt, & idemmet Dominus Prorex hujusmodi celeberrimæ transactioni assensum præstitit: adeout juremeritò dicendum sit, quòd jus francorum semper explicatum fuerit, quòd fœminæ, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, ad feudum admitti debeant, & quòd ità Jureconsulti illius temporis eam interpretati sint: ac proinde concludendum erit, quòd oppositio antiquæ juris francorum interpretationis in fideicommisso condito sub anno 1465. penitùs inapplicabilis sit, & quòd nullo pacto siculis nostris attentis legibus & authoribus, qui leges ipsas interpretati sint, valeat sustineri.

Opponit secundò Adversarius, atque affirmat, quòd quidquid sit

de

de primævo jure francorum ante
12 Constitutiones, † sequenti tempestate, nempe cùm ante tum post
Capitulum *Si aliquem*, jus ipsum
francorum modificatum est: non
enim amplius prout ante Constitutiones fœminarum successionem
abhorrebat; sed eo demum casu
fœminas ad successionem invitabat, cùm omnes penitùs masculi
agnati, etiam remotissimi gradùs,
deficerent: & ad eum finem adducit Pern. *cons.* 19. *& super Cap. Si
aliquem*. Cannet. *super eodem Cap.
vers. sed tractandum esse fol.* 275.
atque Cannetium ipsum & Campixianum *in successione feudi della
Montagna della Donna* apud Corsett. *cons.* 25. qui scripserunt anno
1540.

Atq; etiam adducit, pro hujusmodi juris francorum explicatione ab homine facta, fideicommissum Comitis Matthæi II. de Montecateno conditum anno 1421.
de quo in ultima parte nostri primi discursùs sermo factus est: clausula enim juris francorum ibi per
oppositam interpretationem declarata fuit, nempe per admissionem fœminarum in defectu omnium omnino masculorum agnatorum; non autem in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs.

Et demum adducit Adversarius decisionem M. R. C., votis recognitis per supremum Italiæ Senatum, in causa successionis Roccæ
& Mauri-Joannis seu Valdinæ, in
qua agebatur de fideicommisso
condito ab Andreotta Valdina sub
anno 1512. sub expressa clausula
juris francorum; & nihilominus
fuit pro Ill. D. Francisco Valdina
præsenti Marchione Roccæ agnato decisum, veluti procedente a
Joanne Matthæo Valdina secundogenito Andreottæ primi acquisitoris, in exclusionem Ill. D. Nicolai Antonii Lucchese Marchionis Deliæ, procedentis a D. Laura
Valdina, existenti in linea Francisci primogeniti ejusdem Andreottæ, & in exclusionem aliorum cognatorum in linea pariter Francisci primogeniti existentium, & de
qua erat Princeps D. Joannes Valdina ultimus moriens: in qua scripsi & ego anno 1694. cùm vigesimumprimum ætatis meæ vix tetigerim annum; sed materiam illustravit † Ill. Regens D. Vincentius 13
de Ugo alter ex M. R. C. sedis civilis & causæ Judicibus, qui solus
pro agnato votaverat, & ejus solum votum, tanquam unisonam
M. R. C. sede plena sententiam,
exequendum esse Rex demandavit: Jureconsultus sanè profundissimus, perspicacissimi ingenii, omniq; virtutum genere ornatissimus,
integerrimus, probissimus, quem
ego semper tanquam lumen jurisprudentiæ veneratus sum, & in
præsentiarum humillimè veneror.

Hujusmodi tamen oppositio non
obstabit: † quoniam etsi memora- 14
ti Authores de clausula juris francorum ità interpretata mentionem faciant; communiter tamen
eorum propositio impugnatur, ut
diximus *disc.* 1. *p.* 1. *a n.* 20. *vers.
opponit tertiò cum seq.* nam clausula juris francorum in Regno nunquam hujusmodi interpretationem admisit: † & *cap.* 1. *de eo qui* 15

sibi

sibi & haeredibus suis, ex quo voluerunt memorati Authores ab Adversario allegati, quòd etiam in Regno fœminæ omnibus omninò deficientibus agnatis ad successionem admitti deberent, ubi pactum in concessione adjectum sit, quòd *deficientibus masculis fœminæ succedant*, & super quo authores ipsi se fundare videntur; in Regno Siciliæ non procedit: ut ex Isernia, Liparulo, & Corsetto, quorum verba in primo discursu transcripsimus, confirmat iterum legendus Cutell. *orat.* 28. *n.* 29. atque modernus Magrett. *loco in primo discursu citato*.

Neque Adversarii assumptum sustinere potest fideicommissum Comitis Matthæi II. institutum in suo testamento, quod anno 1421. conditum est: ipsum enim successionem Comitatùs Caltanissettæ a clausula juris francorum rectam esse, sub admissione fœminarum in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus, jam probatum est in sæpiùs *cit. disc.* 1. *p.* 5. *a n.* 6. *cum seq.* & sanè si eo uti valeret Adversarius ad suam interpretationem confortandam, esset ponere in statu id quod est in quæstione, si dicere non liceret, quòd quæstio fieret super statu contrario: quòd enim ea clausula juris francorum fœminas admiserit, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, satis superque confirmavit sæpiùs repetita transactio stipulata sub anno 1466. inter Comitem Antonium & Comitem Joannem Thomam: iste quidem, qui se totaliter fundabat super fideicommisso facto per Comitem Matthæum II. ut dictum est, unà cum suis descendentibus masculis & fœminis fuit ad successionem admissus: & non dubitandum quòd de fœminis transigentes loquuti sint, qui succedere deberent in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, ut in *cit. p.* 5. *disc.* 1. ad oculum demonstravimus.

Sicuti demum Adversarii intentionem non concludit decisio M.R.C. in causa successionis Roccæ & Mauri-Joannis, seu Valdinæ; in ea quidem, etsi Ill. Regens de Ugo eosdem numerò Authores referens, qui superiùs impugnati sunt, ad ornatum suarum justificationum oppositam antiquam juris francorum interpretationem exponat; nihilominus principalissimum causæ punctum in alio consistebat, nempe, an clausula juris francorum in dispositione hominis, compatibilis sit cum agnatione, vel indefinita masculorum in concursu cum fœminis prælatione? Sed quia hæc erit tertia Adversarii oppositio, quam confutabimus; eamobrem ad ea, quæ ibi dicturi sumus, nos remittere oportet.

Illud autem monitum volo; quòd præmissa omnia ad exuberantiam scripta sunt: nam in nostro fideicommisso nil penitùs de antiquo jure francorum dictum est, neque de media, ut ità dicam, juris francorum interpretatione; quinimò expressè de moderno jure francorum testator loquutus est. Præscindendo enim ab eo, quòd sæpiùs dictum fuit, nempe

quòd

quòd effectus juris francorum, etiam in eo quòd fœminas ad successionem admittit, explicati sunt: adeout nunquam testator de antiquo jure francorum loqui potuerit, per quod fœminæ a feudorum successione penitùs arcebantur: neque de alio medio jure francorum, quod fœminas,ut placet Adversario, in defectu omnium omninò masculorum agnatorum ad successionem admittebat; explicatio nedum ad jus francorum refertur, sed ad ordinem genituræ, & expressam fœminarum admissionem in ordine genituræ comprehensam: quinimò principaliter ad primogenituram regularem denotandam, & secundariò seu minus principaliter ad jus francorum facta est. Menti equidem recolendum venit, quòd noster testator non dixit quòd successores servare deberent jus francorum explicatis ejus effectibus, sed quòd servare deberent ordinem genituræ: & ad explicandos effectus primogenituræ subjunxit, *videlicet quòd major natu minoribus fratribus, & masculus fœminis præferatur*: & licèt subsequenter dictum ab eo fuerit, quòd servari deberet jus francorum; id veluti in confirmationem primogenituræ regularis, quæ nullam penitùs admittit fœminis contrariam interpretationem, adjectum est; non autem ad juris francorũ explicationem. Fuit enim a testatore iteratò replicatum: *Ità tamen che tutti li preditti siano figli legitimi e naturali di nostro e loro corpo legitimè descendenti: & etiam servato ordine genituræ, videlicet, quòd major natu minoribus fratribus, & masculus fœminis præferatur: & vivant jure francorum.*

Profectò admissio fœminarum tanquam principalis effectus primogenituræ regularis expressa est, non autem juris francorum, licèt ex præcepto *quòd vivant jure francorum*, id pariter, ut dictum est, fuerit repetitum, ne ulla penitùs dubitandi ratio in fœminarum admissione in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs oriri posset.

Opponit tertiò Adversarius, atque affirmat, quòd quidquid sit de antiquo jure francorum, ac de allegata interpretatione, quòd fœminam tandem admittat in extinctionem omnium omnino masculorum agnatorum; adhuc clausula juris francorum, quæ juxta modernum sensum explicata fœminas ad successionem admittit, in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus, aliquando compatibilis sit cum agnatione: adeout ex ea fœminæ veniant ad successionem invitatæ, sed in defectu omnium omnino masculorum agnatorum etiam remotissimi gradùs. Unde prætendit Adversarius, quòd, cùm durantibus masculis de linea effectiva & contentiva testatoris agnatio sit contemplata, quia linea effectiva fideicommittentis adhuc durat; Dominus Dux Sancti Joannis tanquam agnatus veniat ad successionem admittendus, non autem Domina Cliens, in subsidium, nempe in defectu omnium omnino masculorum ad successionem admissa.

Eam-

16 Eamq; agnationis contemplationem † oriri contendit Adversarius

1. A qualitate testatoris & bonorum.

2. Ab erecta primogenitura.

3. A qualitate legitimitatis considerata in omnibus successoribus.

4. A digressu ad plures substitutionum gradus, nedum in familia testatoris effectiva, verùm etiam contentiva.

5. A sæpiùs repetita qualitate masculinitatis, & desiderio quòd bona vadant de masculo in masculum.

6. A præcepto fœminis injuncto & earum viris assumendi cognomen & arma testatoris.

7. A translineatione de linea Comitis Joannis Thomæ primi instituti ad lineam aliorum filiorum masculorum testatoris, scilicet ad masculum in ea inveniendum, omissâ filiâ primi instituti: ac a translineatione de linea Antonii Perii Ambrosii Domini Ferulæ ejus nepotis ex Antonio Perio fratre, casu quo decesserit sine filiis masculis, ad lineam Guglielmi Raymundi IV. Comitis Caltanissettæ.

8. A vocatione in propria cellula filiarum Comitis Joannis Thomæ primi instituti, post admissos alios filios masculos ipsius testatoris: & filiarum Domini Ferulæ, post filios masculos Comitis Caltanissettæ, ut dictum est.

9. Ab exclusione propriarum filiarum, seu earum subsidiaria vocatione, post filias fœminas Comitis Joannis Thomæ.

10. Demum a substitutione piæ causæ: quasi quòd præceptum illud erogandi unc. mille pro anima testatoris, substitutionem universorum importaret.

Eas tamen † omnes conjecturas ad finem præsentem in nihilo prodesse, satis probatum iret ex his, quæ in discursu successionis Comitatùs Caltanissettæ, ad declarationem fideicommissi Comitis Matthæi I. dicta sunt. Ibi enim satis superque probatum est, pro certo tantùm casu agnationem contemplatam fuisse; non autem ut per modum regulæ universam dispositionem informaret. 17

Satis etiam conjecturæ ipsæ resolutæ dici deberent, si, ut superiùs visum est, a clausula juris francorum taliter absorbentur, ut clausula ipsa semper observanda esset, & agnatio spernenda veniret.

At quia jus Dominæ Clientis in præsenti successione clarissimum est; eamobrem iteratas Adversarii difficultates refellam, atque jura Dominæ Clientis confirmatas exponam, ut juris francorum clausula, etiam quòd agnationem vel agnationis conjecturas non absorbeat, ut Adversario placet, sicut ibi triumphum retulit; ità hìc iterum antecellere videatur.

Antea tamen quòd conjecturæ ex adverso propositæ prosternantur, necessum mihi est, velutì basim dicendorum, & ad tollendam quamcunque æquivocationem, præmittere quòd in materia, de qua tractatur, duæ expendantur a

Ju-

Jureconsultis quæstiones: quarum
18 prima est, † an masculis ad successionem admissis, intelligantur ex conjecturis agnationis contemplationem inducentibus, vocati tantùm masculi agnati, & fœminæ in perpetuùm censeantur exclusæ, & odio habitæ? de qua Torre *de majorat. cap. 25. §. 9. per tot. to. 1.*

19 Altera verò quæstio est, † an datâ per testatorem masculis prælatione, hujusmodi prælatio intelligenda sit indefinitè, adeout fœmina, etiam existens in meliori linea, victa remaneat ab agnato remotiore, & existente in linea inferiori: an verò dicenda sit restricta, & eo tantùm casu verificabilis, quo masculus inveniatur in eadem linea & gradu, adeout fœmina proximior excludat agnatum remotiorem? de quâ idem Torre *de majorat. loc. cit. §. 7. per tot.*

Secundò juvat præmittere: quòd casus, super quo nostra cadit controversia, secundus sit, nempe, an prælatio masculis in concursu cum fœminis indefinitè concessa sit, adeout agnatus, quamvis remotissimus, præferri debeat fœminæ proximiori, etiam quòd sit filia ultimi possessoris, ut in contrariùm prætenditur: an verò limitatè & restrictè, nempe, eo casu quo masculi non existant in eadem linea & gradu, adeout fœmina proximior, & præsertim filia ultimi possessoris, præferri debeat cuicunque agnato remotiori, ut Domina Cliens intendit: taliter quòd in casu nostro non dubitetur de fœminarum admissione, sed tantùm de mera masculorum prælatione tractandum sit.

Tertiò venit præmittendum: quòd † cùm non agatur de agnatione perpetuò conservanda, nec de fœminis excludendis, (quoniam testator expressè fœminas dilexit) sed de simplici tantùm masculorum, in concursu cùm fœminis, prælatione; in dubio, prælatio masculis concessa, semper veniat intelligenda, ipsis in eadem linea & gradu cum fœminis, non autem eis in remotiori gradu existentibus: ut lato calamo in primo discursu dictum est, quod hìc potiori jure attendendum est: nam successio fœminarum nedum in principio fideicommissi per clausulam juris francorum explicata est, nempe deficientibus masculis in eadem linea & gradu; verùm etiam in qualibet substitutione idem repetitum videtur: adeout quasi tractetur de correctione testatoris inducenda incontinenti, quam jura non præsumunt. 20

Quartò præmittere placet: quòd † ubi in dispositione, clausulæ concurrant inter se repugnantes, adeò quòd, ut in casu nostro, per unam clausulam fœminæ dicantur admissæ in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, & per aliam exclusæ videantur, & tantùm ad successionem invitatæ in defectu omnium omninò masculorum; magistralis illa debeat adhiberi *Cannetii* distinctio: quòd, scilicet, si illæsâ literâ testamenti, utraque potest in diversis casibus verificari, utraque debeat adimpleri: si autem altera alteri omnino adversetur; ea dispositio debeat attendi, quæ claram & determinatam 21

continet diſponentis voluntatem: cùm clauſulæ omnes a teſtatoribus in fideicommiſſis adjectæ expreſsè in fideicommiſſo diſpoſita non emendent, ſed dubia interpretentur: ut in terminis clauſulæ
22 juris francorum, quod † clauſula ipſa fideicommiſſum ad mentem primogenituræ regularis accommodet, clariſſimè firmat Cannet. *in Cap. Volentes n.* 10. *& à n.* 72. *ad fin.* relatus ab Ill. de Drago *in causa Hyeratis* §. 6. *a n.* 533. *& ſeq. uſque ad fin.* ubi punctus ex profeſſo diſcutitur, omneſque clauſulæ repugnantes explicantur, ac Doctores omnes ad materiam referuntur.

Quintò præmittere juvat: quòd,
23 † ubi fideicommiſſum perplexitatem aliquam involvere videatur; ad eam & quamcunque aliam contradictionem evitandam, illud veniat ſemper regulare judicandum: quia juris communis diſpoſitioni regularia fideicommiſſa magis adhærent, atq; etiam quia Regnum, pro lege univerſali, regularem primogenituram admiſit. Roxas *de incompatibilit. par.* 1. *cap.* 10. *n.* 35. *&* 36. ibi. *Et quando neutra conditio perplexa, aut vocatio contradictoria valere non poteſt; tunc inſtitutio ſeu diſpoſitio ad diſpoſitionem majoratùs regularis reduci debet, quia remanet ſub diſpoſitione juris & conſuetudinis hujus Regni, cui ſe uniformare voluiſſe, in dubio dicendum.*

Et demum ſextò præmittere
24 oportet: quòd † ad hoc ut excludatur filia ultimi poſſeſſoris, opus eſt, quòd excluſio fœminarum ſit ad modum regulæ per teſtatorem ordinata: adeout, ſi diſponens in caſu particulari fœminam ſucceſſione privaſſet; non videretur in aliis caſibus filiam ultimi poſſeſſoris excludere voluiſſe. Luca *de fideic. diſc.* 40. *n.* 13.

His præmiſſis: non obſtant conjecturæ, ad indefinitam prælationem & agnationem inducendam, in contrarium ponderatæ. Ipſis enim illæſis manentibus: utique prælatio, maſculis in eadem linea & gradu exiſtentibus, in caſu præſenti, conceſſa videtur.

Jam verò non obſtat prima conjectura qualitatis teſtatoris, & alia qualitatis bonorum. Ipſæ enim † jam in præcedentibus orationibus reſolutæ fuerunt, & pro inducenda maſculorum indefinita prælatione allegari non valent; cùm teſtator fœminas expreſsè ad ſucceſſionem admiſerit, & fœminarum admiſſioni, in defectu maſculorum ejuſdem lineæ & gradùs, ipſæ inquam non repugnent. 25

Non refert tertia conjectura qualitatis legitimitatis in ſucceſſoribus deſideratæ. Ipſa quidem † communis eſt, & etiam regulari primogenituræ adaptabilis. 26

Non juvat quarta conjectura digreſsùs ad plures ſubſtitutionum gradus, tam in linea effectiva teſtatoris, quàm contentiva. Ante enim, † quàm ad lineam contentivam tranſitus fiat; fœminæ lineæ effectivæ, in qua verſamur, literaliter admiſſæ ſunt: prius autem ad ſucceſſionem admittuntur filię fœminæ Comitis Joannis Thomæ & ipſiuſmet teſtatoris, & deinde vo- 27

catus

catus est Antonius Perius Ambrosius Dominus Ferulæ, testatoris nepos ex fratre.

Non prodest quinta conjectura erectæ primogenituræ. Etenim
28 † ipsa non dicitur pro masculis tantùm ordinata, sed etiam pro fœminis: & præcipuè in Regno, ubi fœminæ ad feudorum successionem admissæ sunt, & in casu nostro, in quo disponens eas expressè ad successionem invitavit.

Non juvat sexta conjectura assumptionis cognominis & armorum testatoris injunctæ fœminis & earum descendentibus. Ipsa
29 quidem † fœminarum omnium successionem confirmat: quoniam non ad explicandum agnationis votum demandata est, quasi quòd extinctis veris agnatis artificialiter voluerit testator agnationem conservatam; sed ut fœminæ omnes, quæ succederent, illud adimplere tenerentur, etiam quòd ad agnatorum vocationem transitus adhuc factus non esset. Dicitur enim in fideicommisso: *Item voghiu e cumandu, quòd, quandocunque & qualitercunque succedissiru li fighi fimmini nostri, ò di lo dittu D. Giovanni, ò altri di l'infrascritti; li loro mariti, e perinde li primogeniti, e quilli che succedirannu, digginu prendiri lu cognomu, e fari l'armi di Muncada*. Deindeque ad successionem admittuntur agnati per hæc verba. *Item voghiu e cumandu, che, omnibus in prædictis capitulis deficientibus, seu non existentibus; in li sopraditti Contato e Terra d'Adernò, Paternò &c. succeja lo spettabili e magnifico Misser Antoni Periu Ambrosiu di Muncada, Signuri di la Ferla, miu neputi, fighiu di miu fratri, e soi fighi e descendenti masculi legitimi e naturali de eorum corporibus legitimè descendenti, mentri chind'havirà: servato tamen ordine genituræ & jure francorum*.

Non attendenda est septima conjectura sæpiùs repetitæ qualitatis masculinitatis. Quoniam
† non obstante, quòd testator ordinaverit in ejus bonis masculos 30
succedere debere, & quòd bona ipsa vadant de masculo in masculum, expressè ab ipso subjunctum est, id esse intelligendum, donec masculi extiterint, per ea verba, *mentre ce ne saranno*: neve ex eo dubitaretur, quòd hujusmodi prælatio masculis concessa esset indefinitè, immediatè & per continuatam orationem, & ut immediata præcedens vocatio qualificaretur atque explicaretur; adjectum est, *servato ordine primogenituræ & jure francorum, videlicet, quòd major natu minoribus fratribus, & masculus fœminis præferatur*. Proindeq; iterata masculinitatis qualitas non ad agnationem concludendam, sed ad concedendam prælationem masculis in eadem linea & gradu existentibus, volita est: & ut id manifestissimum esset; in quolibet testamenti capitulo, præceptum quòd servari debeat ordo genituræ & jus francorum, ut supra diximus, repetitum fuit.

Non obstat octava conjectura translineationis a linea primi instituti si sine filiis masculis decesserit, ad lineam aliorum filiorum ma-

masculorum testatoris, omissâ ejusdem primi instituti filiâ fœminâ: ac translineationis de linea Antonii Perii Ambrosii Domini Ferulæ ejus nepotis ex Antonio Perio ejus fratre, casu quo decesserit sine filiis masculis, ad lineam Guglielmi Raymundi etiam IV. Comitis Caltanissettæ, pariter omissâ filiâ fœmina Domini Ferulæ.

31 Quandoquidem † translineationes hujusmodi ad eum tantùm finem factæ sunt, ut filiæ fœminæ Comitis Joannis Thomæ, & illæ Antonii Perii Ambrosii, post parentum mortem sine filiis masculis, non succederent, sed alii filii masculi testatoris, vel Comitis Caltanissettæ; non autem ad omnes omnino filias ultimi possessoris excludendas: proindeque in binis tantùm casibus, nempe mortis sine filiis masculis Comitis Joannis Thomæ primi instituti, & in ingressu successionis in lineam testatoris effectivam, & mortis sine filiis masculis Domini Ferulæ, in ingressu successionis in lineam testatoris contentivam, masculo existenti in linea inferiori, in concursu cum fœmina lineæ melioris, prælatio concessa est; non autem in omnibus aliis casibus, pro quibus repetitio concedi non potest: quoniam votum agnationis conservandæ per modum regulæ totam informantis dispositionem non intercessit: atque etiam quia testator in aliis casibus regularem primogenituram amavit, adeout si repetitio prætenderetur, testatoris voluntas expressè veniret impugnata: ut latiùs infra dicetur.

Non juvat nona conjectura vocationis in propria cellula filiarum fœminarum Comitis Joannis Thomæ, post extinctas lineas aliorum filiorum masculorum testatoris, eorumque descendentium masculorum & fœminarum, & vocationis etiam in propria cellula filiarum fœminarum Antonii Perii Ambrosii, post extinctas lineas Comitis Caltanissettæ, ejusque descendentium masculorum & fœminarum: quasi quòd antecedenter fœminæ omnes non essent ad successionem admissæ. Quoniam
† hujusmodi vocationes non omnium 32
fœminarum descendentium ex institutis & substitutis factæ sunt: adeout dici posset, quòd antecedenter non essent ad successionem admissæ; sed tantùm filiarum Comitis Joannis Thomæ & Domini Ferulæ, & earum descendentium, quæ antea successione honoratæ non erant. Noster enim disponens C. Joannem Thomam hæredem instituit, ejusque filios masculos tantùm substituit, non autem ipsius filias fœminas: in lineis verò filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ eorumq; descendentium regularem primogenituram ordinavit, & quòd vivere deberent jure francorum: proindeque filiæ fœminæ Comitis Joannis Thomæ & Domini Ferulæ a successione propriorum parentum exclusæ remanserunt; filiæ autem fœminæ filiorum & descendentium masculorum Comitis Joannis Thomæ, per regularem primogenituram & clausu-

lam

lam juris francorum, fuerunt ad successionem invitatæ, & idem pro filiabus fœminis Domini Ferulæ ordinatum est. Quapropter, cùm testator filias fœminas Comitis Joannis Thomæ & Domini Ferulæ subsidiariè, post admissas lineas descendentium ex filiis masculis Comitis Joannis Thomæ, & testatoris, ac Comitis Caltanissettæ, & ejus omnium descendentium, ad successionem vocaverit; eas tantùm, quæ prius admissæ non erant, ad successionem admisit: quod agnationis desiderium in illo tantùm primo gradu, & ad radicandam in masculis successionem, concludit, non autem in universis descendentibus.

Quòdque filiæ fœminæ tantùm Comitis Joannis Thomæ exclusæ fuerint in favorem aliorum filiorum masculorum testatoris; ac quòd regularis primogenitura & successio per clausulam juris francorum, post radicatam successionem in filiis masculis Comitis Joannis Thomæ, fuerit instituta; demonstrat universus fideicommissi tenor, etiam in ea parte, in qua de successione Comitatùs Adernionis tractatum est, & præsertim sæpiùs insertum primum fideicommissi capitulum. *Item voghiu e comandu; che in la Turri e Terra di Paternò &c. isso D. Gio: Tumasi mio fighiu & heredi mortu; succedanu li soi fighi masculi, e loro fighi e successuri masculi: e li detti beni vajano di masculo in masculo, mentri ccindi saranno: in tantùm quòd sint legitimi & naturales de eorum corporibus legitimè descendentes: & etiam servato dicto ordine genituræ, & vivant jure francorum.*

Profectò post mortem Comitis Joannis Thomæ, ejus filii masculi vocati sunt, non autem fœminæ, quæ inferiùs in propria cellula fuerunt ad successionem admissæ: & præceptum, quòd esse debeant legitimi & naturales, servent primogenituræ ordinem, & vivant jure francorum, non Comiti Joanni Thomæ, sed ejus filiis & descendentibus masculis injunctum est.

Atque id etiam ostendit subsequens capitulum substitutionis filiorum secundogenitorum testatoris. Ibi equidem, cùm vellet testator repetere personas præcedenter admissas, etsi dicat filios masculos tantùm Comitis Joannis Thomæ admisisse; declarat omnes penitùs eorum descendentes cùm masculos tum fœminas ad successionem invitasse. Postquàm enim dixerat testator se substituisse filios masculos, usus est verbo, *descendenti*, quod masculos & fœminas includit. Verba substitutionis hæc sunt. *E si issu D. Gio: Tumasi murissi senza fighi masculi legitimi e naturali, e non ci fussiru loro fighi masculi legitimi e naturali*, e descendenti preditti, *e ci fussiru autri mei fighi masculi &c.*

Idemque fuit observatum in substitutionibus factis favore Domini Ferulæ, & Comitis Caltanissettæ: equidem in eis pariter necessitas servandi primogenituræ ordinem, & vivendi jure francorum non Domino Ferulæ, sed ejus filiis & descendentibus masculis im-

impoſita fuit. Capitulum fideicommiſſi hoc eſt. *Item voghiu e comandu, che omnibus in prædictis capitulis declaratis deficientibus, ſeu non exiſtentibus; in li ſopraditti Contato e Terra d'Adernò, Paternò &c. ſucceja lo ſpettabili e magnifico miſſer Antoni Peri Ambroſiu di Muncada Signuri di la Ferla, miu neputi, figbiu di miu fratri, e ſoi figbi e deſcendenti maſculi legitimi e naturali de eorum corporibus legitimè deſcendenti, mentri chind'havirà: ſervato tamen ordine geniture, & jure francorum. Quibus maſculis deficientibus, ſeu non exiſtentibus; ſucceja in li beni vinculati cui di ragiuni davirà: ed in li beni non vinculati, videlicet Paternò &c. ſucceja lo illuſtri Signuri Guglielmu Raimundu di Moncada Conti di Caltaniſſetta, e ſoi figbi e deſcendenti maſculi de eorum corporibus legitimè deſcendenti. Quibus deficientibus, ſeu non exiſtentibus; ſuccedano li figbi fimmini legitimi e naturali di lu predittu magnifico Miſſer Antoni Peri miu neputi, quilla a cui de jure pervenirà e ſpettirà la ſucceſſioni di la Ferla, & a loro figbi e ſucceſſuri, mentri chind' havirà. Quibus deficientibus, ſeu non exiſtentibus; ſuccedano li figbi fimmini legitimi e naturali di lu dittu Signur Conti di Caltaniſſetta &c. e ſempri s'intenda, che tutti li preditti vivant jure francorum.*

Non refert decima conjectura excluſionis propriarum filiarum diſponentis, & ſubſidiariæ earum vocationis, extinctis filiis fœminis Comitis Joannis Thomæ primi inſtituti, & earum deſcendentibus: cùm eò ipsò quòd † antea 33
fœminæ inſtitutorum admiſſæ fuerant; ad perpetuam ac indefinitam maſculorum probandam prælationem, conjectura ipſa allegari non valeat.

Et demum nil probat undecima & ultima conjectura reſultans ex vocatione piæ cauſæ: quoniam in caſu ſucceſſionis alicujus maſculi vel fœminæ de linea contentiva teſtatoris, unciæ mille tantùm pro anima teſtatoris fuerunt applicatæ; non autem pia cauſa in tota hæreditate ſubſtituta eſt: atque etiamsì piæ cauſæ ſubſtitutio eſſet univerſorum; ad rem minimè faceret: cùm † noſtra quæſtio non 34 ſit ſuper fideicommiſsi temporalitate, ad quam vitandam ſolet id conſiderari; ſed ſuper eo, an ſit fœminarum admiſſivum, maſculis in eadem linea & gradu deficientibus? quod fideicommiſſi perpetuitati non repugnat.

Sed hæc ad ornatum ſcripta ſunt: nam nec ſi mille conjecturæ hujus generis adducerentur, obſtarent, aut indefinita maſculorum prælatio concludi poſſet: ut enim præmiſsum eſt, ex conjecturæ in præſenti materia poſsunt attendi, quæ diſpoſitionem taliter reddunt agnatitiam, ut cum regulari primogenitura, & clauſula juris francorum compati non poſſint. Ubi verò † conjecturæ tales 35 ſint, ut eis, ſeu vetiùs teſtatotis voluntate, ex illis reſultante, obſervatâ, adhuc regularis primogenitura & clauſula juris francorum ſervari poſsit; in nihilo dicantur obſtare: adeout ſi quælibet ex rejectis conjecturis, ut conſide-

ſideranti patet, cum regulari primogenitura & clauſula juris francorum in ſuis caſibus compatiatur; ipſæ nullo modo in præſenti caſu attendi valeant.

Cœterùm, cùm tota negotii difficultas ab Adverſario in eo repoſita ſit, quòd vehementiſſima judicari debeat & magnoperè conſideranda conjectura admiſſionis, per teſtatorem ordinatæ, ſuorum filiorum ſecundogenitorum & eorum deſcendentium maſculorum, omiſſis filiis fœminis C. Joannis Thomę primi inſtituti, ac admiſſionis Comitis Caltaniſſettæ & ejus deſcendentium maſculorum, omiſſis filiis fœminis Domini Ferulæ antecedenter ad ſucceſſionem admiſſi: quaſi quòd in hujuſmodi fœminarum excluſione, teſtator, per modum regulæ totam informantis diſpoſitionem ex voto agnationis conſervandæ, maſculos remotiores fœminis proximioribus ſemper prætulerit, vel ipſa ſaltem cenſeri debeat in aliis caſibus repetita.

Eamobrem, ut in reſponſione ad eandem conjecturam ſuperiùs ſum proteſtatus, nonnulla ſuper ea repetere licebit. Et ſanè iterum

36 rum repetam, quòd † allegata ſecundogenitorum teſtatoris ſubſtitutio cum poſtergatione filiarum Comitis Joannis Thomæ, & ea Comitis Caltaniſſettæ cum poſtergatione filiarum Domini Ferulæ, eo caſu tantùm ordinata videatur, quo Comes Joannes Thomas primus de ſua linea effectiva, & Antonius Perius Ambroſius primus de ſua linea contentiva ſine filiis & deſcendentibus maſculis deceſſiſſent: & proinde in ingreſſu ſucceſſionis, & ad eam radicandam, ſub regulari primogenitura, in filiis maſculis vel teſtatoris, vel ipſius nepotis, non autem in progreſſu, & in univerſis aliis caſibus, in quibus id a teſtatore mandatum non fuit: adeout ex ea, prætenſa, in univerſa diſpoſitione, agnationis contemplatio non reſultet: ut hìc juvabit iterum allegare quinque conformes, in caſu fortiori, (revocatâ priori ſententiâ) Sacri Romani Auditorii deciſiones, ubi materia latè examinatur, ut fuerunt in primo diſcurſu citatæ. Quarum prima legitur in Rot. Rom. *rec. par. 7. deciſ. 249.* coram Pirovano *ubi a n. 6. ad 17.* habentur hæc verba.

Non obſtat, ſi dicatur, quando conſtat de contraria voluntate excludendi fœminas ejus, qui primogenituram inſtituit; tunc maſculi alterius lineæ remotiores excludunt fœminas. Rim. jun. conſ. 544. n. 97. *Pariſ.* conſ. 72. n. 95. lib. 4. *Burſat.* conſil. 229. n. 112. *Menocb.* conſ. 1006. n. 8. *Gratian.* diſcept. 621. n. 4. & ſeq. *& de voluntate teſtatoris excludendi fœminas, dicebatur ſufficienter conſtare ex verbis ejuſdem teſtamenti, ibi*: E mancando lei (*loquendo de Iſabella*) ſenza figliuoli, intendendo ſempre de' maſchi; voglio che ſucceda la ſecondogenita: *cujus dictionis ſenſus & virtus tendit ad excluſionem fœminarum in quocunque tempore & caſuum diverſitate, & in omnibus æqualem reddit teſtatoris diſpoſitionem.* l. 1. in verbo ſemper ubi gloſ. & Bart. ff. ſol. matr. *Pancir.* conſ. 91. n. 2.

n.2. *Peregrin.* de fideic. art.27.n.2. *Dec.* conf. 1. n.258. *Dicens testatorem per illa verba*, intendendo sempre de' maschi, *consideraße perpetuum quoddam tempus, per quod voluit fideicommissum durare: & idem declarando sequitur Gratian.* discep. 621. n. 18. & *Cassanat.* conf. 47. n. 122. *Molin.* de primogen. lib. 3. cap.5.n.62. *Fusar.* quæst.403.n.37.

Quoniam advertunt Domini, casum a testatore præordinatum non evenisse, dum Isabella decedens reliquit Cæsarem masculum, & ab eo Cæsare progeniti fuerunt Paulus primogenitus, & Lucretius secundogenitus, qui Paulus pater est Comitissæ Juliæ, Lucretius verò alterius Lucretii genitor: ut propterea verba illa, intendendo sempre de' maschi, *tanquam adjectivè prolata ad casum deficientiæ Isabellæ sine masculis, directè ad casum a testatore non prævisum, deservire non possunt, scilicet quando Isabella masculos suscepisset, & deinde masculus progenitus fœminas tantùm reliquisset; extensivè autem omnes regulæ juris contradicunt, dum non fuit habita ratio conservandæ agnationis, nec aliæ conjecturæ urgent: nam de casu ad casum, de persona ad personam, de tempore ad tempus, non fit extensio contra gravatum. Oldr.* conf. 21. *Surd.* conf. 55. n. 24. & 96. n. 8. lib. 1. *Mantic.* de conject. lib. 3. tit. 19. n. 8. *Peregrin.* de fideicom. art. 1. n.36. *Fusar.* latiss. quæst.460. n.1. & seq. *Et eo minus in transitu de linea ad lineam, quando lineam vocati est ingressum fideicommissum, & de linea extant descendentes. Molin.* de primogen. lib. 3. cap. 6. n. 29. & seq. *Peregrin.* de fideic.art.27.n.14. *Fusar.* quæst. 387. n. 55. *cum aliis supra adductis.*

Nec dicatur, quòd eadem verba, intendendo sempre, *prolata fuerint a testatore per modum regulæ & declarationis ad universam dispositionem, excludendo fœminas in quocunque casu & gradu aut linea, masculis existentibus & concurrentibus.*

Quia tam allegati in prima decisione pro masculis, quàm adducti pro Comitissa Julia conveniunt in supradicta conclusione quando per modum regulæ testator se declarat ad exclusionem fœminarum, sed in applicatione discordant, quando scilicet talia verba regulam constituant contra fœminas: & tunc regulam constituere voluerunt Cassan. conf. 47. 50.& 53. *Castill.* lib. 2. contr. capit. 71. & de primogen. lib.3. cap.5. n.50. & seq. *quando talia verba leguntur in initio dispositionis, vel in fine independenter apponuntur; non autem quando adjectivè & accessoriè, & in medio orationis ad casum præordinatum sub conditione*, si sine filiis: *quoniam tunc cùm habeant suum effectum in distinguendo prælationem masculorum ab ipsis fœminis, & qualificando conditionem cui adjicitur, absque eò quòd trahatur ad totam dispositionem; ulterius non sunt extendenda. Bart.* in l.fin.vers.si enim illa clausula ff. de reb. dub. *Bal.* conf. 412. n. 4. lib. 3. *Rot.* decis. 257. n. 2. p.5. divers. *Et secundùm hanc distinctionem ponderatis auctoribus in decisione, quæ revidetur allatis, & in hac eadem positione addictis, benè evitatur argumentum a perpetuitate desumptum.*

Nam

Nam omnes, nempe Pancir. conf. 91. n. 20. *Peregrin.* art. 27. n. 2. *&* *Menoch.* conf. 836. in fine. *Decian.* conf. 1. n. 258. vol. 1. *Caſſanat.* conf. 47. n. 122. *Gratian.* diſcept. 621. n. 18. & 19. *Molin.* de primogen. lib. 3. cap. 5. n. 62. *Parlad.* quæſt. 1. *omnes, inquam, in caſibus ab eis propoſitis determinant, verba illa qualificare totam diſpoſitionem, quando in principio vel in fine teſtamenti independenter & de per ſe principaliter ponuntur: de clauſula autem in medio orationis poſita & adjecta, conditioni & declarationi deſerviens, non fuit de illorum intentione quaſtionem definire: quæ propterea, cùm poſſit habere ſuum effectum, ut dictum fuit, non ſunt ulteriùs extendenda.*

Et in fine. *Cæterùm, ubi primogenitura cœpit habere ſuum effectum intrando lineam Cæſaris maſculi, filii Iſabellæ, ut in præſenti non voluit, neque cogitavit teſtator ordinem primogenituræ in ſuccedendo a lege determinatum alterare, ſcilicet donec de linea eadem extant deſcendentes, ad aliam non fiat tranſitus, ut ſupra firmatum fuit, & ità &c.*

Secunda, quæ legitur in Rot. Rom. *rec. p.* 8. *deciſ.* 65. coram eodem Pirovano *n.* 8. *& ſeq.* ità confirmat.

Nec pariter relevant, quæ replicantur ad ſuſtinendam expreſſam teſtatoris voluntatem quoad fœminarum excluſionem, concurrente maſculo, quamvis alterius & diverſæ lineæ, ex verbis ejuſdem teſtamenti, ibi: E mancando la Signora Iſabella ſenza figliuoli, intendendo ſempre de' maſchi: *allegando rationem ex proprietate verbi,* ſemper, *apti comprehendere omne ſucceſſionum tempus, omneſque gradus, & auctoritates, idem tenentes & comprobantes. Quia deciſio, quæ revidetur tam ex mente eorum, qui pro maſculis adducti fuerunt, quàm eorum, qui pro fœminis allegantur, diſtinguendo ſatisfacit, ut videatur an illa verba ſint adjecta in teſtamento per modum regulæ, vel ad caſum particularem? & ad particularem proviſionem fuiſſe adjectam reſpondet deciſio, & in hac parte nullus ex allegatis pro maſculis diſſentit, quando adjiciuntur particulari præordinationi. Non obſtat, quòd aliqua ratio diverſitatis allegari non poſſit, quare illa dictio,* ſemper, *operari non poſſit ſuos effectus in quocunque tempore & quocunque gradu ſucceſſivo.*

Quoniam plura ponderantur pro diverſitate rationis in deciſione, quæ revidetur, & hodie eadem accuratiùs diſcuſſa magis placuerunt: non enim prædicta verba leguntur in proœmio teſtamenti, neque in fine, ſed immediatè ad caſum ſi Iſabella deceſſiſſet ſine filiis: quo caſu ſufficit, ut qualificentur, aut apta ſint ſemper qualificare caſum cui adjiciuntur, abſque eò quòd in abſtractu operentur fœminarum excluſionem contra regulas primogenituræ non excludentes fœminas, quòd in ſpecie advertunt Ramon. conſ. 100. n. 49. *Seſſa* deciſ. Aragon. 412. num. 43. *Caſſanat.* conſ. 47. n. 50. & 53. *Caſtill.* lib. 2. contr. capit. 71. & 72. *Caſus autem præordinatus à teſtatore reſpiciebat introductionem primogenituræ in maſculo, qui poterat diverſis temporibus contingere, tam in*

 filiis

filiis Isabellæ primogenitæ, quàm in secundò & tertiogenitæ, ut propterea semper de masculo esset intelligendum, sequendo proprietatem verborum & mentem testatoris, & retinendo prævidentiam casus obitus Isabellæ sine masculis, qui non contingit, ex quo decessit relicto Cæsare filio; & hanc distinctionem de introductione primogenituræ per masculos, & de progressu secundùm regulas benè comprobat Valenzuel. allegat. conf. 97. n. 77. & 78. *dicens, ideò quia illa qualitas masculinitatis apposita fuit in personam, in qua radicanda erat primogenitura; non debet operari exclusionem fœminarum in suis casibus de jure admissis.*

Tertia, quæ legitur in eadem Rot. Rom. *rec. p.* 8. *decis.* 165. coram Rojas, *a n.* 22. *ad* 26. ità concludit. *Ex prædictis satis extat declaratum, quòd verba illa,* intendendo sempre de' maschi, *referuntur tantùm ad masculos primi gradùs contemplatos pro ingressu fideicommissi, ex quo in sequentibus gradibus præferuntur fœminæ descendentes ex masculis: quæ etiam absque tali declaratione & prælatione succederent, quia non dependent a persona exclusa, sed potiùs a masculis expressè vocatis. Ut declarat Molin.* de primogen. lib. 3. capit. 5. n. 32. *Gregor. Lopez* in l. 3. tit. 13. p. 6. in glos. verbo mujeres col. 7. & 8. *Et præsertim cùm immediatè antea testator loquutus fuerit de filiis, nepotibus & pronepotibus in infinitùm ex Isabella descendentibus ex verbis illis,* e mancando lei senza figliuoli, intendendo sempre de' maschi; *& sic verbum prædictum,* de' maschi, *refertur ad* figliuoli, *quorum appellatione non veniunt omnes descendentes ab Isabella, quando testator de ulteriori gradu nominatim mentionem non fecit. Surd.* decis. 322. n. 23. *cùm hic separatim mentionem fecerit de nepotibus. Soccin. jun.* conf. 128. n. 71. vol. 1. *Simon de Prat.* de interpret. ultim. volunt. lib. 3. interpret. 3. dub. 4. solut. 1. n. 43. *Cravett.* in conf. 677. n. 3. *& præsertim ad extensionem fideicommissi Rota* decis. 693. n. 4. p. 2. recent.

Quarta, quæ legitur in Rot. coram Cerro *decis.* 40. *per tot.* non transcribimus, cùm eædem numerò adducantur rationes, quæ fuerunt in antecedentibus ponderatæ.

Et quinta demum, quæ legitur in eadem Rota coram Cerro *decis.* 96. *n.* 19. 20. *&* 21. ità negotium absolvit. *Vel saltem operatur, ut qualitas masculinitatis necessaria sit in filio vel nepote Isabellæ, itaut primogenitura non possit incipere in ejus linea, nisi a masculo; sed nõ facit, quòd defecta conditione & cœpta primogenitura in masculo, debeat continuari in masculos alterius lineæ, etiam si fœminæ superſint in linea, quam primogenitura fuit ingressa: hoc enim non subintelligitur, nisi fuerit expressum, dum fœminæ non reperiuntur perpetuò exclusæ, nec habita fuit ratio agnationis, ut advertunt Ramon.* dicto conf. ult. n. 392. & 394. *Valenzuel.* conf 97. n. 79. *Bell. Molin. & alii supra citati, & fuit consideratum in decis. bon. mem. Pirovani sub die* 27. *Novembris* 1637. §. quoniam, ultra quòd, *& in alia Domini mei Rojas* 27. *Junii* 1639. *versicul.* ex prædictis satis extat.

Quas

Quas omnes decisiones amplexa est Rot. Rom. post Torre *de majorat. decis.* 49. *n.* 33. *&* 34. ibi. *Unde, quamvis ex his sufficienter confirmatam agnoscent Domini intentionem Dominæ Marchionissæ pro non repetitione masculinitatis; nihilominus addiderunt censeri expressam masculinitatem in primo primogenito, & non in reliquis, ad hoc ut primogenitura a masculo inciperet, non autem quòd esset alteratus ac immutatus ordo succedendi in eadem a lege stabilitus, ut donec extent descendentes ejusdem lineæ, quamvis fœminæ, non fiat transitus ad alias lineas etsì masculinas, postquam habuit effectum per ingressum primogenituræ in lineam masculinam primò vocati: ut dixit Rot.* decis. 249. n. 22. p. 7. & decis. 65. ante n. 7. vers. neque par ratio, & n. 14. & 15. *Ubi quòd masculinitas apposita in personam, in qua radicanda erat primogenitura, non operatur exclusionem fœminarum in casibus à jure permissis* p. 8. rec. *& coram Rojas* dec. 72. n. 4. 5. 6. 17. & 20. & decis. 90. n. 4. *in Bon. fideicommissi* 27. *Aprilis* 1643. §. quia præter quòd, vers. vel saltem operatur, *coram Cerro.*

Verùm qualitas masculinitatis desiderata in eventum mortis sine filiis masculis primi gradùs Comitis Joannis Thomæ & Domini Ferulæ, censeri non potest repetita in omnibus Comitis Joannis Thomæ descendentibus. Quoniam præscindendo ab eo, quòd in aliis casibus diversa fuerit a testatore data providentia, ut infra concludendum erit, & ab eo, quòd in aliis casibus diversa militet ratio, & diversitas intercedat personarum; cùm † nullus prorsùs habitus fuerit respectus ad agnationem nisi in primo gradu ad radicandam in masculo successionem; repetitio penitùs cessat: ut benè firmatum fuit in superiùs quinque concordibus Rotæ Romanæ decisionibus, & præcipuè in ea, quæ habetur in Rot. Rom. *rec. p.* 8. *dec.* 65. *a n.* 2. *vers. non obstat ad n.* 7. ibi. 37

Non obstat, quòd de manifesta voluntate testatoris excludendi fœminas nedum in ipsius primogenituræ introductione & origine, sed & in progressu quoad omnes sui partes sufficienter probetur ex eo, quòd qualitas masculinitatis in conditione obitus Isabellæ, si sine filiis masculis decesserit, intelligatur nedum de filiis primi gradus, sed & nepotibus & pronepotibus, & cæteris descendentibus. Peregrin. artic. 25. n. 32. *Fusar.* quæst. 403. n. 23. *Surd.* cons. 564. n. 7. *Menoch.* cons. 1203. n. 34. & decis. 237. n. 5. p. 5. divers. *Quoniam prædicti omnes absolutè admittunt hanc repetitionem qualitatis masculinitatis, sed cum distinctione, quando scilicet agitur de personis in eadem oratione seu dispositione positis, aut de personis in diversa oratione vocatis; primo casu faciliùs admittitur, sed non semper, nisi concurrat eadem vel major ratio: secundo verò casu difficiliùs admittitur repetitio in sequentibus gradibus, nisi ex aliis convincatur repetitio ejusdem qualitatis, aut ex eadem testatoris voluntate, puta quia fuerit contemplata agnatio, vel aliæ ad exclusionem fœminarum concur-*

rant conjecturæ: unde cùm non agatur de personis in eodem gradu & vocatione aut conditione positis, dum Isabella decessit Cæsare masculo relicto, sed de successivo gradu filiorum Cæsaris, in quo concurrebant Joannes Paulus pater Comitissæ Juliæ primogenitus, & Lucretius alterius Lucretii genitor secundogenitus; meritò cessare debet effectus repetitionis, remanente naturali & civili intellectu, quòd fœmina ejusdem gradùs & lineæ ex proprietate verborum non remaneant exclusæ in primogenituris. *Molin.* de primogen. lib. 3. cap. 4. *Menoch.* conf. 926. n. 24. & præsumpt. 84. n. 7. lib. 4. *Fusar.* quæst. 385. n. 12. *Peregrin.* eodem art. 25. n. 33. *Valenzuel.* conf. 97. n. 77. vol. 1. *Et ulteriùs non fiat transitus ad lineam Lucretii, donec in linea Joannis Pauli capaces reperiuntur.* *Covarruv.* pract. qq. cap. 38. n. 6. *Molin.* lib. 3. cap. 6. n. 29. *Peregrin.* art. 27. n. 14.

Quòd si de paritate rationis contendatur, cùm non versemur in primo casu, quoad personas in eadem conditione aut dispositione positas, sed de aliis in diversa oratione positis; de paritate rationis non est agendum, sed de conjecturis voluntatem testatoris exprimentibus, ut supra fuit dictum: & nibilominus neque major, neque par ratio potest considerari ad inducendam repetitionem masculinitatis in successivis gradibus; quia alia est ratio, qua testator motus fuit in vocatione filii aut nepotis masculi filiarum in ipsius primogenituræ introductione & origine, & alia pariter diversa, quæ consideratur in progressu primogenituræ: nam prima tendit ad ponendam personam, in qua est radicanda primogenitura, in secunda non alterantur regulæ primogenituræ; & propterea quod est appositum qualificativè, non extenditur ad aliam personam, aut gradum ad fœminarum exclusionem: & in his terminis supradictam distinctionem benè comprobant Valenzuel. sup. cit. conf. 97. n. 77. & 78. vol. 1. *Bell.* conf. 1. num. 191. *Burgos de Paz.* conf. 29. n. 57.

Sicuti etiam prætensa repetitio non sustinetur ex majoritate rationis: nempe, quòd si id cum filiis fœminis primi instituti magis dilecti fuit observatum; multò fortiùs cum filiis fœminis illius descendentium minùs dilectorum debeat observari.

Quandoquidem postergatio filiarum fœminarum primi instituti magis dilecti in casu nostro per accidens se habuit. Testator enim ad radicandam in ingressu successionem in masculo, per necesse postponere debebat personas magis dilectas, cujusmodi sunt hi, qui primò ad successionem admittuntur. Et proinde non ad denotandam majorem vel minorem dilectionem, sed ad illum alium finem consequendum, successionis, scilicet, aliorum suorum filiorum masculorum, vel Comitis Caltanissettæ, postpositio fuit ordinata.

Jam verò allegatæ doctrinæ eo magis locum sibi in casu nostro vindicabunt, quo expressa intercedit testatoris voluntas, protestantis se in ingressu tantùm, non autem in progressu masculos inferioris lineæ, fœminis lineæ melio-

ris

ris prætulisse. Cùm enim subsequenter alios suos filios masculos ad successionem invitasset, præceptum adjiciendo, quòd ipsi pariter geniture ordinem, & jus francorum servare deberent, adeò ut fœminas in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs ad successionem admisisset; quia de progressu successionis agebatur, radicatâ in eorum lineis successione, nullam penitùs fœminarum postergationem ordinavit, nec aliquam fecit translineationem; ut ex hujusmodi capitulo habetur, *E si ipso D. Gio: Tumasi morissi senza fighi legitimi e naturali, e non ci fussiru loro fighi masculi legitimi e naturali, e descendenti preditti, e ci fussiru autri mei fighi masculi legitimi e naturali, e loro descendenti masculi di mio e loro corpu legitimè descendenti; in la Turri e Terra di Paternò &c. succedano li ditti mei fighi masculi, e loro fighi e descendenti masculi, mentri chind'havirà: servato dicto jure francorum, & ordine genituræ.*

Ac etiam habetur ex capitulo subsequenti, in quo transitus factus videtur ad lineas filiarum fœminarum Comitis Joannis Thomæ, & ipsiusmet testatoris, non autem ad alios masculos cum subsidiaria vocatione filiarum fœminarum procedentium a secundogenitis.

Rursùs eundem prorsùs succedendi ordinem in ulteriori progressu testator demandavit, cùm proximum sive proximam substituit de domo Moncada, ad quem seu quam de jure successio Comitatùs Adernionis pertinebit. Nulla enim masculo fuit tributa prælatio, quatenus ipse in linea esset inferiori, graduque remotiori, fœmina verò in meliori linea & strictiori gradu; sed ad tenorem regularis primogenituræ & clausulæ juris francorum fuit eorum ordinata successio: adeout si fœmina in linea meliori, ac strictiori gradu reperiretur, esset masculo procùldubio præferenda.

Quæ quidem expressæ testatoris voluntatis circumstantia omnem prorsùs tollit amaritudinem. Eatenus enim a Doctoribus quæstio repetitionis masculinitatis excitatur, quatenus a casu per testatorem prævisò ad casum omissum fieret argumentatio. At ubi a testatore pro omnibus aliis casibus expressa data fuit diversa providentia (prout in casu nostro, in quo in omnibus aliis casibus fœminæ in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradus admissæ sunt;) de ea quærendum non est, & voluntas testatoris venit religiosè observanda. Vis enim adjectæ conditionis, quòd nempe successores esse deberent legitimi & naturales, ac quòd tenerentur servare ordinem genituræ, omnibus ejus effectibus declaratis, & vivere jure francorum, in hoc consistit, quòd omnes in perpetuùm filiæ fœminæ filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ primi instituti in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs, admissæ sint. Proindeque, cùm filiarum fœminarum Comitis Joannis Thomæ & Domini Ferulæ postergationem,

nem, in favorem aliorum filiorum masculorum testatoris & Comitis Caltanissettæ testator ordinaverit; id pro his casibus tantùm fuisse dispositum, clarum & evidentissimum est: non autem pro omnibus aliis casibus, ne expressa testatoris dispositio ex continenti correcta censeatur.

38 Ut defactò † in tantùm punctus fuit in Rota per ascriptas decisiones pluriès atque pluriès examinatus, in quantum pro aliis casibus dubia erat testatoris voluntas, & capax ad unam & ad aliam interpretationem includendam: nempe, quòd masculis indefinitè prælatio concessa esset, vel eis in eadem linea & gradu cum fœminis existentibus. Ut videre est in facto relato per Rot. Rom. *rec. p.8. decis. 165. in principio, & n.9. vers. nec exclusio fœminarum*: cujus tenor hic est. *Voglio ancora, che in defetto de' miei descendenti maschi, e morendo detta mia figliuola, che la mia facoltà vada al primogenito di detta mia figliuola: e così di progenie in progenie alli primogeniti de' figliuoli, nepoti e pronepoti in infinito di detta mia figliuola: e mancando lei senza figliuoli, intendendo sempre de' maschi; voglio che succeda l'altra secondogenita.*

Tandem verò per Adversarium oppositum fuit, quòd si verùm esset, quòd substitutiones aliorum filiorum masculorum testatoris & Comitis Caltanissettæ fuissent a testatore ordinatæ in casu mortis tantùm sine filiis masculis Comitis Joannis Thomæ vel Domini Ferulæ, sequeretur, quòd universum fideicommissum, tot tantosque complectens substitutionum gradus, ab unica memorata penderet conditione: adeout, masculis existentibus in die obitus Comitis Joannis Thomæ, & subsequenter ejus lineâ extinctâ cùm masculorum tum fœminarum, non viderentur filii secundogeniti, & alii ulteriores substituti ad successionem admissi: quoniam cæteræ sequentes substitutiones expiratæ dicerentur.

Sed parùm est de objectione curandum, cùm ei litera fideicommissi resistat. Dicam ergo, quòd meum assumptum illud est, ut in principio discursùs sum protestatus, quòd alii filii masculi testatoris semper fuerint ad successionem admissi, tam si sine filiis masculis Comes Joannes Thomas decesserit, quàm si cum illis Comes Joannes Thomas obierit, hoc sub discrimine: quòd casu quo Comes Joannes Thomas decesserit sine filiis masculis, sed cum fœminis; succedere deberent primò alii filii masculi testatoris, & omnes illorum descendentes tam masculi quàm fœminæ, & secundò filiæ fœminæ Comitis Joannis Thomæ, & deinde ipsiusmet testatoris, & omnes alii substituti: si verò Comes Joannes Thomas cum filiis masculis obierit; primò succedere deberent hujusmodi filii masculi Comitis Joannis Thomæ, & omnes illius descendentes cùm masculi tum fœminæ, ac subsequenter filiæ fœminæ Comitis Joannis Thomæ, & ipsiusmet testatoris, ac omnes alii substituti ad for-

mam

mam in fideicommisso præscriptā: adeout fideicommissum nunquam dici posset expiratum.

Nec juvat replicare, quòd litera fideicommissi hoc non dicat, sed quòd eo casu tantùm substituti dicantur alii filii masculi testatoris, quo Comes Joannes Thomas sine filiis masculis decesserit.

Etenim menti venit recolendum, Comiti Joanni Thomæ primo instituto nedum ejus filios masculos testatorem substituisse, sed omnes ejus penitùs descendentes, eâ sub lege, ut probatum est, quòd in filiis primi gradùs radicanda successio esset per masculos, & quòd, eâ modo præscripto radicatâ, cæteri descendentes per primogenituram & jus francorum succedere deberent. Unde est, quòd alii filii masculi testatoris nedum fuere eo casu substituti, quo solus Comes Joannes Thomas sine filiis masculis obiisset; verùm etiam eo casu, quo filii masculi filiorum masculorum, & omnes alii descendentes deficerent: ut hæc sunt fideicommissi verba. *E si issu D. Gio: Tumasi murissi senza fighi masculi legitimi e naturali, ut supra, e non ci fussiru loro fighi masculi legitimi e naturali*, e descendenti preditti, *e ci fussiru autri mei fighi masculi legitimi e naturali, ò loro descendenti masculi di mio e loro corpu legitimè descendenti*; *in la ditta Terra e Turri di Paternò &c. succedano li ditti mei fighi masculi, e loro fighi e descendenti masculi legitimi e naturali, mentri chind'havirà: servato dicto jure francorum, & ordine genituræ*.

Profectò admissio secundogenitorum testatoris non eo tantùm casu concessa est, quo Comes Joannes Thomas sine filiis masculis obierit, sed eo etiam casu quo omnes Comitis Joannis Thomæ *descendentes* deficerent: & nedum ipsi filii secundogeniti testatoris, verùm etiam omnes eorum *descendentes* ad successionem admissi videntur: adeout litera fideicommissi evidentissimè concludat, quòd in omnibus casibus substitutio filiorum secundogenitorum testatoris locum habere deberet: nempe tam si sine filiis masculis Comes Joannes Thomas obierit, quàm si cum eis, & deinde eorum lineæ tam masculorum, quàm fœminarum extinguerentur: cùm utrobique semper substituti videantur, & fideicommissum supponatur perpetuò duraturum.

Prout ea omnia & nonnulla alia scitu dignissima ad repetitionem excludendam habentur apud Doctores a me cum transcriptis decisionibus Rotæ Romanæ in primo discursu allegatos: qui, quæso, iterum legantur, & legantur etiam decisiones Rotæ Romanæ per extensum, quia rem evidentissimam reddunt: ac pariter, quæso, iterum ad memoriam revocentur conjecturæ agnationem excludentes in priori discursu ponderatæ.

Verùm, ut hactenùs dicta nulli prorsùs objectioni subjaceant, atque quòd testator nullam desideraverit masculinitatis repetitionem, Judices videant atque cognoscant; nonnullas † referam 39
peculiares evidentissimas conje-

ctauras,

cturas, ex universo fideicommissi tenore, resultantes, quæ prætensam repetitionem prorsùs expugnant, & indubiam successionem in Domina Cliente confirmant.

Quarum prima est, quòd si repetitio concederetur filiæ fœminæ filiorum masculorum, & ulteriorum descendentium Comitis Joannis Thomæ primi instituti, cujusmodi est Domina Cliens, in nulla testamenti parte vocatæ essent: cùm de eis (eo ipsò quòd sub præcepto, quòd successores vivere debeant jure francorum, & primogenituræ servandæ, explicatæ per ejus effectus, ut asserit Adversarius, non includerentur) nulla penitùs in testamento mentio fieret.

Jam verò eas testatorem ad successionem invitasse dubitandum non est: cùm fœminas familiæ contentivæ remotissimæ, sub nomine proximæ de domo Moncada, disponens ad successionem admiserit; signum ergo, quòd eas vocaverit sub illo præcepto servandi genituræ ordinem, & quòd vivere successores deberent jure francorum, & proinde quòd assertam repetitionem in aliis casibus nullo modo mandaverit.

Secunda conjectura ea est, quòd si repetitio concederetur; sequeretur, quòd filiæ fœminæ filiorum secundogenitorum testatoris, in eorundem substitutione expressè vocatæ per adjectionem clausulæ juris francorum, & ex præcepto ordinis genituræ servandi, absque eo quòd, in eorundem lineis aliqua videretur favore masculorum facta limitatio; nec minus ad successionem admitterentur, contra expressam testatoris voluntatem, quod pariter nullo jure tolerandum, proindeq; credendum est, quòd testator eandem masculinitatis qualitatem repetere non intellexerit. Verba substitutionis hæc sunt. *E si isso D. Gio: Tumasi muriffi senza fighi masculi legitimi e naturali, e descendenti preditti, e ci fussiru autri mei fighi masculi legitimi e naturali, e loro descendenti masculi, di miu e loro corpu legitimè descendenti; in la ditta Terra e Turri di Paternò &c. succedanu li detti mei fighi masculi, e loro fighi e descendenti masculi legitimi e naturali, mentri chind'havirà: servato dicto jure francorum, & ordine genituræ.*

Eamque circumstantiam non sanaret replicatio, quòd repetitio masculinitatis volita diceretur in linea Comitis Joannis Thomæ, ubi ipsius filiæ fœminæ postpositæ sunt, non autem in iis aliorum filiorum testatoris, in quibus talis postergatio facta non videtur; adeout omnes illorum filiæ fœminæ in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs censerentur ad successionem admissæ, non autem illæ descendentium masculorum Comitis Joannis Thomæ. Quandoquidem esset hic novissimus error pejor priore: cùm † filiæ fœminæ filiorum primi instituti de linea ingressa & magis dilectæ, vincerentur a filiis fœminis substitutorum minus dilectis, & lineæ inferioris: quòd menti testatoris expressè repugnaret. 40

Ter-

Tertia conjectura ea est, quòd si testator qualitatem masculinitatis repetere intellexisset, in omnibus descendentibus etiam ex filiis masculis C. Joannis Thomæ; sicuti post suos secundogenitos filias fœminas C. Joannis Thomæ, quas postergaverat ad successionem admisit; ità etiam filias fœminas filiorum masculorum ipsius C. Joannis Thomæ, ad successionem post filias fœminas C. Joannis Thomæ admisisset. Si ergo nil de eis dixit; signum evidens est, quòd eas secundùm clausulam juris francorum in propria vocatione reliquerit: & quòd qualitatem masculinitatis in alio, quàm in casu mortis sine filiis masculis Comitis Joannis Thomæ repetere non voluerit.

Quarta conjectura ea est, quòd filiæ fœminæ filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ primi instituti, & aliorum filiorum testatoris, post genitorum mortem sine filiis masculis, nedum non essent ad successionem admissæ; verùm etiam, non obstante quòd essent de linea effectiva & ingressa, exclusæ forent per fœminam de linea contentiva non ingressa, & remotissimi gradùs, nempe per filias fœminas Antonii Perii Ambrosii Domini Ferulæ, & C. Guglielmi Raymundi IV. Comitis Caltanis-
41 settæ. Istæ quidem † in casu deficientiæ masculorum admissæ essent, illæ verò, contra pariter regulas majoris dilectionis, remanerent exclusæ, quod in jure non sustinetur: hoc autem evidentissimè quamlibet repetitionem masculinitatis excludit: ut earum expressa vocatio legitur per hæc verba, *Quibus deficientibus, seu non existentibus; succedano li figbi fimmini legitimi e naturali di lu predittu magnifico Misser Antoni Peri miu neputi, quilla a cui de jure pervenirà e spettirà la successioni, mentri chind' bavirà. Quibus deficientibus, seu non existentibus; succedano li figbi fimmini legitimi e naturali di lo prettu Signur Conti di Caltanissetta.*

Quinta conjectura ea est, quòd filiæ fœminæ filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ primi instituti, & aliorum filiorum testatoris, ut dictum est, non solùm a filiabus Domini Ferulæ & Comitis Caltanissettæ vincerentur; verùm etiam a Proxima familiæ contentivæ remotissimæ de domo Moncada: cùm noster testator tandem voluerit, quòd ejus bona ad Proximum seu Proximam de domo Moncada pervenire deberent, per verba sequentia. *Pervengano e fiano di lo mio più prossimo seu prossima della Casa di Moncada, a cui appartenirà lu dittu Contatu d'Adernò. In tantu chi di li ditti beni fianu spisi unzi 1000. per l'anima mia con consighiu di lu Guardianu di Santa Maria di Gesù, e Priuri di Santa Maria la Grandi di Catania, qui pro tempore erunt. E sempri s'intenda, che tutti li preditti vivant jure francorum, ut supra.*

Proxima quidem de domo Moncada, prorsùs incognita testatori, eique in nihilo dilecta, atque existens in linea contentiva remotissima, vestem nuptialem indueret, quâ testatoris immediata descendens ornata non esset: quòd † sub 42

tanto proprii sanguinis præjudicio, in testatore aliunde fœminarum successionem non abhorrente, jura non credunt, atque assertam repetitionem nullo facto præsumunt.

Et demum sexta conjectura ea
43 est, quòd † melioris essent conditionis filiæ & ulteriores descendentes fœminæ memoratorum Proximi seu Proximæ de domo Moncada, quàm filiæ fœminæ filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ. Istæ quidem essent exclusæ, illæ verò admissæ viderentur: cùm (sicut in transcripto capitulo visum est) descendentes omnes ex Proximo vel Proxima, jure francorum vivere deberent, & ordine genituræ servato; adeo ut fœmina in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs veniret admittenda: quòd filiis fœminis filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ non permitteretur, ac proinde prætensa repetitio nunquam locum habebit.

Jam verò ad omnia hujusmodi absurda vitanda concludunt communiter magni nominis Doctores: & quidem in fortioribus ter-
44 minis, † fœminas proximiores in concursu cum masculis remotioribus, ex mente testatoris esse proculdubio præferendas: inter quos Molin. *de primogen. lib. 3. capit.* 5. *n.* 63. Ludovis. *dec.* 315. *n.* 7. *&* 8. Palm. *alleg.* 222. *n.* 32. *tom.* 3. Torre *de majorat. cap.* 38. §. 15. *n.* 428. *&* 429. *tom.* 1. R. R. post eundem *decis.* 38. *n.* 22. *tom.* 3. Rot. *p.* 17. *rec. decis.* 168. *a n.* 21. *& seq.*

Verùm, ait Adversarius, quòd cessant absurda non vocationis filiarum fœminarum procedentium ex filiis masculis Comitis Joannis Thomæ: ipsæ quidem ad successionem invitatæ videntur in substitutione filiarum fœminarum Comitis Joannis Thomæ, & testatoris, ac earum omnium descendentium, sub quarum denominatione credit Adversarius eas esse comprehensas.

Absurda tamen non cessabunt: nam triplex genus fœminarum in nostro themate potest considerari. Unum nempe immediatè descendentium a Comite Joanne Thoma primo instituto, alterum a testatore, & alterum a filiis masculis Comitis Joannis Thomæ. Quapropter, etsi testator fœminas primi & secundi generis, nempe Comitis Joannis Thomæ & ipsiusmet disponentis, omnesque alias fœminas ex eis descendentes ad successionem invitasset; non per hoc in substitutionibus dicitur, illas tertii generis admisisse, nempe filias fœminas filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ. Quandoquidem, sub nomine filiorum primi instituti, & filiarum testatoris, non possunt venire filiæ fœminæ aliorum substitutorum, qui non dicuntur descendere a filiis fœminis primi instituti & testatoris, sed dicuntur illarum collaterales, & a quibus nullo pacto procedunt: ut iterum majoris claritatis gratiâ, capitula vocationis fœminarum legenda veniunt, quorum tenor hic est. *Quibus deficientibus, seu non existentibus*; (loquendo de propriis filiis masculis) *in li*

ditti

'ditti Turri e Terra di Paternò &c. succedano li fighi fimmini di lo dittu Gio:Tumasi, *quilla a cui de jure appartenirà la ditta successioni di lo Contatu e Terra d'Adernò, siccindi saranno, ò soi legitimi descendenti: servato semper ordine & jure prædictis. Quibus deficientibus, & non existentibus; succedano in li ditti beni* li mei fighi fimmini, e loro descendenti, *mentri chind'havirà. E si tanto io, quanto lo dittu Gio: Tumasi miu fighiu & heredi non havissimu fighi masculi, e fussiru fimmini; eo casu succedano* li fighi fimmini di lo dittu Gio:Tumasi, *quilla a cui appartenirà l'hereditati d'Adernò, li quali siano preferuti a li mei fighi fimmini: e li ditti beni vajano* a li fighi fimmini di lo dittu D. Giovanni, e loro descendenti *legitimi e naturali, mentri chind havirà. Quibus deficientibus, seu non existentibus; succedano a li detti beni* li mei fighi fimmini, e loro descendenti *legitimi e naturali di loro corpu legitimè descendenti, mentri chind'havirà: & vivant jure francorum.*

Cessant absurda, repetit Adversarius, quoniam filiæ fœminæ filiorum masculorum Comitis Joannis Thomæ ad successionem admissæ sunt in eventum extinctionis linearum filiarum fœminarum ipsius Comitis Joannis Thomæ ex præsumpta voluntate testatoris.

Sed litera fideicommissi contrarium decernit: ubi, extinctis lineis filiarum fœminarum Comitis Joannis Thomæ; filiæ fœminæ testatoris, non verò filiæ filiorum masculorum admissæ sunt. Quinimò, ut superiùs dictum est, ex hoc quòd vel ante filias fœminas Comitis Joannis Thomæ, vel post eas, & filias testatoris, ad successionem invitatæ non videntur; præsumendum est quòd ipsæ jam superiùs, ex præcepto servandæ primogenituræ & clausulæ juris francorum; imposito descendentibus Comitis Joannis Thomæ, ad successionem invitatæ reperiebantur: & ex universa dispositione, per quam regularem primogenituram, & clausulam juris francorum esse a successoribus observandam, per modum regulę mandatum extabat.

Alias Adversarii objectiones, si quæ fortè sunt, confutatas esse censemus, quamvis individualiter resolutæ non fuerint: cùm implicitè confutatæ dicantur, si omnes ferè difficultates, quæ in materia circumferuntur, ex his quæ longa oratione super hujusmodi fideicommisso scripta sunt, rejectæ videntur.

Hinc non obstant nostrorum Tribunalium decisiones, quæ pro hac tertia oppositione per Adversarium pariter expenduntur: &
quidem non obstat decisio M.R.C.
apud Mutam *decis.* 57. relata ab
Ill. Præside de Drago ab Adversa-
rio citato, infra laudando. Ipsa
enim † non potest ad factum no- 45
strum applicari: nam præscinden-
do, quòd in fideicommisso, de quo
ibi agebatur, nil dictum fuerat de
clausula juris francorum; adeout
nulla penitùs efficiatur quæstio de
jure francorum antiquo vel mo-
derno, neqne de alia conclusione,
quòd clausula juris francorum vel
absorbeat agnationem, vel decla-

ret regularem primogenituram; verba, quæ in fideicommisso legebantur, diversa sunt ab eis, quæ in nostro fideicommisso intercedunt. Quamvis autem dictum a testatore fuisset, quòd servari deberet sexùs prærogativâ, & quòd masculi fœminis præferantur, adeout prælationem in eadem linea & gradu fuisse concessam indicaretur; nihilominus in eadem oratione & immediatè, ac per dictionem, *hoc est*, præcedentium declaratoriam, injuncto expresso voto agnationis conservandæ, de quo in principio dispositionis testator protestatus est; prælationem masculis esse indefinitè tributam, fuit per eundem disponentem clarissimè declaratum, apertèque subjunctum, quòd fœminæ remanerent semper exclusæ, & de dote provisæ, quatenus dotibus indigerent: ac demum, quòd tantùm in eventum extinctionis omnium omnino masculorum etiam remotiorum possent ad successionem admitti.

Causæ factum, a memorato Regio Consiliario de Muta relatum, id potissimùm ostendit. *Anno* 1582. *Antoninus Pannusius institutis Vincentio & Franco ejus filiis hæredibus universalibus, æquis portionibus in territorio vocato della Castagna; erexit primogeniturам masculinam, excludendo fœminas semper & in perpetuùm, quas solummodo jussit dotari in subsidium, instituendo eas in dotibus particulariter: volendo quòd dictum territorium remaneret in familia & cognomine delli Pannusi, & quòd non possit obligari, hypothecari, nec subjugari, & in qualibet parte minima pro quavis causa necessaria alienari, ut in perpetuùm staret in dicta familia & successione ipsorum hæredum delli Pannusi, & eorum filiorum, nepotum, pronepotum, abnepotum & liberorum masculorum: servatâ semper prærogativâ sexùs masculini, ac gradùs, & majores natu præferantur fœminis & minoribus natu, semper cum eodem cognomine, exclusis semper fœminis.*

Atque demonstrant capitula fideicommissi in decisione transcripta, quæ hæc sunt.

Quòd bona remaneant in familia, & successione domùs familiæ, & cognominationis ipsorum hæredum universalium, & eorum filiorum, nepotum & liberorum masculorum: servatâ semper prærogativâ sexùs masculini & gradùs, hoc est, quòd masculi & majores natu præferantur fœminis & minoribus natu, semper cum cognomine delli Pannusi: ità quòd inter masculos primogenitus præferatur aliis: & in defectu, præferatur major natu: exclusis semper fœminis. Et si fortè in futurùm aliquis dictorum hæredum universalium, vel eorum liberorum decederent sine filio aut filiis masculis, relictis tantùm filiabus fœminis legitimis & naturalibus, unà vel pluribus; tali casu in toto & integro dicto tenimento terrarum, & aliis in eo existentibus, succedat & succedere debeat ille talis masculus filius alterius eorum, vel eorum liberorum primogenitus, & in ejus defectu, major natu. Quo casu ipse testator gravavit ad solvendum filiabus fœminis

alte-

alterius dictorum hæredum (quæ ob fœmineum sexum non potuerunt succedere, ut supra) dotes pro earum maritagio, quàm pro earum monacatu, secundùm earum conditionem, solvendas tempore maritagii; & interim quòd non nubant, debeant alimentari a possessore terrarum.

Quòd si filii, nepotes & pronepotes masculi decederent sine filiis masculis; quòd tali casu succedat alter masculus ex dictis filiis suis masculis: & in isto casu teneatur dotare filias fœminas illius masculi, a cujus successione inveniuntur exclusæ, & hoc in subsidium, si non haberent, & non aliter.

Et si post finitos omnes masculos ex defectu lineæ masculinæ, & casu quo nullus dictorum hæredum universalium, & eorum liberorum & successorum, ut supra institutorum & vocatorum in præsenti testamento, vivus superesset, qui succederet in dictis territorio & terris, & aliis in eis existentibus; tali casu in eo succedant & succedere debeant filiæ fœminæ, & earum liberi masculi: & in defectu masculorum, fœminæ dictorum hæredum universalium, & eorum liberorum.

Profectò postquàm testator, ut scriptum est, servandam esse prærogativam gradùs & sexùs demandaverat, adeout ad successionem fœminas in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs admittere visus esset, per ea verba, *servatâ semper prærogativâ sexùs masculini & gradùs*; immediatè sunjunxit, quòd hoc non esset intelligendum ex prælatione limitata, & in eadem linea & gradu, sed per absolutam ac indefinitam prælationem, nempe durantibus masculis cum cognomine delli Pannusi, & fœminis semper exclusis, per hæc verba. *Hoc est, quòd masculi & majores natu præferantur fœminis & minoribus natu semper cum cognomine delli Pannusi: ità quòd masculus primogenitus præferatur aliis: & in defectu, præferatur major natu: exclusis semper fœminis.*

Et tandem voluit, quòd ità demum fœminæ deberent ad successionem admitti, cùm masculi omnes, & linea masculina suorum hæredum & eorum liberorum deficeret: & eo casu tantùm, quo nullus masculus vivus esset, qui posset succedere in terris, de quibus agebatur, his verbis, quæ iterum repetam. *Et si post finitos omnes masculos ex defectu lineæ masculinæ, & casu quo nullus dictorum hæredum universalium & eorum liberorum & successorum, ut supra institutorum & vocatorum in præsenti testamento, vivus superesset, qui succederet in dictis territorio & terris, & aliis in eo existentibus; tali casu in eo succedant & succedere debeant filiæ fœminæ, & earum liberi masculi: & in defectu masculorum, fœminæ dictorum hæredum universalium, & eorum liberorum.*

Quæ omnia nedum in casu nostro non intercedunt; verùm etiam in casu versamur, in quo satis superque probatum est, eam fuisse nostri testatoris voluntatem, quòd fœminæ in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs ad successionem admitterentur, & quòd uno tantùm casu disponentis propositio

tio limitata remaneret, non autem in aliis, pro quibus expressam contrariam dederat providentiam.

Neque pariter obstant decisiones in causa Hyeracis, in qua
46 scripsit † Illustris D. Casimirus Drago, sæpiùs in hisce nostris orationibus potiùs admiratus, quàm citatus: quem postquàm vidimus suprema Regni munera omnium plausu occupantem; nunc Præsidem Tribunalis Regii Patrimonii colimus atque veneramur: cùm vir sit in legalibus studiis consummatissimus, integerrimus, omnium virtutum genere præditus, ac in audiendis litigantium clamoribus suavis, assiduus & indefessus. Scripsit, inquam, cùm causa agitaretur in Tribunali M. R. C. sede plena (cujus vota fuerunt a Supremo Italiæ Consilio recognita) pro Domino meo, atque validissimo Protectore & Cliente recolendæ memoriæ Domino Comite D. Rogerio de Vigintimilliis Comite Marchione Hyeracis agnato: & cùm causa ipsa examinaretur in Tribunali Consistorii S. R. C.; scripsit etiam pro Domino Comite D. Hieronymo de Vigintimilliis Comite Marchione Hyeracis, Domini Comitis D. Rogerii patruo, a quo procedit Dominus Comes D. Joannes de Vigintimilliis præsens Comes Marchio Hyeracis, ex Magnatibus Hispaniarum, & in quo eminentissima omnium suorum Atavorum splendet & nata-
47 lium magnitudo, & morum inimitabilis probitas, ut admiramur. Ipsæ, inquam, † decisiones pariter non possunt casui nostro applicari, cùm etiam ibi in fideicommisso C. Joannis de Vigintimilliis Primi Marchionis Hyeracis, super quo cadit quæstio nostræ consimilis, ut videre est apud Illustrem Præsidem de Drago §. 7. nihil de clausula juris francorum dictum fuerat; ac verba leguntur, quæ debent ad indefinitam omnium penitùs masculorum prælationem necessariò referri. Comes enim Joannes de Vigintimilliis Primus Marchio Hyeracis, instituto hærede universali Comite Antonio, substituit Comitem Henricum suum ex Comite Antonio nepotem, & omnes ejus descendentes masculos ex linea masculina: gradùs, proximitatis, & primogenituræ, ac sexùs prærogativâ servatâ: quod voluit repetitum in linea masculina Caroli sui, ex Ferdinando secundogenito, pariter nepotis.

Ac subsequenter, per modum regulæ, ità subjunxit. *Item pro conservatione Statùs & cippi domus seu familia de Vigintimilliis ipsius testatoris, voluit & mandavit, quòd dictus Marchionatus Hyeracis, & Baronia Roccellæ nullo unquam tempore perveniant ad fœminas, nec ad masculos descendentes ex fœminis, donec supersint masculi, & ex eis descendentes masculi.*

Atque etiam per modum regulæ voluit, quòd casu quo omnes instituti & substituti per lineam masculinam deficerent; tali casu succedant filiæ fœminæ, & earum descendentes proximiores, gradùs etiam & sexùs prærogativâ servatâ, & quòd virgo in capillis maritatis præferatur: eo protesta-

to,

to, *quòd Status nullo unquam tempore perveniat ad fœminas, nec ad masculos descendentes ex eis; sed tunc demum admittantur, cùm omnes masculi deficerent.*

Quibus ex clausulis evidenter patet, expressum testatoris votum fuisse, indefinitam concedere omnibus masculis agnatis prælationem; non autem eis existentibus in eadem linea & gradu: cùm dictum per modum regulæ iteratò fuerit, quòd etsi ad regulas primogenituræ prælatio concessa masculis in concursu cum fœminis, intelligi deberet ipsis masculis in eadem linea & gradu existentibus; nihilominus mens testatoris ea fuit, ità demum fœminas ad successionem admittere, cùm masculi omnes ex masculis, vel masculi descendentes per lineam masculinam deficerent: & quod id, ad hoc ut bona in familia conservarentur, fuerat ordinatum: adeout postmodum fœminæ omnes post masculos agnatos fuerint in propria cellula ad successionem invitatæ, atq; manifesta intercesserit agnationis contemplatio. Quæ omnia, ut sæpiùs dictum est, in casu nostro non habentur.

Demum verò casui nostro ap-
48 plicari non potest † decisio M.R.C. votis, ut dictum est, a Supremo rerū Italicarum Senatu recognitis, in causa successionis terrarum Roccæ & Mauri-Joannis seu Valdinæ, in qua fideicommissum expressam continebat regularem primogenituram resultantem ex clausula juris francorum, per omnes ejus effectus declaratā; & nihilominus fuit pro Illustri D. Francisco Valdina Marchione Roccæ agnato judicatum: cujus jura, ut dictum est, etiam & ego tuebar.

Quoniam hujusmodi decisio vel ex eo manavit, quòd Illustris Marchio Deliæ (cui clausula juris francorum favebat, & cujus favore duo ex quatuor Dominis in Magna Curia votaverant) a judicio reivindicatorio, in quo se dederat pro spoliato, præjudicatus reperiebatur; adeout nullo pacto manutentionem in possessorio poterat obtinere: ut judicium reivindicatorium in M. R. C. pendebat, & adhuc pendet.

Vel ex alio: nempe, quòd in fideicommisso, a quo successio recta erat, condito per Andreottam Valdina primum Statùs acquisitorem, agnatio contemplata erat, atque indefinita masculis prælatio fuerat apertè concessa: adeout quamvis clausula intercessisset, quòd successores vivere deberent jure francorum, & masculus fœminis præferri deberet; fuerat tamen adjuncta dictio, *semper*: & ultra protestatus erat testator, quòd clausula juris francorum intelligi deberet sub conditionibus & clausulis inferiùs expressandis: & per sequentes conditiones & clausulas disponens masculis prælationem indefinitè concesserat, filiamve ultimi possessoris literaliter excluserat, & de dote providerat, & tandem omnibus penitùs extinctis masculis etiam remotioribus, fœminas omnes in propria cellula ad successionem admiserat, quas antea excluserat, & quòd fal-

falcem ponebat ad radicem Illustris D. Laura Valdina neptis ab Ill. D. Mauritio Valdina ejus patre in observantiam fideicommissi Andreottæ Valdina primi Statùs acquisitoris, exclusa fuerat: atque cum Ill. D. Petro patruo, quem justissimus pater filiali amore postposito in Statu instituerat, anno 1613. solemnem transactionem inierat, fassaque fuerat, ut ejus vir Illustris D. Nicolaus Antonius Lucchese nonnullis bonis acceptis, approbaverat fideicommissum Andreottę Valdina primi Statùs acquisitoris, fœminas non in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs; sed cùm omnes penitùs masculi agnati extincti essent, ad successionem admisisse: adeout ex iis Illustri D. Petro patruo Statùs possessionem permiserit. Quæ omnia nedum in casu nostro non concurrunt; verùm pariter circumstantiæ habentur contrarium ad evidentiam suadentes, & ex quibus literalis vocatio filiarum fœminarum procedentium a filiis masculis Comitis Joannis Thomæ, cujusmodi est Domina Cliens, expressè resultat. Quod fuit a successoribus observatum, ut infrà dicendum est.

Aliæ fuerunt ab Adversario citatæ nostrorum Tribunalium decisiones, quibus ex eo in individuo responsum datum non est; quia iis circumstantiis instructi non sumus, quæ in hujusmodi causis intercesserunt. Præsumere tamen recto jure licebit, quòd casus in allegatis decisionibus examinati nostro dissimiles sint: adeout eis implicitè responsum datum fuisse videatur, si casus noster talis probatus est, ut contrariam interpretationem penitùs abhorreat. Et sanè in causa successionis S. Nimphæ, cùm in nonnullis ipsius causæ appendicibus Advocatus fuissem pro Illustri D. Aloysio Gerardo Giardino Marchione S. Nimphæ agnato, qui victoriam in M. R. C. sede plena votis recognitis a Supremis rerum Italicarum Senatoribus reportavit; fideicommissum Aloysii Arias Giardino primi Statùs acquisitoris perlegi, & in eo expressam indefinitam masculorum prælationem inspexi cum literali perpetua fœminarum exclusione: & quanquam de clausula juris francorum sermo factus extiterit, ubi clausulæ effectus declarati sunt, ille vocationis fœminarum adjectus non erat; quinimò fœminarum exclusio subjuncta videbatur his verbis: *Cum clausula juris francorum, quod major natu masculus minoribus præferatur, exclusis penitùs omnibus fœminis, non solùm in pari gradu, verùm etiam adstrictioribus in gradu omnium filiorum dictæ D. Ursulæ*, atque aliæ in fideicommisso clausulæ habebantur, quæ claram agnationis contemplationem confirmabant. Quod satis superque manifestat, quibus in causis nostra sicula subsellia favorabilem sententiam agnatis concesserint: & proinde si quæcunque aliæ decisiones possint nec ne casui nostro applicari.

DI-

DISCURSUS TERTII
PARS SECUNDA.

De non exequendo in successione Statùs Paternionis fideicommisso condito per Comitem Joannem Thomam de Montecateno in suo testamento: & de ejusdem testamenti legali non existentiâ.

SUMMARIUM.

Ex amplitudine clausularum dignoscitur translativa acquisitio juris luendi, ac tacita arguitur luitio brevi manu, ac lege operante, ex doctrina Casanatis *cons.* 7. *& seq. n.* 1.

Transcribuntur clausulæ, ex quibus doctrina Casanatis *applicari prætenditur. n.* 2.

Jus luendi emptum a possessore rei juri luendi subjectæ, extinctivam probat juris luendi acquisitionem, atque consolidationem producit, ne daretur actio & passio in eodem subjecto, atque ad intentum expenditur doctrina Cutell. *ad ll. Siculas contra* Casanatem. *n.* 3. *&* 5.

Baro possessor feudi juri luendi subjecti, si jus luendi quæsivit, ad relevii solutionem non tenetur, ex eodem Cutell *n.* 4.

Juris luendi extinctio atque consolidatio confirmatur, ubi Rex eam in venditione juris luendi expressè supponit. n. 6.

Clausula, & quibus voluerit, *apposita in privilegio non mutat antiquam formam, sed dicitur confirmatoria pro personis in investitura comprehensis. n.* 7.

Rex clausulas tertio præjudiciales in privilegiis apponere non potest, vel saltem in earum appositione præsumitur ab impetrante circumventus. n. 8.

Declaratur doctrina Casanatis, *& eam illum expendisse probatur ex tribus luitionibus effectivè subsequutis, & per implementum conditionum à jure requisitarum, atque ejus verba transcribuntur. n.* 9. *& seq.*

Resolutio antiqui vinculi per luitionem expressam, non verò tacitam resultat. n. 10. *&* 11.

Adverbium amodo *aliquando tempus immediatum indicat, aliquando verò temporis intervallum admittit, infra quod rei executio suspenditur. n.* 12. *&* 13.

Res acquisita ex jure hereditario, efficitur hæreditaria, & pro successoribus in fideicommisso. n. 14.

Amplia etiamsi fuisset nomine proprio ab hærede stipulatum. n. 15.

Res dicitur acquisita jure hæreditario, ubi alio jure acquisitio sustineri non potest. n. 16.

Exemplum scripturæ non probat si de matrice minimè constat. n. 17.



INcœptum luitionis opus, ut Statum Paternionis pleno jure possideret, Comes Guglielmus Raymundus IV. consummare non potuit: postquàm enim ipse, ut in facto vidistis præclarissimi Judices, solemnissimam Regni capitulorum dispensationem in Regni Comitiis Messanæ celebratis obtinuit; morte præventus est.

Comes autem Joannes Thomas ejus primogenitus & hæres, Paternionis possessor, patris vestigia sequens, in exequutionem paternæ obtentæ dispensationis, jus luendi, mediante transactione inita cum Henrico Henriquez, cui illud fuerat a Rege donatum, consequutus est, fuitque transactio a Rege confirmata per privilegium, in quo jus omne ad Principem pertinens fuit Comiti Joanni Thomæ plenissimè concessum.

Quamobrem ex hujusmodi juris luendi concessione, atque plenissima Statùs Paternionis acquisitione, Comitem Joannem Thomam novum Statùs Paternionis acquisitorem appellat Dominus Dux Sancti Joannis; & proinde quòd suo standum sit fideicommisso, quòd credit agnatitium, Dominæque Clientis exclusivum, proponit doctissimus Adversarius; non autem fideicommisso Comitis Guglielmi Raymundi IV. quod apertè Dominæ Clienti filiæ ultimi possessoris, in concursu cum Domino Duce Sancti Joannis agnato remotiore, ut in prima hujus discursùs parte probatum est, prælationem in præsenti successione concedit.

Jam verò Comitem Joannem Thomam novum habendum esse Statùs Paternionis acquisitorem probatum iri prætenditur, eo quoniam ille, jus luendi in venditione facta Comiti Guglielmo Raymundo ejus patri a Rege reservatum, & eo modo & forma prout Henricus Henriquez donatum a Re-

Rege obtinuerat,translativè quæsivit: adeout, sicuti Henricus a posse Comitis Joannis Thomæ refuso venditionis pretio, Paternionum a jure luendi liberum & exemptum, ut in privilegio donationis continebatur, poterat recuperare; ita Comes Joannes Thomas a manibus Regis per organum Henrici de Henriquez, ex tacita luitione brevi manu, ac juris operatione, Statum Paternionis consequutus fuerit.

1 Hujusmodi autem † tacita luitio (prosequitur Adversarius) juris operatione sequuta, expressè depromitur ex clausulis in transactione facta cum Henrico, & in regio privilegio adnotatis, quod transactionem cum inserto tenore confirmavit: ibi enim jus luendi translativè proprio, non autem hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris, Comiti Joanni Thomæ concessum est, & quòd magis luitio jam facta supponitur, cùm Status Paternionis in Comitem Joannem Thomam, pleno jure, & pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, & quibus voluerit, & ad dandum, vendendum, & alienandum a Rege translatus videatur: ut ex privilegio, in quo clausulæ prægnantissimæ non intercesserant, quæ in casu nostro leguntur, elegantissimè probat, atque evidentissimè concludit Casanat. *cons.* 7. 8. 9. & 10.

2 Clausulæ autem, † ex quibus doctrina Casanatis ad casum nostrum applicari, atque a fortiori procedere debere prætenditur, hæc sunt, nempe prima, quam dicimus constituti. *Constituentes vos & vestros prædictos procuratores in rem propriam, & ponentes vos & illos in locum in hac parte, ut amodo efficiamini & estote; dictique vestri efficiantur & sint veri domini et patroni dicti juris luendi, juriumq; & actionum prædictorum, ipsaq; juris luendi jura & actiones prædicta & prædicta, & omne dominium & proprietas ipsorum consolidetur cum dominio utili, & possessione dictæ Terræ & Castri Paternionis, quod & quam habebatis & tenebatis vigore dictorum regiorum privilegiorum patrui & genitoris nostrorum: & amodo Terram & Castrum Paternionis, cum juribus, pertinentiis & integro statu eorum habeatis, teneatis & possideatis, & vos & vestri prædicti habeant, teneant & possideant segregatam & separatam a sacris regio dominio & demanio nostris, ipsam Terram cum juribus & aliis prædictis, tam virtute & authoritate dictorum privilegiorum serenissimorum Regum patrui & genitoris nostrorum, quàm præsentis privilegii seu instrumenti, a quibus sacris regiis demanio & dominio nostris ipsam Terram cum juribus & aliis prædictis segregamus & extrahimus, ac separamus, & extractam, separatam & segregatam volumus esse, & jubemus ex certa nostra scientia, & regia dominica potestate legibus absoluta: ac etiam illam habeatis & possideatis, ac teneatis, & vestri prædicti habeant, teneant & possideant francam, liberam & expeditam a dicto jure luendi, & juribus & actionibus, quod, quæ & quas in*

& super ipsa Terra & Castro, cum juribus, pertinentiis, & integro statu habebamus, & quemadmodum retroprincipes & prędecessores nostri, tempore quo Terra ipsa cum Castro & integro statu erant in eorum posse & dominio, illam tenuerunt & possederunt ante dictam venditionem factam prędicto quondam genitori vestro, in omnibus & per omnia, singula singulis referendo, etiam ut de eis fuerat per nos dicto Domino Henrico facta donatio & concessio: sublatà tamen penitùs & extincta gratià & facultate luendi, imò absque ipsa gratià & facultate, & ut vulgò dicitur, à tutti passati, & ad francum allodium, & cum omni, ipsius Terrę & Castri, totiusque Baronię Paternionis & integri eorum status, mero & mixto imperio &c.

Et altera, quam vocamus, ad habendum. *Ad habendum per vos prędictum spectabilem Joannem Thomam, vestrosque hęredes & successores in perpetuùm, & quos volueritis tenendum, possidendum, dandum, vendendum, alienandum, pro anima judicandum, utifruendum, & de ea in dicto jure luendi, juribus & actionibus prędictis, dictaque Terra & Castro Paternionis, cum juribus, pertinentiis & integro statu prędictis faciendum, et fieri faciendum totum liberè velle vestrum, vestrorumque hęredum et successorum, et quorum volueritis, tanquam de re propria empta justo titulo, et bona fide acquisita.*

Multifariè tamen Adversarii assumptum destruitur penitùs & annihilatur. Et quidem primò, quia per memoratam transactionem, ejusque clausulas, atque per regium privilegium, ejusque universum tenorem Comes Joannes Thomas jus luendi potiùs extinxit, quàm quæsivit, proindeque Comitis Guglielmi Raymundi vinculum resolutum non fuit, sed in sua primæva firmitate & subsistentia conservatum est: cùm enim Comes Joannes Thomas ex paterno testamento reperiretur Statùs Paternionis possessor; ubi accessit ad emptionem juris luendi, non ut illud nomine proprio exerceret, sed, ut Statum a servitute juris luendi liberaret, pecuniam exoluit: adeout, extincto atque consolidato jure luendi in principali venditione reservato, Status Paternionis penès Comitem Joannem Thomam antiquis vinculis obnoxius perseveraverit, eique actio tantùm ad pretium in liberatione erogatum concedenda esset, si, ut infra dicemus, benefacti pretium in juris luendi extinctione erogatum, ex fideicommisso extractum non esset. Actio enim † & passio in eodem subjecto jurium confusionem producunt, atque juris luendi extinctionem: ut, impugnato Casanate locis citatis, punctum extinctionis viriliter defendit Cutell. *in C. ad ll. Martini nota 59. per tot. et præsertim à n. 77. ad 81. inclusivè*, ubi respondet omnibus penitùs argumentis a Casanate excogitatis: & innuere videtur, ultra Doctores per Cutellium adductos, Fontanell. *decis. 194. et 195. prçcipuè n. 9. et 10.* 3

Quæ quidem nostri doctissimi Cutellii receptissima sententia,

non

non utcunque accipienda est, sed magni est facienda, nedum quia contra Casanatem, per evidentissima juris principia, fortissimave argumenta, jus luendi potiùs extinctum, quàm translatum censeri debere constantissimè sustinet; verùm etiam quia contra fiscum suam firmat opinionem, ubi dixit
4 quòd † Baro feudi, possessor juri luendi subjecti, si jus luendi quæsivit, ad relevii solutionem non tenetur: per hæc verba, quæ scripta leguntur in fine *citata nota* 59. *Patet ergo ex prædictis quid sit in relevio exigendo statuendum, nam ubi consolidatio sequuta est, deberi utique nulla ratio expostulat, secus si in exercendo potentia translatum sit.*

Cùm enim laudatus author disertissimus fuerit, atque laudabilissimus in Tribunali Regii Patrimonii fisci Patronus, si quando contra fiscum suum profert opinamentum, cessat in eo illa fiscalis affectio, qua in suis opinionibus a nonnullis indebitè notatur.

Atque etiam firmata Cutellii sententia indubitantissimè in thesi nostra acceptanda est ex eo, quia eidem assentit subtilissimus Casanates. Author enim † hujusmo-
5 di, postquàm firmaverat, quòd tam Joannes de Villalpando, quàm Contesina de Funès ejus uxor per donationem eis factam a Rege Joanne, ob solius mariti servitia, translativè jus luendi castrorum & locorum de Quinto dotalium Contesinæ acquirere potuerant; tandem, contrariorum objectionibus pro veritate perpensis, a solo Joanne de Villalpando jus luendi translativè quæsitum fuisse profitetur, quia in eo actio & passio non concurrebat, cùm castrorum possessor dici non potuerit, etsi vir esset Contesinæ; non autem a Contesina, quæ (ut noster Comes Joannes Thomas) ex fideicommisso Remiri de Funès ejus fratris castrorum posseditrix dicebatur: in ea enim juris luendi extinctio atq; consolidatio considerari debebat, ut apertè conceptum explicat Casanat. *cons.* 10. *n.* 177. *vers. undecimò*, per hæc verba. *Undecimò quidquid procedat in Contesina, tamen in Joanne de Villalpando omnis confusio cessat, quia nec erat debitor, nec dominus Baroniæ, nec in eo unquam simul extitit actio & passio. Quamvis ergo non posset a seipsa Contesina redimere; tamen Joannes de Villalpando rectè potuit. Tam quia gratia cuilibet insolidum tributa fuit, per verba distribuitiva*, & vestrum quemlibet, *ut supra n. 6. Quàm quòd, ubi jus luendi duobus simul competit, potest unus ex illis solus bona redimere restituto pretio. Quare respectu Joannis nulla potest considerari consolidatio seu confusio saltem perpetua & irrevocabilis.*

Quidquid autem sit de doctrina Casanatis & Cutellii, casus noster † neque minimam dubitandi 6
rationem admittit: Rex enim in privilegio apertissimè jubet & acceptat Comes Joannes Thomas, quòd dominium directum, & rei proprietas, ac jus luendi cum dominio utili & possessione Terræ & Castri Paternionis, quibus gaudebat

debat Comes Joannes Thomas, consolidentur, atque quòd Terra Paternionis a Comite Joanne Thoma possideri deberet vigore antiquorum privilegiorum (nempe eorum, quæ Comiti Guglielmo Raymundo IV. & ipsi Comiti Joanni Thomæ elargita fuerant) & quemadmodum Retroreges ante venditionem factam Comiti Guglielmo Raymundo possederunt, sublatâ penitùs & extinctâ juris luendi gratiâ: ut legi iterum potest clausula ipsa constituti in ea parte, ubi dictum est: *Ipsaque jus luendi jura & actiones prædicta & prædicta, & omne dominium & proprietas ipsorum consolidetur cum dominio utili, & possessione dictæ Terræ & Castri Paternionis, quod & quam habebatis & tenebatis vigore dictorum regiorum privilegiorum patrui & genitoris nostrorum: & amodo Terram & Castrum Paternionis, cum juribus, pertinentiis & integro statu eorum habeatis, teneatis & possideatis, & vos & vestri prædicti habeant, teneant & possideant segregatam, extractam & separam a sacris regio dominio & demanio nostris, tam virtute & auctoritate dictorum privilegiorum serenissimorum patrui & genitoris nostrorum,* (nempe Regis Alphonsi, qui Terram & Turrim Paternionis vendiderat Comiti Guglielmo Raymundo, & Regis Joannis, qui prælationem in venditione juris luendi concesserat) *quàm præsentis privilegii, seu instrumenti &c.*

Et in alia parte, ubi dictum fuit: *Ac etiam illam habeatis, teneatis & possideatis, & nostri prædicti habeant, teneant & possideant francam, liberam et expeditam a dicto jure luendi, et juribus et actionibus, quod, quæ et quas in et super ipsa Terra et Castro, cum juribus, pertinentiis et integro statu habebamus, et quemadmodum retroprincipes et prædecessores nostri, tempore quo Terra ipsa cum Castro et integro statu eorum erant in eorum posse et dominio, illam tenuerunt et possiderunt ante dictam venditionem factam prædicto quondam genitori vestro in omnibus et per omnia, singula singulis referendo, etiam ut de eis fuerat per nos dicto D. Henrico facta donatio et confessio: sublatà tamen penitùs et extinctà gratià et facultate luendi, imò absque ipsa gratia et facultate etc.*

Profectò si translativè juris luendi concessio facta esset, operatio consolidationis dilata foret ad tēpus exercitii juris luendi, ut facto deposito pretii, atq; formali status revenditione, consolidatio sequeretur, non autem in ipsomet limine acquisitionis jam sequuta dicta esset: at quia extinctivè C. Joannes Thomas jus luendi habere voluit, & extinctio per meram juris luendi assequutionem effectum suum sortiebatur; per hoc dictum est, quòd ex tunc rei proprietas & dominium intelligi deberent consolidata cum dominio utili, atque possessione, quibus Comes Joannes Thomas potiebatur, ac quòd facultas luendi jam sublata, atque penitùs extincta remanebat.

Verùm replicat Adversarius, quòd etsì allegata consolidatio in nostro privilegio per Regem deman-

mandata videatur, atque a Comite Joanne Thoma acceptata fuerit; nihilominus in eo clausulæ pariter habentur, quæ superiùs insertæ sunt, ex quibus disponendi facultas, atque alienandi potestas nedum de jure luendi, verùm etiam de Terra ipsa Paternionis Comiti Joanni Thomæ conceditur: proindeque si per transactioctionem & privilegium jus luendi extinctum atque consolidatum erat; quomodo potest verificari clausula pro se suisque hæredibus & successoribus, & quibus voluerit in perpetuùm, atque clausula ad dandum, vendendum, & alienandum jus luendi, atque integrum Paternionum?

Sed opposita clausularum incompatibilitas non resultabit, si ea, quæ in facto dicta sunt, accuratè perpendantur. Memoriæ quidem revocandum est, quòd concessio Paternionis facta Comiti Guglielmo Raymundo IV. cum eisdemmet clausulis concepta erat, quæ emptori disponendi facultatem, in quem voluerit, atque Turrim & Terram Paternionis alienandi potestatem, concedebant.

Menti etiam recolendum est, quòd de fideicommisso Comitis Guglielmi Raymundi, ne quidem verbum ullum in transactione & privilegio efficiatur, sed tantùm absque kalendatione testamenti id tantùm in privilegio supponitur, quòd Comes Joannes Thomas, quasi liberè in Statu Paternionis ob mortem Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris, successerat.

Ac demum memoriæ revocandum est, quòd tenor privilegii hoc indicat, quòd jus luendi olim in Henricum de Henriquez ex regia donatione translatum, Comiti Joanni Thomæ venditum, atque concessum fuerit per transactionem, quæ confirmatur adjectis clausulis pro se suisque hæredibus & successoribus, & quibus voluerit in perpetuùm, & ad dandum, vendendum, & alienandum, & quòd amodo Comes Joannes Thomas Terram Paternionis possidere deberet, vigore privilegiorum Regis Alphonsi & Regis Joannis Comiti Guglielmo Raymundo & eidem Comiti Joanni Thomæ concessorum, ac a jure luendi penitùs exemptam & expeditam.

Deinde verò de jure luendi in Comite Joanne Thoma jam radicato sermo factus est, & inserta juris luendi extinctio atque consolidatio ascripta videtur: subsequenter autem concluditur in clausula *ad habendum*, quòd Comes Joannes Thomas, suiq; hæredes & successores in perpetuùm, & ii quos voluerit, possint de jure luendi vendito, atque de Terra ipsa Paternionis facere velle suum.

Ex quibus omnibus fit, quòd per clausulas *pro se & quibus voluerit, & ad dandum, vendendum & alienandum*, adjectas in principali dispositiva contractus venditionis, translativa juris luendi concessio non desumatur, cùm deinde dictum expresè fuerit, quòd jus luendi cum rei proprietate con-

consolidatum in Comite Joanne Thoma remanere deberet: adeout non ex alio adjectæ fuerint, nisi ut de Henrico Henriquez in C. Joannem Thomam jus luendi transferretur, & prout Henrico Rex antecedenter concesserat, non autem ut ità translatus in Comite Joanne Thoma conservaretur.

Sequitur etiam ex præmissis, quòd facultas concessa Comiti Joanni Thomæ & suis, ut de jure luendi & Terra ipsa Paternionis facere possent liberè velle suum, tanquam de re propria empta justo titulo, & bona fide acquisita, non ad illum finem apposita fuerit, ut translativè dici debeat facta concessio: nec ut de jure luendi & Terra Paternionis disjunctim Comes Joannes Thomas & sui disponere posent; sed ad denotandum quòd jam de eis unum corpus effectum erat, & de eis tanquam uno corpore effecto, Comes Joannes Thomas & sui disponere valerent.

Hoc autem quòd de Terra Paternionis, cum qua jus luendi jam consolidatum erat, Comes Joannes Thomas & sui liberè velle suum facere possent, non ità accipiendum est, ut fortè credendum sit, quòd diversimodè Comes Joannes Thomas disponere posset, quàm Comes Guglielmus Raymundus ejus pater disposuerat: quoniam per oppositas clausulas non benè infertur, quòd Rex antiquam feudi formam mutare intellexerit, sed quod confirmare voluerit formam in venditione datam favore Comitis Guglielmi Raymundi IV. feudi principalis emptoris: ità enim Terra & Turris Paternionis Comiti Guglielmo Raymundo IV. relaxata videtur, uempe pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm, & ad dandum, vendendum & alienandum: adeout, si subsequenter Comes Guglielmus in vim regiæ facultatis de feudo sub memorato fideicommisso disposuit, Rex eam dispositionem non infirmaverit; quinimò, quòd illam Rex eo pacto fuerit amplexus; ex eo concluditur, quòd expressè privilegium a Rege Alphonso Comiti Guglielmo Raymundo impartitum, confirmatum fuerit: atque ex eo quòd per universum privilegii tenorem ad venditionem Comiti Guglielmo peractam relatio facta est. Rex enim † per clausulam, *& quibus voluerit*, antiquam mutare formam non videtur, sed quòd eam voluerit, pro personis in investitura comprehensis, confirmare: ut ex textu in *Cap.* 1. §. *donare tit. qualiter olim pater alien.* & ex Rot. Rom. *rec. p. 6. decis.* 310. *n.* 57. concludit Ill. Præses de Drago *in causa Hyeracis* §. 7. *n.* 656. *et seq.* 7

Atque maximè conclusio attendenda est, quia neque in transactione, neque in privilegio, ut dictum est, ulla penitùs mentio per Comitem Joannem Thomam facta fuit de testamento ac fideicommisso Comitis Guglielmi Raymūdi patri sui: adeout † clausularum subreptio clara censeri debeat, vel quòd Rex eas clausulas cum tertii præjudicio appone- 8

re

re non potuerit, aut demum quòd fuerit circumventus: ipsi enim jus tertio quæsitum auferre non licet, ex Luca *& aliis in primo discursu citatis*.

Secundò diluitur objectio, quia etiamsì a Comite Joanne Thoma translativè jus luendi Statum Paternionis acquisitum fuisset, atque expressè, ut visum est, extinctum non esset; non per hoc reluitio sequuta dici deberet, quamvis enim hæres gravatus (ut est de mente nonnullorum Doctorum) absque jurium confusione duplicem personam repræsentando, nempe unam possessoris rei juri luendi subjectæ, & aliam emptoris juris luendi, possit translativè & nomine proprio jus illud acquirere; nihilominus nunquam hæres gravatus dici potest rei dominus absolutus, & antiquum rei vinculum ruptum fuisse, nisi facto per eum nomine proprio, ad nomen sui ipsius hæreditario nomine pretii deposito, atque pecunia favore substitutorum in fideicommisso a primo rei quæsitore instituto, effectivè implicata, atque favore sui ipsius nomine proprio sequuto actu retrosimili: his enim omnibus deficientibus, hæredes hæredis gravati in re fideicommisso subjecta non succedent, sed eam consequentur ii, qui ex fideicommittentis providentia ad successionẽ admissi sunt.

9 Hæc verò † nedum non negavit, verùm etiam admisit Casanates. Postquàm enim ingeniosissimè dixerat, quòd per translativam juris luendi acquisitionem, fingi debet, quòd brevi manu possessor rei, quæ juri luendi subjecta est, uti emptor juris luendi, semetipsum uti rei possessorem per solutionem antiqui pretii in principali rei venditione conventi in exercitium juris luendi dimittat: atque quòd hoc modo rem liberam a servitute juris luendi possideat, & fideicommissum a primo rei acquisitore sub juris luendi reservatione institutum, ipso jure resolvat. Casanat. *conf.* 7.

Vel quòd per venditionem a Rege factam juris luendi in venditione reservati, fingi debet, quòd brevi manu Rex soluto principalis venditionis pretio a possessore rem recuperaverit, & quòd deinde rem ipsam jam ad se reversam recepto pretio, nempe eo quod in principali rei venditione, & eo quod in juris luendi acquisitione solutum est, iterum antiquo possessori pleno jure concesserit: idem Casanat. *conf.* 9. *n.* 1. *infra inserendo*.

Considerans citatus author antedicta in evidens substitutorum præjudicium Regi non licere, cùm fictiones hujusmodi cum tertii præjudicio, quod Comiti Joanni Thomæ non latebat, in jure non sustineantur; assumptum suum non fundavit super tacita luitione ex allegatis resultante, sed in aliis tribus luitionibus, supposita translativa juris luendi acquisitione, defactò subsequutis, omnibusque, ut ipse ait, numeris absolutis, nempe per depositum pretii in principali venditione a fideicommittente soluti, per ipsius pretii implicationem in emptionem red-

dituum favore fobstitutorum, ac per aliarum conditionum implementum: ut Casanates *in fine cons. 7.* postquàm tacitam luitionem probare conatus fuerit, affirmat his verbis. *Ex quibus omnibus apparet jus hoc luendi, seu pactum de retrovendendo a Rege Joanne in venditione de Quinto reservatum legitimè pervenisse ad Joannem de Villalpando, & Contesinam de Funèz, aliosque eorum successores, a quibus jus & causam trahit noster D. Garcia*, luitioneq; in vim illius juris luendi facta & subsequuta, *vincula omnia Remiri de Funès interim imposita, omnino extincta & resoluta fuisse, Baroniamque inde liberam ab omni vinculorum nexu ad D. Garciam pervenisse, & in ejus possessione adversùs quamcunq; prætensionem vinculorum Ramiri de Funès conservandum esse, prout factum fuit in sententia olim lata die* 28. *Octobris anni* 1548.

Atque iterum confirmare videtur idem Casanat. *consil. 9. num. 1. 3. & 66.* per hæc verba. *Prima luitio (saltem tacita, & brevi manu facta) resultat ex prædicta gratia Regis Joannis, de qua supra in themate consilii septimi. Nam, cùm propter merita & servitia Joannis de Villalpando Rex Joannes illius debitor esset in magna quantitate; censeri debet pretium pacti de retrovendendo a Rege Joanni de Villalpando oblatum, ab eoque receptum, & brevi manu (ut ajunt) ad Regem reversum. Indeque luitionem Baroniæ resultare, & Regem Baroniam ex luitione recuperatam, & ad se reversam brevi manu, eisdem Joanni de Villalpando & Contesinæ donasse. Ex quo & tacita luitio & liberatio a vinculis, & donatio Baroniæ, in satisfactionem meritorum, satis resultat.*

Secunda luitio contingit mediante concordia facta inter Ludovicum Remirum, & Franciscum Muñoz fratres ex una, & Franciscum de Funèz & Villalpando, & Beatricem Muños conjuges ex altera, super luitione dictæ Baroniæ, in vim dicti juris luendi, facta *die sexto Decembris* 1478. *cujus vigore fuerunt ad consequutionem pretii appræhensa hæc castra ad instantiam Ludovici Muñoz, & aliorum in mense Martii anni* 1497. *Unde resultat* luitio numeris omnibus absoluta.

Tertia luitio fuit facta *per D. Michaelem Muñoz in favorem Joannis de Funèz & de Villalpando proavi nostri D.Garciæ die 7.Octobris* 1581. Super qua luitione, diù litigatum fuit *inter Ludovicum de Funez & D. Garciam. In quo processu lata fuit sententia pro D. Garcia anno.* 1548.

Quarta denique luitio (ex abundanti) facta fuit per D. Rodericum Funèz in favorem D. Antonii de Funèz & Villalpando die 6. Aprilis anno 1563. *in qua ex concordi Advocatorum utriusque partis consilio omnibus scrupulis prorsùs dissolutis, adeò plenè satisfactum est: ut nullæ possent dubitationis reliquiæ manere.*
„ Nam constitit de actuali numeratione pecuniæ, pretium fuit conversum in emptionem censualium, Rodericus nomen & arma de Funèz accepit, reliquaque omnia, juxta Adversariorum votum, observata sunt.

Quin-

20 Quinimò quòd † per luitiones defactò sequutas, non autem per eam, quam tacitam vocat, & quæ ab eo excogitata est, prætendi possit antiquorum vinculorum resolutio, satis superq; demonstrat idem Casanat. *conf.* 7. *n. fin. vers. ex quibus omnibus*, per hæc verba. *Ex quibus omnibus apparet jus hoc luendi, seu pactum de retrovendendo a Rege Joanne in venditione de Quinto reservatum, legitimè pervenisse ad Joannem de Villalpando, & Contesinam de Funèz, aliosque eorum successores, a quibus jus & causam trahit noster D.Garsias*, luitioneque in vim illius juris luendi facta & subsequuta, *vincula omnia Remiri de Funèz interim imposita, omnino extincta & resoluta fuisse, Baroniamque inde liberam ab omni vinculorum nexu ad D. Garsiam pervenisse, & in ejus possessione adversùs quamcunque prætensionem vinculorum Remiri de Funèz conservandum esse, prout fuit in sententia olim lata die* 28. *Octobris anni* 1548.

Et quòd magis, quòd super luitione defactò sequuta transactum erat, & super ipsius repetitione, cùm antecedens effectiva luitio non benè processerit, manasse decisiones testatur idem Casanat. *conf.* 10. *n.* 208. *a versic. certiùs usque ad versic. sed ex nostratibus.* ibi.

Certiùs autem hoc agnoverunt partes, Advocati utriusque partis, & Judices in illo primo processu apprehensionis anno 1497. *qui de concordia* & luitione *disputarunt, trãslationem agnoscentes; de extinctione verò nec verbum ullum Michael Sanchez Muñoz, Remiri quoque (ex voto adversariorum) successor idem quoque agnovit anno* 1518. *dum revenditionem concessit favore D. Joannis de Villalpando.*

Et idem D. Joannes de Villalpando translatione quoque usus est, Baroniam à Michaele luens et redimens.

Et, quòd magis mirandum est, anno 1548. *in secundo apprehensionis processu, nedum D. Garsias de Villalpando cum D. Ludovico Muñoz litigans, & ejus Advocati translationem agnoverunt; sed & Judices omnes concorditer, nempe D. Ludovicus Falcon, & D. Ibandus de Bardaxi, D. Michael Martinez, D. Petrus Clavero Curia Justitia Aragonum Locumtenentes. Et sic etiam illi, qui pro contraria parte votarunt.*

Licèt enim luitionem non rectè factam dixerint; *jus tamen luendi, & cessum & translatum cognoverunt. Et sententia pro adversariis latam intra tempus fori revocaverint: solùm extitit hac varietas circa exercitium juris luendi cessi & translati. De quo nullus eorum dubitavit, ut ex eorum motivis palam apparet.*

Et postea anno 1564. *concorditer, & D. Antonius de Villalpando, & D. Rodericus Sanchez Muñoz in gradu appellationis tunc litigantes, & utriusque partis peritissimi Advocati, translationem libenter agnoverunt. Cùm in vim juris luendi translati* luitionem fecerint, numeris omnibus absolutam.

Unde est, quòd decisiones adductæ per Casanatem, & quæ in contrariùm allegatæ sunt, potiùs Dominæ Clienti faveant, quàm Domino Contendenti: quidquid enim senserint in suo casu, sapien-

tissimi Judices, super juris luendi concessione, quam translativam partes ipsæ per transactionem declaraverant; quoad punctum tacitæ luitionis concordi voto decreverunt, eam ex acquisito translativo luendi jure non resultare, quinimò expressè votarunt, quòd luitio defacto sequi debebat, &
11 quòd † juxta juris formam, nempe omnibus intercedentibus solemnitatibus, de quibus supra mentio facta est, ipsa absolvenda erat, ut rei & juris luendi possessor antiquorum vinculorum resolutionem assequi potuisset: talíterque eam necessariam reputarunt, ut primam luitionem, quamvis defactò sequuta esset, quia non erat ritè facta, constantissimè reprobaverint, ut legendum est apud Casanat. *in fine conf.* 10. qui decisiones referre videtur his verbis.

Et, quòd magis mirandum est, anno 1548. *in secundo apprehensionis processu, nedum D. Garcias de Villalpando cum D. Ludovico Muñoz litigans, & ejus Advocati translationem agnoverunt, sed & Judices omnes concorditer, nempe D. Ludovicus Falcon, D. Ibandus de Bardaxi, D. Michael Martinez, D. Petrus Clavero Curiæ Iustitiæ Aragonum Locumtenentes. Et sic etiam illi, qui pro contraria parte votarunt. Licèt enim* luitionem non rectè factam *dixerint; jus tamen luendi & cessum & translatum cognoverunt. Et licèt per sententiam pro adversariis latam intra tempus fori revocaverint; solùm extitit hæc varietas circa* exercitium juris luendi *cessi & translati: de quo nullus eorum dubitavit, ut eorum motivis palam apparet.*

Et postea anno 1564. *concorditer, & D. Antonius de Villalpando, & D. Rodericus Sanchez Muñoz in gradu appellationis tunc litigantes, & utriusque partis peritissimi Advocati, translationem libenter agnoverunt. Cùm in vim juris luendi translati* luitionem fecerint numeris omnibus absolutam.

Idem (quod fortiùs multò est) pro constanti habuerunt, & judicando amplexi sunt Doctores Petrus Clavero, D. Ioannes Ibandus de Bardaxi, D. Ludovicus Falcon, D. Michael Martinez tunc Curiæ Iustitiæ Aragonum Locumtenentes. Et ex his nedum illi, qui pro hac parte votarunt, sed & Judices, qui pro adversariis votum præstiterunt idem fassi sunt, dum luitionem non ritè factam dixerunt; *juris tamen luendi translationem non negantes, sed prorsùs admittentes.*

Hujus etiam sententiæ fuerunt nedum peritissimi Advocati D. Antonii de Villalpando, qui ante annum 1564. *in gradu appellationis pro eo patrocinium præstiterunt, sed & D. Roderici de Funès Advocati doctissimi, qui bonam etiam fidem agnoscentes, & luitionem suaserunt, & translationem, cujus vigore* luitio subsequuta fuit, *agnoverunt.*

Nec quicquam facit quòd effectivæ luitionis necessitas remissa fuerit, ex eo quia Rex eam sequutam in privilegio ipso facto supposuit, ubi dixit, quòd a die privilegii in antea Comes Joannes Thomas Statum Paternionis possidere debebat a jure luendi penitùs

tùs exemptum, per ea verba. *Et amodo Terram & Castrum Paternionis, cum juribus, pertinentiis & integro statu eorum habeatis, teneatis & possideatis, & vos & vestri prædicti habeant, teneant & possideant segregatam & separatam a sacris regio dominio & demanio nostris, tam virtute & authoritate dictorum privilegiorum serenissimorum Regum patrui & genitoris nostrorum, quàm præsentis privilegii seu instrumenti.*

Et subsequenter, quòd ex tunc pariter in antea de Statu Paternionis posset Comes Joannes Thomas disponere secundùm velle suum, per illa alia verba. *Ad habendum per vos, hæredes & successores in perpetuùm, & quos volueritis tenendum, possidendum, dandum, vendendum, alienandum, pro anima judicandum, utifruendum, gaudendum. Et de eo, & dicto jure luendi, juribus & actionibus prædictis, & dicta Terra & Castro Paternionis, cum juribus, pertinentiis & integro statu prædictis, faciendum totum liberè velle vestrum, vestrorumque hæredum, et quorum volueritis, tanquam de re propria empta, justo titulo, et bona fide acquisita.*

12 Quoniam, † etsi adverbium *Amodo* quandoque id exposcat, quòd a tunc in antea aliquid faciendum, exequendumve sit; adhuc tamen, ut sacri profanique interpretes affirmant, aliquando tempus futurum indicat, adeout aliquod temporis intervallum admittat, infra quod rei exequutio suspenditur: præsertim iis in rebus, quarum exequutio de jure retardari necessariò debet, nempe quia medio tempore aliquid agendum veniat, cujus omissio tertio præjudicium inferret: ut in casu nostro verificatur, cui Rex non dispensavit, neque, ut dictum est, de potestate ordinaria dispensare poterat: cùm ergo Rex demandaverit, quòd amodo Terram Paternionis francam a jure luendi Comes Joannes Thomas possidere deberet, & quòd de ea disponere posset, atque illam alienare; hoc ità accipiendum est, quòd post sequutam effectivam luitionem res expedita a jure luendi per Comitem Joannem Thomam possideri valeret, & quòd deinde licitum ipsi esset ea de re ad sui libitum disponere, illamq; alienare, quoniam ex antedictis ità de jure procedebat: ut legendus est Barbos. *tract. var. dictione* Amodo.

Ut defactò † in casu Casanatis, 13 atque in privilegio concesso Joanni & Consesinæ de Villalpando & de Funès, quod ab eo refertur per extensum in themate *cons.* 7. verba leguntur, ex quibus Rex usque a die datæ privilegii Castra liberè, potenter, irrevocabiliter, pleno jure, & absque aliquo nexu juris luendi penès jugales de Villalpando conservari debere mandaverat; & nihilominus, ut visum est, necessitas effectivè luendi ut substituti in fideicommisso Remiri de Funès præjudicari remanerent, excusari non potuit. Verba privilegii hæc sunt. *Et prædicta castra, loca & alia prædicta dicto Joanni de Funès vendita a prædicto onore juris ea luendi in prædictis, aut*

cir-

circa prædicta pertinenti, aut pertinere debenti, & dictus jus luendi nobis competens, aut competere potens in prædictis, aut circa ea, cum præsenti carta perpetuò valitura transferimus in vos dictos conjuges, & vestrum quemlibet, eaque vobis gratiosè donamus: volentes & sancientes, quòd vos & vestri successores in prædictis castris & locis habeatis, teneatis & possideatis dicta castra & loca, & alia prædicta liberè, potenter & irrevocabiliter, & pleno jure, & absque aliquo nexu, aut obligatione dicti juris luendi nobis competentis, aut competituri.

Quod clariùs pariter Rex noster Ferdinandus in venditione facta Comiti Joanni Thomæ declaravit. Siquidem in privilegio concesso Henrico de Henriquez, ubi fuit Henrico donatum nedum jus luendi, verùm etiam Terra ipsa Paternionis, quæ penès Henricum defactò non erat, Rex id ità esse accipiendum mandavit, nempe quòd ipsa Terra donata intelligeretur, ubi luitio defactò sequuta esset. Unde est, quòd si in privilegio Comiti Joanni Thomæ concesso dixerit Rex, quòd eodem modo, quo Henrico jus luendi & Terram Paternionis concesserat, in Comitem Joannem Thomam transferre intendebat; non aliter Status Paternionis concessus intelligi debeat, nisi jure luendi effectivè in exercitium deducto, licèt ad extinctionem manifestandam pariter aliæ clausulæ adjunctæ fuerint, per quas extinctio ipsa atque consolidatio ad oculum (ut superiùs dictum est) demonstratur.

Et tertiò demum confutatur objectio, quia etiamsi translativè Comiti Joanni Thomæ juris luendi concessio facta esset, & tacita, ne dicam expressa luitio sequuta fuisset: atque pariter clausulæ pro se & quibus Comes Joannes Thomas voluerit, ac ad dandum, vendendum & alienandum acquisitionem Statùs Paternionis, nomine proprio, in Comite Joanne Thoma concluderent; non per hoc Status Paternionis hæreditarius Comitis Guglielmi Raymundi non remansisset, atque antiquum Comitis Guglielmi Raymundi vinculum resolutum esset: adeout nunquam hæres Comitis Joannis Thomæ, sed tantùm substituti per Comitem Guglielmum Raymundum succedere deberent, soluto, seu compensato cum malefactis, ut inferiùs allegabitur, pretio per Comitem Joannem Thomam in acquisitione juris luendi erogato. Actus equidem omnes, quos Comes Joannes Thomas stipulatus est, jure hæreditario facti sunt, atque eodem jure sustinentur, nam nomine proprio sustineri non possent: ac proinde acquisitio, etiam quòd propria pecunia Comitis Joannis Thomæ intercesserit, & ipse nomine proprio contraxerit; semper hæreditaria Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris judicanda est.

Memoriæ quidem recolendum est, quòd anno 1456. Comes Guglielmus Raymundus Terram & Turrim Paternionis a Rege concessas obtinuit, juris luendi subjectas: atq; quòd anno 1463. die 11. Apri-

Aprilis; in generali Regni Colloquio Mesanæ detento, plenariam concessam habuit Regni capitulorum dispensationem expressè prohibentium universorum demanialium alienationem, ad hoc ut Comes ipse Guglielmus Raymundus, Regni capitulis non obstantibus, emere potuisset jus luendi in venditione Paternionis per Regem reservatum.

Menti etiam revocandum est, quòd mortuo sub anno 1465. Comite Guglielmo Raymundo, anno 1474. Comes Joannes Thomas ejus filius & successor, ut ascriptam Regni capitulorum dispensationem Comiti Guglielmo Raymundo ejus patri anno 1464. concessam a qualibet expressa, vel implicita revocatione præservaret; in generali Regni Colloquio declarationem obtinuit, quòd per petitiones a Regno faciendas, atque per quæcunque rescripta eidem concedenda, nullum intelligeretur inductum præjudicium dispensationi Comiti Guglielmo Raymundo ejus patri concessæ, ut potuisset jus luendi Paternionum acquirere per Regem in actu venditionis Comiti Guglielmo Raymundo factæ, reservatum: absque eo quod nihil aliud ultra declarationem hujusmodi Comes Joannes Thomas sibi concessum prætendere posset.

Memoriæ pariter recolendum est, quòd anno 1477. Comes Joannes Thomas impetravit a Rege Joanne privilegium, ad cujus tenorem, quia Comes Joannes Thomas regio ærario ex quibusdam urgentissimis necessitatibus solverat summam unc. 380. 23. in augumentum pretii Terræ & Turris Paternionis olim venditarum per Regem Alfonsum Comiti Guglielmo Raymundo ejus patri, sub juris luendi reservatione; Rex Joannes Comiti Joanni Thomæ promisit, quòd reluitio in principali venditione reservata, per Regem exerceri non posset, nisi recuperatis omnibus Terris a regio demanio segregatis, aliàs venditis & pignoratis: atque etiam, quòd casu luitionis eveniente, Comes Joannes Thomas cuicunque alio emptori pro eodem pretio præferri deberet: atque quòd hujusmodi prælatio in Comite Joanne Thoma non aliter verificari poterat, nisi ex obtenta per Comitem Guglielmum Raymundum Regni capitulorum dispensatione: ipsi enim Comiti Joanni Thomæ nomine proprio Regni capitula evidenter obstabant.

Menti etiam succurrendum est, quòd donato per Regem jure luendi Paternionum Henrico Henriquez, ac facta ex Regis mandato Comiti Joanni Thomæ injunctione, quòd declarare deberet summas, quæ ad exercitium juris luendi Henrico necessariæ essent; fuit inter Henricum & Comitem Joannem Thomam lis in M. R. C. agitata super exercitio juris luendi Henrico non concedendo, eo præsertim ex capite, quia Rex (ut legitur insertum in transactione privilegium) Comiti Joanni Thomæ promiserat, luitionem Status Paternionis, post demanialium omni-

nimodam restaurationem,esse consummandam: atque ipsum Comitem Joannem Thomam in hujusmodi juris luendi venditione unicuique alio esse præferendum.

Atque etiam menti subveniendum est, quòd,cùm causa ipsa fuerit per plures annos in M. R. C. ventilata; ad transactionem deventum fuit ex prænarrato regio privilegio Comiti Joanni Thomæ concesso: & quòd, quamvis per Comitem Joannem Thomam cessum fuerit conditioni, quòd post recuperata per Regem omnia demanialia, luitio Paternionis fieri posset; alteri conditioni, quòd deberet in venditione juris luendi Comes Joannes Thomas præferri, implicitè renunciatum non fuit: cùm defactò per Henricum in vim transactionis jus luendi Comiti Joanni Thomæ relaxatum est: fuitque transactio a Rege confirmata, & expeditum a Rege ipso concessionis,seu mavis venditionis privilegium, ut Comes Joannes Thomas immediatè a Rege jus & causam habere diceretur, ut in transactione Comes Joannes Thomas desideraverat.

Et demum memoriæ recolendum est, quòd utrobique, nempe tam in transactione, quàm in privilegio id expressum fuit, quòd ad transactionem & ad juris luendi venditionem deventum fuerat ex obtenta per Comitem Guglielmum Raymundum capitulorum Regni dispensatione, ut omnia acta per extensum in privilegio de verbo ad verbum inseruntur.

Si ergo favore Comitis Guglielmi Raymundi dispensatio capitulorum Regni præcesserat: si favore Comitis Joannis Thomæ privilegium concessum erat, ne jus luendi Paternionum vendi posset, nisi omnibus demanialibus prius recuperatis, & quòd deberet Comes Joannes Thomas in juris luendi venditione præferri, quod hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi intelligendum est, quia dispensatio Regni capitulorum favore Comitis Guglielmi Raymundi sequuta erat: & super eo uti patris successor Comes Joannes Thomas institerat, si lis ex hoc cum Henrico agitata est, quòd eidem regium memoratum privilegium obstabat.

Si, inquam, Comes Joannes Thomas cum Henrico transactionem stipulatus fuit super lite, quæ ex prælatione pendebat a Rege Comiti Joanni Thomæ concessa in juris luendi venditione, & defactò Comes Joannes Thomas prælationem habuisse visus est, non obstante quòd in Reginam jus luendi antecedenter translatum esset, & a Regina in Henricum pervenerat, quia Rex ad evictionem favore Comitis Joannis Thomæ semper tenebatur: & demum, si ex obtenta per Comitem Guglielmum Raymundum Regni capitulorum dispensatione, cùm actorum omnium insertione, Rex ad venditionem juris luendi devenisse concludit; quòd acquisitio hæreditaria fuerit, & quòd proinde in successione Paternionis fideicommissum Comitis Guglielmi Raymundi attendendum sit,

sit, quidquid hæres in acquisitione stipulatus fuerit, quis negabit? communissima est, atque receptissima nostrorum Patrum opinio,
14 quòd † res ex jure hæreditario acquisita, hæreditaria fiat. Cancer. *var. resol. p. 3. cap. 15. n. 207. & seq.* R. R. coram Cerro *decis. 650.* Valeron *de transact. tit. 5. qu. 6. à n. 22. ad finem.* Olea *de cess. jur. tit. 6. qu. 7. n. 2. & seq.*

15 Et quòd magis est, † etiamsì nomine proprio hæres stipulatus fuerit, & propriam pecuniam impenderit; quòd nihilominus conclusio procedat, firmavit R. R. *p. 19. decis. 209. n. 20. & seq.*

Clausulæ enim omnes, qui rei substantiæ contradicere videntur, per errorem ascriptæ præsumuntur, ac juribus tertii semper salvis: atque subreptitiæ dici debent, si Regi veritas subtrahatur: ut in casu nostro, in quo sicuti dictum est, nullum verbum de vinculo Comitis Guglielmi Raymundi Regi dictum fuisse jam constat. *Doctores communiter.*

Eò fortiùs, quòd nostra transactio,& respectivè juris luendi venditio, non aliter, quàm hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi valere potuisset, ut valuit: cùm enim ex Regni capitulis indicta, atque prohibita sit, sub pœna nullitatis, demanialium alienatio; non aliter, quàm per Regni capitulorum dispensationem, quæ tantùm in Regni Comitis fieri atque obtineri potest, nostra juris luendi venditio sustinetur: atque inde concluditur, quòd si dispensatio a Comite Guglielmo Raymundo obtenta est, in dubium verti non valcat, quòd hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi acquisitio sequuta dicatur: actus enim non eo nomine factus dici debet, quo in jure nullus esset, sed eo tantùm, † quo de jure sustineri potest. Rota *p. 19. cit. decis. 209. n. 20. & seq.* 16

Clarissima tamen evadent omnia ea, quæ superiùs scripta sunt, si peculiaris circumstantia attendatur, quæ in casu nostro intercedit: pecunia enim in emptione juris luendi per Comitem Joannem Thomam conversa, hæreditaria erat: feuda quidem hæreditaria Comitis Guglielmi Raymundi Comes Joannes Thomas vendiderat, ac census bullares super iisdem bonis ad hunc præcisè finem, ut emeret jus luendi Paternionum, constituerat: aliasve pecunias in sui posse Comes Joannes Thomas cumulatas habebat ex hæreditate Comitis Guglielmi Raymundi perventas, easque vel ex mobilibus retraxerat, vel ex aliis censibus, quos juxta formam bullæ super bonis etiam hæreditariis pro nonnullis occurrentiis imposuerat: profectò ipsas erogasse in juris luendi emptione credendum est.

Quamobrem animus Comitis Joannis Thomæ evidentissimè detegitur, quodque is fuerit, quòd acquisitio hæreditati fieret, non autem sibimetipsi nomine proprio. Atque etiam animus Comitis Joannis Thomæ ad idem apertissimè manifestatur, ex eo quia jus luendi nunquam exercuit: si equidem ac-

acquisitionem nomine proprio factam Comes Joannes Thomas credidisset, utique jus luendi exercuisset: quod si, ut dictum est, nunquam exercuit; credendum proculdubio venit, quòd acquisitionem, prout erat, hæreditariam reputaverit: atque quòd clausulæ *ad habendum* & *quibus voluerit*, vel per errorem appositæ fuerint, vel quòd tanquam contentæ in privilegio venditionis Comiti Guglielmo Raymundo impartito, repetitæ legantur.

Sed Adversarius non cedit, atque dubium benè resolutum non esse respondet, quia Comiti Joanni Thomæ nomine proprio, non autem hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi impartitum est privilegium, per quod ultimam demanialium luitionem Paternionum includere debere Rex demandavit, atque prælationem in venditione juris luendi Comiti Joanni Thomæ concessit, ex cujus privilegii tenore inde manavit transactio, atq; aliud privilegium, quod transactionem confirmavit, ac de per se Comiti Joanni Thomæ jus luendi permisit, cùm in hujusmodi priori privilegio dictum sit, quòd C. Joanni Thomæ, suisque hæredibus & successoribus, atque ab eo jus & causam habentibus, indultum illud concedebatur.

Si autem tantùm hujusce privilegii tenor esset inspiciendus, ea solutio applicaretur, qua hæredes Comitis Joannis Thomæ uterentur adversùs substitutos a Comite Guglielmo Raymundo: ubi ipsi (si postmodum sequuta non esset juris luendi acquisitio) pecuniam, a Comite Joanne Thoma in privilegii impetratione erogatam, solvere renuerent, quæ ea foret, quòd hujusmodi privilegii impetratio hæredis gravati benefactum reputandum esset, & proinde quòd a substitutis veniret hæredibus Comitis Joannis Thomæ proculdubio retribuendum. At quia memotato privilegio, ut diximus, dispensatio Regni capitulorum adjungenda est, quæ veluti a Comite Guglielmo Raymundo impetrata, & super qua Comes Joannes Thomas mortuo patre taliter institit, ut nihil aliud ultra dispensationem patri permissam sibi concessum fuisse fassus fuerit, indultum hæreditarium evidentissimè declarat; eamobrem super hujusmodi puncto quid ultra conscribere non putamus.

Verùmtamen, replicat Adversarius, indultum resolvi poterat ex pretii restitutione a Rege facienda, nempe illarum unc. 380. 23. quæ fuerant a Comite Joanne Thoma regio ærario solutæ, vel ex mutuo utriusque contrahentis, nempe Regis & Comitis Joannis Thomæ, consensu, cùm favore substitutorum nulla stipulatio intercesserit, quod exequutum fuisse subjungitur, ex facta Comiti Joanni Thomæ juris luendi venditione.

Sed res ità administrata non fuit: nam, indulto rato manente, quinimò ex eo, quòd super indulto transactum erat, juris luendi venditio facta est; & proinde prælatio Comiti Joanni Thomæ concessa,

cessa, quæ hæreditaria Comitis Guglielmi Raymundi dici debuit, nedum resoluta non fuit, verùm etiam implicitè exequutioni tradita est: ut tandem omnia hæc necessarius usus paternæ obtentæ capitulorum Regni dispensationis ad evidentiam confirmare videtur: ex ea enim principalissimè venditio perfecta fuit, & validitatem obtinuit, quam (ut sæpiùs dictum est) Comes Joannes Thomas, nonnisi hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris, cujus favore manaverat Regni capitulorum dispensatio, mereri legitimè potuit, ipsamque venditionem nomine proprio impetrare non poterat.

Respondet etiam Adversarius, quòd, etsi a Comite Joanne Thoma feuda hæreditaria Comitis Guglielmi Raymundi ad juris luendi acquisitionem vendita fuerint: atque ad eundem finem census bullares super bonis hæreditariis Comitis Guglielmi Raymundi impositi sint: & demum si penès Comitem Joannem Thomam pecunia hæreditaria reperiebatur, vel retracta ex mobilibus, vel ex aliorum censuum bullarium constitutionibus, quæ super iisdem bonis a Comite Joanne Thoma perfectæ leguntur; non inde infertur, quòd acquisitio favore hæreditatis facta dici possit: cùm absoluti juris sit, quòd ubi hæres nomine proprio acquirit, etiam quòd pecunia aliena sit; nunquam tertio, sed semper sibimetipsi acquirere videtur, quamvis hæreditati vel tertio ad pecuniæ restitutionem teneatur.

Quamobrem (prosequitur Adversarius) non per hoc, quòd Comes Joannes Thomas feuda vendidit, quòd census imposuit, quòd pecuniam hæreditariam habebat; dici unquam potest, quòd favore hæreditatis Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris, sed quòd sibimetipsi nomine proprio, jus luendi acquisierit: & id, eo tantùm casu examinandum esset, quò certitudo non haberetur, an Comes Joannes Thomas nomine proprio voluerit, an hæreditario nomine, actum perficere? ubi verò certitudinaliter constat hæredem nomine proprio acquirere voluisse; omnis quæstio cessat, & acquisitio nomine proprio semper celebrata videbitur. Quòd eo magis attendendum est, quò per Comitem Antonium ejus nepotem ex bonis Comitis Joannis Thomæ, feuda alienata pro emptione juris luendi recuperata fuerunt.

Sed si nostra objectionis confutatio id principaliter prædicaret, super quo ab Adversario responsum est; alia res esset: nunquam autem talis, ex qua penitùs nostra ratiocinatio cessaret: verùm ea, quæ a nobis dicta sunt, non ut ea reprobat Adversarius accipienda veniunt, sed ut a nobis proposita fuisse protestamur: nempe quòd ad confirmandam hæreditariam acquisitionem tanquam adminiculum attendenda sit circumstantia, quòd pecunia per Comitem Joannem Thomam impensa, in acquisitione juris luendi, Comitis Guglielmi Raymundi hæreditaria fuit: ac pariter, quòd tan-

quam adminiculum attendenda sit alia circumstantia, quòd nunquam per Comitem Joannem Thomam jus luendi exercitum fuerit: atque quòd ex hoc animus Comitis Joannis Thomæ detegatur verè hæreditario nomine Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris acquirere intellexisse: & quòd, vel in sequelam privilegiorum Comiti Guglielmo Raymundo concessorum, vel per errorem disponendi potestas, atque alienandi facultas Comiti Joanni Thomæ concessa fuerit; non autem quòd ex mutuata pecunia, alius quàm ipse C. Joannes Thomas juris luendi acquisitor judicandus esset. Unde est, quòd cùm tanquam pura adminicula reprobari non possint; nostrum assumptum undique probatum remaneat.

In sensu tamen nudæ veritatis, ac simul unitis, atque æqua lance perpensis omnibus iis, quæ super hujusmodi puncto acquisitionis juris luendi factæ per Comitem Joannem Thomam hinc inde intercedunt, (ingenuè fateor) intellectus captivari non potest, quòd independenter a jure hæreditario Comitis Guglielmi Raymundi acquisitio fieri potuerit; quinimò, toto negotio perspecto, non ex alio acquisitionem sequutam esse me suadet res ipsa, quàm ex jure, quòd in hæreditate Comitis Gnglielmi Raymundi repertum est: adeout, quòd hæreditati Comitis Guglielmi Raymundi jus luendi quæsitum sit, & quòd pretium tanquam benefactum debeat cum consumptionibus, quæ innumeræ sunt, a Comite Joanne Thoma patratis, compensari, præsertim quia inter eas illæmet adnumerantur, quæ ad hujusmodi præcisè finem factæ sunt; in controversiam deduci non possit, etsi deinde (quatenus id in facto probaretur) feuda ex pecuniis hæreditariis Comitis Joannis Thomæ reacquisita viderentur: non enim quòd exequutum fuerit inspicere debemus, postquàm actus consummatus reperiebatur, & effectum suum produxerat; sed tempus attendendum est, quo actus propriam recepit perfectionem.

Si dicere postremò non licebit, quòd feudorum reacquisitio ex accidenti processerit, & quia eam utilem existimavit Comes Antonius, non autem quia alienationem restaurare voluerit Comes Joannes Thomas, qui jam multò ante defunctus feudorum alienatorum luitionem, ad finem ad quem ipsa allegatur, minimè demandaverat: quod summoperè assumptum confortat. Comitem enim Joannem Thomam hæreditario nomine acquirere intellexisse ex sua implicita voluntate, & ex eo quòd acquisitio nonnisi hæreditario nomine sustineri poterat, dubitandum non est: quidquid ex clausulis potestatem alienandi, disponendive facultatem concedentibus, desumi prætendatur: ipsæ quidem attentis antecedentibus vel per errorem, vel ad formam in privilegio concesso Comiti Guglielmo Raymundo præscriptam, ut sæpiùs dictum est, processerunt: & proinde, quòd pos-

possint hæreditariam acquisitionem in quocunque judicio etiam possessorio, in quo versamur, allegare ii, qui in testamento Comitis Guglielmi Raymundi contemplati sunt, ut est Domina Cliens, deduci neque potest in controversiam.

Rursùs, in sensu etiam veritatis, juris luendi extinctio atque consolidatio, quæ in prima objectionis solutione allegata est, ex hoc, quòd acquisitio hæreditaria erat Comitis Guglielmi Raymundi, videtur indubitabilis: diversa enim loquutione Rex usus est in privilegio Comiti Joanni Thomæ concesso, qua usus erat in eo, quod Henrico de Henriquez elargitus erat. Siquidem in privilegio Henrico impartito jus luendi conceditur, & Terra ipsa Paternionis, postquàm tamen jus luendi exercitum esset, & sequuta foret effectiva luitio: in eo autem Comiti Joanni Thomæ postremò elargito juris luendi extinctio atque consolidatio a Rege demandatur: nullo penitùs facto verbo de exercitio juris luendi, & de luitione per Comitem Joannem Thomam imposterùm facienda: quamobrem id processisse credendum est, vel ex iis, quæ jam pro absoluta extinctione ex doctissimo Curellio dicta sunt, vel ex eo, quòd per Comitem Joannem Thomam jus hæreditarium in acquisitione juris luendi exercitum fuit, atque quòd, ex privilegiis Comiti Guglielmo Raymundo cōcessis, Comes Joannes Thomas Statum Paternionis possidere deberet a jure luendi liberum & exemptum: ità enim clausulæ quòd Comes Joannes Thomas ad sui libitum disponere posset, & ad dandum, vendendum & alienandum apertissimè cum toto privilegii tenore conciliantur.

Præter verò necessitatem ea omnia dicta sunt, quæ hactenùs in præsenti parte examinavimus; quoniam præscindendo ab eo, quòd fideicommissum Comitis Joannis Thomæ Dominam Clientem non excludat, atque Dominum D. Federicum de Moncada, Aragona & Toledo Ducem Fernandinæ, Dominæ Clientis filium, utì masculum ex fœmina, proculdubio comprehendat: ut admirabiliter probare visus est admodum Spect. D. Joseph Catena collega meus amantissimus, vir acutissimi ingenii, atque Jurisconsultus summæ eruditionis; testamentum Comitis Joannis Thomæ, in quo assertum fideicommissum scriptum prætenditur, in forma probante non existit.

Quamvis autem ex parte Domini Ducis Sancti Joannis hujusmodi asserti testamenti exhibitum fuerit quoddam exemplum, quod vocatum est originale, quia exemplum est alterius exempli, quod repertum fuit in Archivio M.R.C. cui consonant alia exempla, quę in Archivio Domus conservantur; adhuc tamen illud ex hujusmodi assertione originale credendum non erit, sed mera copia copiæ, quæ in præsenti judicio attendi minimè potest.

Copia itaq; ex Archivio M.R.C. de-

desumpta, ab Archivario hoc modo extracta est.

Ex scripturis inventis in Archivio veteri sine oculo, sed intus dicunt: ad instantiam D. Antonii Aragona & Moncada Ducis Montisalti nominibus, contra Illustrem Joachim Miraglies & Torriglies ass: prat: nominibus.

Joannes Baptista Puglisi Mag. Not.
Copia
De Olivera Archivarius.

Sed copia ipsa, sub verbis memoratis extracta, nihil probabit. Primò, quia de hujusmodi scripturis, a quibus facta supponitur per Archivarium asserta copia, in Archivio non constat: in eo enim ipsæ non reperiuntur, ubi, ad hoc ut copia sibi fidem conciliaret; scripturæ in quibus ea reperta est, in Archivio adhuc asservari debe-
17 rent: nam † si de matrice nullum vestigium apparet; exemplum minimè probat. Bartol. *in l. si quis ex argentariis §. Prætor ff. de edendo*. Covarruv. *pract. quæst. cap.* 21. *n.* 2. *&* 4. Rota *in novis. decis.* 733.

Secundò, quia non habetur notitia temporis vel antiqui, vel recentioris, quo fuerint assertæ scripturæ, a quibus copia extracta est,
18 in Archivio repositæ: ubi enim † de tempore repositionis non constat, vel quòd tempore antiquo illa vel alia occasione fuerint Archivario consignatæ; scriptura reperta in Archivio nullam facit fidem. Verall. *decis.* 41. *n.* 4. *lib.* 2. Gratian. *cap.* 736. *n.* 44. *& cap.* 859. *n.* 27. Pareja *de instrum. edit. tit.* 1. §. 3. *resol.* 3. *n.* 40. Staiban. *resol.* 188. *num.* 31. *&* 36. Luca *de judic. disc.* 28. *n.* 23.

Tertiò, quia † Archivarius non 19
dicit esse scripturam Archivii, ut defactò de Archivio non est, sed repertam in Archivio, quod sanè non sufficit. Nam Archivarius debet affirmare esse scripturam Archivii, in illo vel in alio judicio constructam, ut tanquam scriptura de Archivio fidem faciat. Si enim scriptura in Archivio reperiatur, non per hoc fit de Archivio, quia potest dari casus, quòd aliquis privatus scripturam privatam ibi dimittat, ut authenticam reddat. Luna *conf.* 11. *n.* 50. Baron. *de citat. sing.* 6. *n.* 9. *&* 10. Valle *conf.* 75. *n.* 7. *lib.* 4. Giallong. *recamat.* 92. *n.* 5. Trentacinq. *var. lib.* 2. *tit. de fide instrum. concl.* 8. *n.* 2. Scaccia *de judic. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 77. Staiban. *resol.* 188. *n.* 31. Valdaur. *observ.* 23. *n.* 20. *& seq.* Luca *de judic. cit. disc.* 28. *n.* 24.

Eò fortiùs, quòd nostrum M. R. C. Archivium nunquam taliter tentum fuisse visum est, ut dimissioni scripturarum locus esse non potuerit; sed imò contrarium. Nam a tempore, quo in regia Vicaria servatum erat, usque in hodiernum diem, nullo penitùs ordine scripturæ, quæ de Archivio indubitanter sunt, potuerunt conservari.

Quartò, quia sumus in Archivio, in quo habentur nedum scripturæ publicæ & authenticæ, verùm etiam scripturæ non originales, & de iis tractatur, quæ regulariter in processibus a partibus non originales producuntur: regulariter enim copiarum copiæ præsentatæ videntur. Quamob-
rem

20 rem † non ex hoc, quòd in hujusmodi Archivio scriptura reperta sit, authentica erit, sed requiritur quòd aliunde de ipsius authenticatione testimonium adducatur. Dec. *cons.*458.*n.*5. Cesal. *cons.*631. *n.* 27. *&* 28. Put. *decis.* 440. *n.* 2. *lib.* 2. Boer. *decis.* 36. *n.* 2. Marescott. *lib.* 1. *cap.* 81. *n.* 22. Genua *de script. priv. lib.* 1. *quæst.* 2. *n.* 8. Scaccia *de judic. lib.* 2. *cap.* 2. Gratian. *cap.* 859. *n.* 30. Posth. *decis.* 342. *n.* 4. Pareja *tit.* 1. *resol.* 3. §. 3. *n.* 41. Valasc. *consult.* 167. *num.* 8. Trentacinq. *var. lib.* 2. *resol.* 8. *n.* 2. Bich. *decis.* 59. Ut dicebat de Archivio Regiæ Messanensis Audientiæ Ill. Præses Gaston. *discept.* 15. *n.* 12. 13. *&* 14.

Quintò, quia præter suprascriptam præsumptionem, constat evidenter, scripturam suppositam præsentatam, esse copiam copiæ, ubi sub sequenti extracta præsentatam fuisse proponitur.

Ex actis Not. Pauli de Quatro olim publici Notarii, extracta est præsens copia per me Not. Hieronymum Palminterium, authoritate mihi concessa.

Coll. Salva.

Antonius Conservator.

Nos Jurati ingeniosæ Civitatis &c.

Si enim copia originalis fuisset, Juratorum authentica per extensum scripta esset, & sub signatura officialis, quo in similibus utuntur Jurati. Si ergo scriptura informis, seu non authentica præsentata fuit, quamvis hodie in Archivio
21 repereretur; nullam sibi fidem conciliaret: cùm † exemplo exempli nullum penitùs robur præbeat Archivii authoritas. Marescott. *lib.* 1. *cap.* 81. *n.* 23. Gratian. *discept.* 859. *n.* 26. *&* 33. Staiban. *resol.* 188. *n.* 24. Verall. *decis.* 41. *n.* 2. *vers. & si in eo*. Baron. *de citat. sing.* 6. *n.* 9. Luca *de jurisd. disc.* 2. *n.* 2. *v. de judic. disc.* 28. *n.* 23. Rota *p.* 2. *rec. decis.* 43. *a n.* 1. *& n.* 13. *in fine*. Gaston. *discept.* 15. *n.* 10. Luna *cons.* 11. *n.* 52. *vers. & ultra.*

Et sextò demum, quia constat plenissimè super testamento, quod uti authenticum exhibetur, non 22
fuisse sententiatum. Ad hoc enim, † ut scriptura in Archivio reperta fidem faciat, requiritur, quòd nedum in processu fuerit præsentata, sed quòd super processu fuerit prolata sententia: nam aliter nulla fides scripturæ conceditur, ut de praxi nostrorum Tribunalium testatur Cutell. *orat.* 28. *n.* 14.

Nec juvat objectio, quòd ultra copiam assertam præsentatam in M. R. C. adsint aliæ decem copiæ in Archivio domùs conservatæ. Nam, vel id allegatur, ex eo quòd copiæ ipsæ sint originales: vel quòd licèt copiarum copiæ fidem mereantur, ex eo quòd repertæ fuerint in Archivio domùs ultimi defuncti: vel demum id allegatur ad adminiculandam copiam illam assertam præsentatam in Archivio M. R. C.

Si primum, nempe quòd ipsæ copiæ originales sint; & oculorum inspectio omnem tollet difficultatem: nam copiarum copiæ sunt indubitabiles: & quatenus ex adverso contrarium prætenderetur; possunt, ut in primo discursu di-

ce-

tebamus, oculis Judicum subjici, vel a peritis recognosci.

Si secundum, nempe quòd quia scripturæ ipsæ in Archivio domùs repertæ sint, fidem prætendant, & haberi debeant pro originalibus; & nunquam id locum habere po-
23 terit: quoniam † scripturis in Archivio domùs repertis, nulla potest concedi fides, cùm hujusmodi Archivium publicum non sit. Gratian. *cap.* 736. *n.* 35. Luna *cons.* 11. *n.*51. Valle *cons.*71. *n.*11. *lib.*4. Puteus *decis.* 445. *n.* 1. *lib.* 2. Afflict. *decis.* 303. *n.* 4. Ursill. *ad eundem num.* 5. Scaccia *de judic. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 760. Marcus *decis.* 298. *n.*2. *p.*1. Luca *de judic. disc.*28.*n.*23. Posth. *decis.* 34. *n.*4. Staiban. *resol.* 188. *n.* 30. Parcja *de instrum. edit. tit.* 1. *resol.* 3. §. 3. *n.*30. Et in terminis Archivii domùs Baronis, Comitis, Marchionis, aut Ducis sub custodia existentis, dictum est in primo discursu, ad quem nos super hujusmodi puncto totaliter remittimus.

Tandem verò si tertium, nempe quòd ex copiarum copiis in domùs Archivio repertis adminicula resultent illius copiæ repertæ in Archivio Magnæ Regiæ Curiæ; & ne quidem minimum oritur originalitatis adminiculum: cùm
24 enim † copiæ ipsæ, ut dictum est, pariter copiarum copiæ sint; nullum adminiculum producere valent. *Doctores omnes supra citati*.

Eò fortiùs, quòd copiæ inter se differunt, & differunt pariter a tenore copiæ, quæ supponitur in Archivio M. R. C. reperta: adeout nedum illam non adminiculent, verùm etiam ejus inutilitatem apertè confirment.

Nonnullæ enim incipiunt: *In nomine Domini Jesu Christi, ac ejus gloriosissimæ matris Mariæ*. Postea subsequitur annus & dies, & incipit testamentum.

Aliæ incipiunt modo jam scripto: & postea scriptum videtur, *Apud Urbem felicem Panormi*: & subsequenter annus & dies: & deinde incipit testamentum.

Et aliæ tandem incipiunt modo supra recensito: subsequenter inscriptus legitur annus & dies: & postmodum apponitur, *Apud Urbem felicem Panormi*: & deinde incipit testamentum.

Adest etiam in eisdem copiis diversitas mensis: nam in nonnullis copiis dicitur, *Die primo Junii*: in aliis verò, *Die primo Julii*.

Conspicitur pariter diversitas nominis, & signanter Notarii: nam in nonnullis dicitur, *Joannis de Quatro*: in aliis dicitur, *Not. Joannis Pauli de Quatro*: & in aliis dicitur, *Pauli de Quatro*.

Rursùs habetur diversitas in subscriptione Conservatoris actorum. Nam in nonnullis dicitur: *Extracta est præsens copia per me Notarium Hieronymum Palminterium, manu alterius authoritate mihi concessa*. Et in aliis omittitur, *manu alterius*, & dicitur, *etiam authoritate mihi concessa*, & coadditur, *Antonius Conservator*.

In aliis etiam dicitur: *Extracta est præsens copia per me Notarium Hieronymum Palminterium regium publicum Notarium, Conservatorem dictorum actorum, manu alterius au-*

authoritate mihi conceſſa.

Adeſt demum alia copia copiæ extracta *die* 17. *Aprilis* 1576. ad inſtantiam Ill. D. Aloyſiæ de Luna, quæ differt ab aliis copiis exiſtentibus in ipſomet Archivio domùs, & a copia reperta in Archivio M. R. C. Nam in hac non apponitur, *Apud Urbem felicem Panormi*: in illa verò legitur.

Et demum in aliis copiis, & in aſſerto fideicommiſſo in teſtamento ordinato ſupponitur, quòd teſtator dixerit, quòd diſponere poterat de Statu Adernionis, in aliis verò de Statu Paternionis: quæ differentia præcipuè intercedit inter copiam M.R.C. & copias, quæ ſunt in Archivio domùs, & præſertim intercedere videtur inter eam, quæ ſupponitur extracta ſub anno 1576.

25 Quò fit, † ut, ſi duo inveniantur exempla inter ſe contraria vel diverſa; neutri ex eis credendum ſit, nec exempla fidem aliquam mereantur. *l. ſcriptura C. de fide inſtrum.* Soccin. *jun. conſ.* 2. *a n.* 10. *ad fin. lib.* 2. Gait. *de credit. cap.* 3. *tit.* 3. *&* 4. *n.* 66. Boer. *deciſ.* 37. *n.* 5. Mareſcott. *lib.* 1. *cap.* 82. *a n.* 6. Muta *in cap. ritbus* 101. *num.* 24.

26 Et quòd magis, † quòd neque in iis partibus probent, in quibus convenire videntur. Mareſcott. *var. lib.* 1. *cap.* 82. *a n.* 6. *ad* 12.

Atque inde reſultat, quòd ſi hoc in exemplis originalibus procedit; quid ergo dicendum de copiis copiarum, quæ pariter inter ſe differre videntur?

Illud autem hìc pro coronide animadvertendum eſt, quòd ex oppoſita copiarum multiplicitate, etiamsì omnes copiæ uniformes eſſent; nunquam poſſet aſſertum adminiculum reſultare: cùm in domùs Archivio una copia copiæ effectum multiplicitatis producerret, repetitio quidem ex eo ortum habet, quia, ut occaſio præbuit, Archivarius primam copiæ copiam multiplicavit: adeout, ſi de primo originali exemplo non conſtat; neque etiam de hujuſmodi prima copia copiæ, ſuper qua aliæ copiæ factæ ſunt, fruſtrà fiat recitatarum concluſionum examen.

Quæ quidem circumſtantiæ tanti fuerunt a Dominationibus Veſtris Ill. & admodum Spectabilibus in principio cauſæ præhabitæ, ut hujuſmodi teſtamenti productio, ut in ultima parte primi diſcursùs innuimus, in proceſſu permiſſa fuerit mediante actu, quem proviſionalem appellamus, ex quo omnia penitùs jura fuerunt taliter intacta favore Dominæ Clientis reſervata, ut nulla alia deberet ei fides adhiberi, quàm quæ de jure (quæ nulla eſt) facere potuiſſet: profectò ubi ſcriptura reperta in Archivio exhibetur, quæ eſt in forma probante, experientia nos docet, quòd abſque hujuſmodi actu præſentari ſoleat: adeout, ſi cum actu jam dicto noſtra copia præſentata reperitur; ſatis ſuperque de teſtamenti legali non exiſtentia etiam in promptu dubitatum fuiſſe credendum ſit.

DISCURSUS TERTII
PARS TERTIA & ULTIMA.

De celebri Titulo Principis Paternionis: de observantia clausulæ juris francorum in familia, tam quoad Statum, quàm quoad Titulum Principis: & de successione Status & Baroniæ Hyblæ majoris, seu Melilli.

SUMMARIUM.

Titulus Principis Paternionis inter supremos in Regno adscribitur. n. 1.

Titulus est quid distinctum a feudo, & potest a Principe independenter ab eo concedi. n. 2.

Titulus in Regno passim absque feudo conceditur, & super uno feudo duplex titulus constituitur. n. 3.

Titulus & dignitas super feudo imposita, regulatur juxta suam particularem investituram. n. 4.

Tituli concessio independenter a feudo, dicitur personalis, & non realis, & ad ejus successionem admittuntur vocati a primo tituli acquisitore. n. 5. *&* 6.

Affertur Adversarii objectio, quòd titulus Principis Paternionis sit realis, & a Statu inseparabilis. n. 7. *Respondetur tamen n.* 9. *& seq.*

Tituli concessio quando dicatur realis, quando personalis? latè declaratur n. 8.

Tituli realitas a Doctoribus in hac materia consideratur ad finem, quòd titulus sit perpetuus, & non temporalis. n. 9.

Tituli concessio in Regno dicitur realis, nempe perpetua, ex solita clausula in privilegio: ita quòd *&c. n.* 10.

Tituli primus acquisitor pretio mediante, potest de eo, tanquam de feudo novo & hæreditario, disponere. n. 11.

Amplia etiamsi diversa sit Status acquisitio & investitura. n. 12.

Titulus separatim a Statu judicandus est, ubi diversa est Tituli, quàm Status acquisitio. n. 13.

Clausula, ordine successivo, *importat, quòd res hæredibus juxta ordinem successionis, etiam ab intestato, deferatur: & quòd unus post alium succedere debeat. n.* 14.

Pretium tituli, juxta Neapolitanos, non venit in collatione. n. 15.

Limita in Regno Siciliæ ex decisionibus Trib. M. R. C. & Consistorii S. R. C. n. 16.

Facti series super successione Status & Baroniæ Hyblæ majoris, seu Melilli. n. 17. *&* 18.

Acquisitio facta ab hærede gravato, per transactionem ex jure fideicommissi, auget hæreditatem ad commodum personarum in eodem fideicommisso vocatarum. n. 19.

Am-

Amplia etiamsì nomine proprio, & ad dandum, vendendum, & alienandum fuisset facta acquisitio. n. 20.

Transactio facta ex pluribus causis sustinetur ex causa principali, etiamsì causa secundaria, remota, vel minus principalis deficeret. n. 21.

Jus prælationis potest legitimè conveniri, & in pactum deduci. n. 22.

Jus prælationis habens ex pacto in casu venditionis; sequuta venditione, principalis emptor reputatur, ac si cum eo ab initio facta esset venditio. n. 23.

Mutatio tituli juris ministerio, & absque ulla animi declaratione possessori permittitur. n. 24.

Fortiùs concurrente animi declaratione. n. 25.

Retentio fideicommissi competit hæredibus hæredis gravati pro creditis & benefactis in eo factis. n. 26.

Amplia tam in petitorio, quàm in possessorio. n. 27.

Filiæ fœminæ & hæredi ultimi possessoris feudi, competit immissio pro creditis & melioramentis, etiam adversus agnatum, cui est aperta successio. n. 28.

Manutentio conceditur in Regno pro creditis. n. 29.



Nter alios titulos & dignitates, quibus in Regno gaudet magnificentissima Moncatenorum familia, titulus † adscri-
1 bitur Principis Paternionis, qui de principalioribus in Regno est: post enim titulum Principis Buteræ, qui supremus in Regno dicitur, ac titulum Principis Castriveterani, qui secundus est; succedit ille Paternionis, qui proinde magni in Regno æstimatur. Titulus equidem Principis Petrapertiæ, qui tertius esset, in præsentiarum cum titulo Principis Buteræ confunditur, cùm uterque a Domino D. Nicolao Placido Branciforti præsenti meritissimo Principe Buteræ excellentissimè repræsentetur.

Titulus, inquam, hujusmodi a Domino Duce Sancti Joannis, etiam ex agnatione prætenditur, medio tamen perpetuę realis concessionis a Statu Paternionis inseparabilis: Si enim, inquit Adversarius, successio per agnationem in Statu Paternionis probata est; pariter quoad titulum Principis fundata videtur, non equidem suprema Principis D. Francisci illius acquisitoris dispositio attendi debet, sed fideicommissum venit observandum vel Comitis Guglielmi Raymundi IV. vel Comitis Joannis Thomæ, quæ, ut pro Statùs successione dictum est, agnatitia sunt: hic equidem est perpetuæ realis concessionis effectus, ut ii tituli successionem prætendere valeant, qui ex lege primæ investituræ ad Statùs successionem invitati videntur, non autem hæredes, quicunque fuerint, illius qui titulum acquisivit.

Si ergo medio realis acquisitionis a Statu inseparabilis tituli successio metienda foret, sicuti

eam Adversarius ex agnatione contendit, quia Statùs successionem ab agnatione regulandam esse confirmat; ità eam indubitanter suam diceret Domina Cliens: quoniam præsentem Statùs Paternionis successionem a regulari fideicommisso Comitis Guglielmi Raymundi IV. regendam esse, non autem a fideicommisso Comitis Joannis Thomæ, de cujus originali testamento neque constat, jam in prima atque secunda hujus discursùs parte usque ad satietatem probatum est.

Quia tamen, in rei veritate, non medio realis acquisitionis a Statu inseparabilis Titulus Principis quæsitus est, sed a Statu proculdubio separabilis; hinc ex dispositione Principis D. Francisci primi ejusdem tituli acquisitoris, seu mavis Principis D. Francisci II. qui ex clausula juris francorum, quæ ob mortem ab intestato Principis D. Cæsaris filii primogeniti Principis D. Francisci I. titulum perpetuò informavit, in titulo successit, & per eam tituli successionem metiendam esse confirmavit, Dominæ Clienti manutentionem possessionis esse concedendam, evidentissimis rationibus comprobabimus.

Jam verò, ut in facto notatum est, *anno* 1565. invictissimus recolendæ memoriæ Philippus hujus nominis Secundus, Hispaniarum & Siciliæ Rex potentissimus, animadvertens (*sunt quasi verba privilegii*) quantum Principi deceat, eos qui suo subjiciuntur imperio, atque benemeriti sunt, titulis & honoribus decorare, animoque revolvens servitia per Comitem D. Franciscum de Moncada Comitem Adernionis ipsi præstita, atque augustissimo nunquam delendæ memoriæ Carolo V. Cæsari suo genitori, ac ea quæ pariter Comes D. Antonius Comitis D. Francisci pater, laudabiliter præstitit. Sicuti etiam præ oculis habens ejusdem Comitis D. Francisci nobilitatem, animique dotes; arbitratus est, ipsum Comitem D. Franciscum imposterùm ampliori nomine illustrare.

Cùm autem Comes D. Franciscus Terram Paternionis, juxta formam suorum privilegiorum & investiturarum possideret, Terramque ipsam Principatùs titulo insigniri desideraret; eamobrem Rex, totius Sacri Consilii intercedente deliberatione, Comitem D. Franciscum de Moncada, & ejus hæredes & successores Principes Terræ Paternionis instituit, Terramque ipsam Principatùs titulo decoravit, Comitemque D. Franciscum, ejusque hæredes & successores, ordine successivo, Principes Terræ Paternionis elegit.

Volens Rex, ut deinceps Comes D. Franciscus, ejusque hæredes & successores prædicti omnibus & singulis prærogativis, præheminentiis, dignitatibus & aliis gaudere possint, quibus hujusmodi dignitate decorati potiti sunt, & potiuntur: itaut, in parlamentis & aggregationibus Titulatorum & Baronum Regni, & aliorum per Regem ipsum, suosve successores, & Proregem in Regno faciendis,

Co-

Comes D. Franciſcus, tanquam Princeps Paternionis, vocari, tractari & honorari debeat.

Statuens inſuper Rex, atq; declarans, quòd ipſum conceſſionis privilegium ſit & eſſe debeat Comiti D. Franciſco, ejuſque hæredibus & ſucceſſoribus prædictis, omni futuro tempore ſtabile, reale, validum, atque firmum, & quòd in judiciis & extra nullam patiatur impugnationem, ſed ſemper in ſuo robore & firmitate permaneat.

Atque demum Rex ſuum ſereniſſimum filium primogenitum Principem Carolum rogavit, & omnibus & ſingulis ejus Miniſtris, ac Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & Baronibus præcepit, ut, formâ privilegii diligenter inſpectâ, Comiti D. Franciſco, ejuſque hæredibus & ſucceſſoribus, tanquam Principi Terræ Paternionis, debitos honores auferri non permittant, ſi ſereniſſimus Princeps filialem amorem erga Regem ejus genitorem manifeſtare: cæteri verò officiales & ſubditi pœnam unc. mille regiis inferendarum ærariis, evitare voluerint.

Qua de cauſa fuerunt Regiæ Cameræ a Principe D. Franciſco ſolutæ unc. 1400. aliæque ab eodem Principe D. Franciſco pecuniæ erogatæ ſunt pro expenſis ad id neceſſariis.

Anno 1566. Princeps D. Franciſcus, hujuſmodi tituli primus acquiſitor, hæredem ſibi ſcripſit univerſalem, præſertim in titulo Principis Paternionis, Principem D. Cæſarem ejus filium primogenitum, proindeque in titulo liberè ſucceſſit Princeps D. Cæſar, & ex clauſula juris francorum Principi D. Cæſari ſucceſſit Princeps D. Franciſcus hujus nominis Secundus, quia Princeps D. Cæſar ejus pater ab inteſtato mortuus eſt.

Princeps autem D. Franciſcus II. in contractu matrimoniali inito cum D. Maria Aragona & la Cerda ſub *annis* 1584. & 1585. expreſsè voluit in hujuſmodi tituli ſucceſſione juris francorum clauſulam, per ſuos effectus declaratam, eſſe ſervandam: & quòd ille, qui ſuccedere deberet, maſculus vel fœmina eſſet, alternativam cum ſtatibus & familia uxoris obſervare deberet: adeout in una generatione ſucceſſor ſe cognominare obligatus eſſet cognomento Aragona, & titulum aſſumere Ducis Montisalti, & in alia generatione ſe cognominare cognomento de Moncada, & titulum ſuſcipere Principis Paternionis: ut uſque in hodiernum diem exequutum fuit; nam memoratorum jugalium primogenitus in una generatione de Aragona & Dux Montisalti vocatus eſt, & in alia generatione de Moncada & Princeps Paternionis appellatus fuit: ut Dux Montisalti & de Aragona dictus eſt Princeps D. Ferdinandus ultimus moriens, & de Moncada ac Princeps Paternionis Domina Cliens appellatur.

Quæ, cùm ita ſint, juriſque ſit abſolutiſſimi, quòd † titulus a feudo ſit quid diſtinctum & ſeparatum, 2

tum, & proinde quòd possit titulus a Principe concedi, vel ut feudo cohæreat, vel quòd ab eo nullo pacto dependeat. Camerar. *in l. Imperialem §. Praeterea ducatus col. 3. lit. O. fol.* 98. Ponte *conf.* 1. *n.* 56. *& seq.* Rovit. *conf.* 14. *n.* 9. *vers. quo fit. lib.* 1. Giurba *de feud.* §. *a glos.* 13. *n.* 90. *ampl.* 2. *& n.* 105.

3 Præsertim † in Regno nostro, ubi passim titulus absque feudo conceditur, & super uno feudo duplex titulus constituitur, ut de Principatu & Ducatu Sperlinghæ (nam Principatus ab uno absque Terra, & Ducatus ab alio cum Terra possidetur) ex relatione Nostratum testatur Pasqualinus *ad pragm. Regni Neapol. & de different. inter Siculos & Neapol. in different. disponendi inter vivos n.* 85. his verbis. *Item in eo Regno* (loquendo de Regno Siciliæ) *conceditur super feudo, & absque feudo, tituli dignitas, imò & super eadem re duplex, ut Ducatus & Marchionatus diversis personis, ut aspicimus. apud titulos de Sperlinga ad tradita per de Gregor.* de concess. feud. p. 2. quæst. 3. *& per alios infra citandos.* Et nosmetipsi testamur, cùm id nedum in sola Sperlinga, verùm etiam in multis aliis terris & feudis verificetur.

4 Sicuti etiam, cùm constantissimum in jure videatur, quòd † titulus & dignitas super feudo imposita, sicuti antiquam feudi formam alterare non potest, ità ab ea alterari non valeat, cùm bina dicantur feuda, unum novum consistens in qualitate addita, & alterum antiquum consistens in antiquo corpore: & cujuslibet feudi successio juxta propriam particularem investituram regulari debeat. Visconte *concl. jur. v. feudum antiquum in principio.* Molin. *de primogen. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 26. Luca *de feud. disc.* 44. *n.* 8. Mans. *consult.* 50. *n.* 17. 18. *& n.* 26. *&* 27. *à vers. Il terzo capo to.* 1. Montan. *de regal. in tit. quæ sint regalia quæst.* 7. *n.* 36.

Atque pariter, cùm pro certo habendum sit, quòd † si tituli 5 concessio fiat independenter a feudo, dicatur personalis, quia persona titulum acquirentis contemplata videtur: si verò fiat, ut feudo cohæreat, realis appellatur, quia ad rem respectus habitus est.

Et demum, cùm communis atque recepta sententia ferat, quòd ubi concessio realis est, & a feudo inseparabilis, ii ad tituli successionem admittuntur, qui ad feudi successionem admissi sunt: si verò † personalis, & a feudo separabilis, ii in titulo succedere debent, 6 qui ad ejusdem successionem ex providentia personæ, quæ titulum quæsivit, invitati leguntur. Ponte *cit. conf.* 1. *n.* 56. *& seq.* Teodor. *allegat.* 31. *n.* 31. *& seq.* Rovit. *super pragm.* 1. *tit. de titulatorum abusu n.* 15. *& in cit. conf.* 14. *n.* 9. *vers. quo fit. lib.* 1. Giurb. *de feud.* §. 2. *glos.* 13. *n.* 90. *ampl.* 2. *& n.* 105. quos refert & sequitur Pasqualin. *different. disponendi inter vivos n.* 85. *vers. verùm cessat.*

Recto jure dicebam, quòd successio tituli Principis Paternionis ad Dominam Clientem indepen-

den-

denter a fideicommisso Comitis Guglielmi Raymundi IV. pertinere dignoscitur: cùm enim titulus Principis Paternionis, independenter a Statu, Principi D. Francisco concessus fuerit, & proinde personalis sit, atque in eo persona Principis D. Francisci contemplata videatur, & etiam lex in concessione data fuerit, ex qua hæredes Principis D. Francisci, quicunque essent, non autem Status successores ad tituli successionem admissi videntur; consequens est, quòd Domina Cliens ex providentia vel ipsius Principis D. Francisci I. qui titulum acquisivit, vel Principis D. Francisci II. si per mortem ab intestato Principis D. Cæsaris ejus patris clausula juris francorum perpetuò introducta non fuit, atque per regularem primogenituram, quæ ab ipso Principe D. Francisco II. instituta est, debeat ad successionem admitti.

7 Verùm, † quòd realis dici concessio debeat, & a feudo inseparabilis, ac proinde quòd non hæredes Principis D. Francisci, sed sequentes in Statu Paternionis successores ad tituli successionem admittendi veniant, opponit Adversarius, ex eo quia Rex hujusmodi titulum, inseparabiliter a Statu Paternionis, concessit, atq; non personam Principis D. Francisci, sed Statum Paternionis respexit: adeout eos, qui in Statu succedere valent, ad tituli successionem pariter admissos declaraverit, non autem hæredes ipsius Principis D. Francisci quicunque fuerint: ipsi enim, ac etiam persona Principis D. Francisci, nullo pacto fuerunt in tituli concessione contemplati. Equidem (ait Adversarius) in proœmio privilegii, a quo causa finalis inspicitur, Rex in eo consistere Principis D. Francisci desiderium affirmavit, quòd Terram Paternionis erectam cupiebat in Principatum, per hæc verba. *Cùm igitur acceperimus nimis cupere Terram Paternionis, quàm in præcitato ulterioris Siciliæ Regno tenet & possidet in feudum a nobis & Curia nostra cum ipsius castris, terris, casalibus, hominibus, vasallis, vasallorumque redditibus, vel actionibus, jurisdictionibus, & integro eorum statu, aliisque pertinentiis, juxta formam suorum privilegiorum & investiturarum, in Principatus titulum decorari, illustrari & insigniri &c.*

Et, ut narrativæ (prosequitur Adversarius) privilegii dispositiva correspondere, Rex ipse in dispositiva Terram Paternionis in Principatum erexit, & in hujusmodi Principatùs erectione verbis usus est præteritum tempus importantibus. Dictum est enim: *Terramque ipsam Paternionis atque illius membra & districtum in Principatùs titulum ereximus, insignivimus & illustravimus &c.* Et immediatè per verba præsens tempus denotantia dictum fuit: *Et prædictum D. Franciscum de Moncata, ipsiusque hæredes & successores Principes dictæ Terræ Paternionis facimus, constituimus, creamus, & perpetuò reputamus.*

Ex hoc enim dilucidò constat (con-

(concludit Adversarius) quòd votum Principis D. Francisci fuit Terram Paternionis erectam in Principatum habere, & quòd Rex taliter petitis annuit, ut priùs Terram Paternionis in Principatum erexerit, & subsequenter Comitem D. Franciscum & ejus hæredes & successores Principes Paternionis creaverit: atque ex locutione per verba præteriti temporis in erectione Terræ Paternionis in Principatum interiecta manifestè Rex demonstravit, quòd ex parte ante, ordine intellectùs, Terram Paternionis Principatu illustraverat, & in expeditione privilegii, nempe ex parte post, de eo Principem D. Franciscum investierit, ac personam ipsius Principis D. Francisci propter Statum Paternionis consideraverit.

8 Distinctio siquidem † in materia, de qua agitur, circumfertur, quòd quando Rex priùs Castrum ita illustratum Vasallo concedit, vel Castri concessionem confirmat; tituli concessio realis sit, & a Castro inseparabilis. Ubi verò Rex titulum Vassallo elargitur, & deinde Castrum in titulum erigit; concessio personalis appelletur, & a Castro separabilis: atque primo casu dicatur Rex respexisse personam Vasalli propter rem, & secundo casu præsumatur Regem respexisse rem propter Vasallum, seu principaliter respexisse rem, & secundariò & in consequentiam respexisse Vasallum, vel è converso: & consequenter, ubi concessio tituli vel dignitatis realis est, & a feudo inseparabilis; qui succedit in feudo, succedit in titulo vel dignitate: ubi verò concessio est personalis & a feudo separabilis; is in titulo succedit vel dignitate, quem primus acquisitor vel concessionarius destinaverit, ut omnia hæc affirmant *Doctores omnes superiùs a nobis recensiti*.

Ut ergo † Adversarii oppositio 9 resolvatur, altius repetenda res est, & cùm punctus stet in applicatione, universum privilegii tenorem examinare juvabit: atque si non obstantibus iis, quæ ex adverso allegata sunt, priùs Comes D. Franciscus Princeps creatus fuit, dein verò Terra Paternionis Principatùs titulo decorata est, sicuti etiam si Rex personam Comitis D. Francisci principalissimè respexit, & secundariò, in consequentiam & propter personam Comitis D. Francisci Statum Paternionis consideravit, ut reverà ita factum fuisse probatum ibit; nostra tituli concessio personalis judicabitur, & Domina Cliens succedere debebit, quæ a primis tituli acquisitoribus vocata est.

Inspecto igitur privilegii prœmio, a quo regulariter universa pendere solet concessionis dispositio, persona Comitis D. Francisci considerata videtur, & ipsius intuitu & contemplatione concessionem factam fuisse demonstratur: causa equidem finalis ea in genere dicitur, quòd Principi deceat personas suorum subditorum honoribus decorare, ac in specie affirmatur, quòd ex servitiis a Comite D. Francisco, fuisque

que atavis præstitis, Rex personam ipsius Comitis D. Francisci majori ornatu, ac ampliori nomine cumulare intendebat: ita enim Rex in genere affirmat. *Illustres semper Principes, quibus maximè fuit curæ, ut qui illorum imperio subduntur, non modò in pace & quiete regerentur, sed titulis & honoribus decorarentur; nihilominus prius habuerunt quàm, ut illos in se præ reliquis affectos perhumanè tractarent, ac omni honore prosequerentur &c.* Et subsequenter in specie Rex ita prosequitur. *Quare volventes animo singularem devotionem, integerrimam fidem, strenuam operam, ac egregiam animi virtutem, quibus erga ministerium Invictissimi Caroli nunquam delendæ memoriæ, parentis nostri, fidelis sincerè dilectus D. Franciscus de Moncata Comes de Adernò, variis in modis, ac in expeditionibus, quæ in præfato nostro ulterioris Siciliæ Regno se obtulerunt, se præbuit: necnon cùm trium Regni præfati Vallium curam suscepit, ubi non parum de republica benemeritus extitit, & modò silentio prætereamus servitia per D. Antonium de Moncada ejus patrem præstita, cùm præfatum Regnum civilibus bellis æstuaret. Ubi magno amicorum ac aliorum manu collata extremæ audaciæ obviam facti, magnum suæ vitæ discrimen subiit: necnon cùm Venetorum classis ad Augustæ portum applicaret, ut ipsam Civitatem devastaret; ibi se adeò solertem, Regnique rerum studiosum exhibuit, ut Urbis excidio valdè fuerit opitulatus: accedente & ad hæc ipsius familiæ nobilitate, aliisque animi sui dotibus, quæ ipsum erga nos benemeritum reddunt; meritò arbitrati sumus ipsum ampliori nomine imposterùm decorandum esse.*

Inspecta etiam privilegii dispositiva, nedum contemplatio personæ Comitis D. Francisci apertè confirmatur, verùm etiam apertissimè ostenditur, quòd Rex prius Comitem D. Franciscum, ejusque hæredes & successores Principes Paternionis elegit, & deinde, nempe secundariò, in consequentiam & propter personam Comitis D. Francisci Terram Paternionis Principatùs titulo illustravit. Dixit enim Rex in privilegii dispositiva. *Nosque his votis suis satisfacere cupientes, tenore præsentium cunctis perpetuò temporibus valiturarum, de certa nostra scientia, Consiliique nostri penès nos assistentis matura deliberatione præhabita, ex gratia speciali, regiaque auctoritate nostra, præfatum D. Franciscum Moncata, ipsiusque hæredes & successores Principes dictæ Terræ Paternionis facimus, constituimus, creamus, & perpetuò reputamus.* Et deinde ità subjunxit. *Terramq; ipsam Paternionis, atque illius membra & districtum in Principatùs titulum ereximus, insignivimus & illustravimus.*

Ex quibus omnibus fit, quòd persona Comitis D. Francisci principalissimè contemplata fuerit, & quòd prius Comes ipse D. Franciscus Princeps electus sit, & secundariò fuerit denotata Terra, super qua titulus imponi debebat: adeout de tituli personalitate, & de libera disponen-

di facultate in Principe D. Francisco dubitari non valeat.

Verumtamen negari non potest, quòd, ut opposuit Adversarius, Rex in proœmio concessionis postquàm affirmavit benemeritas Vasallorum personas esse honoribus decorandas, & personam Comitis D. Francisci, ob sua & suorum servitia, ampliori nomine esse illustrandam; subjunxerit, quòd propterea Comes D. Franciscus cupiebat Terram Paternionis in titulum Principatùs habere.

Sed per hoc nemo affirmabit, quòd principale Comitis D. Francisci desiderium in eo constiterit, quòd Terra Paternionis in Principatum erigeretur, neque quòd Rex principaliter Terram Paternionis respexerit, cùm non Terræ servitia, sed Comitis D. Francisci & suorum enuncientur, & Terra Paternionis non ut de per se in Principatum erigeretur, sed ut haberetur res, super qua titulus imponi debebat, inspecta est: adeout secundariò, in consequentiam & propter personam Comitis D. Francisci Terra Paternionis considerata videatur.

Quod adeò verum est, ut subsequenter persona Comitis D. Francisci titulo Principis decorata fuerit, & deinde Terra Paternionis non in Principatum erigitur, sed Principatus titulo, quo antea C. D. Franciscus fuerat insignitus, illustratur. Valdèque notandum est, quòd Rex in privilegio, ubi ea utitur potestate ad actum faciendum necessaria, & ubi clarissimos Senatores ad actùs firmitatem adhibuit in sequelam præcedentis narrativæ, in qua Rex ipse personam Comitis D. Francisci respexerat, & pariter Terram Paternionis Principatùs titulo decorare pollicitus erat; non Terram Paternionis in Principatum erexit, sed Comitem D. Franciscum Principem creavit, atque deinde Terram eo Principatùs titulo insignire dignatus est, quem Comiti D. Francisco, ejusque hæredibus & successoribus jam elargitus erat: dicit enim Rex, ut iterum verba privilegii inserere licebit. *Nosque his votis suis satisfacere cupientes, tenore præsentium cunctis perpetuò temporibus valiturarum, de certa nostra scientia, Consiliiq; nostri penès nos assistentis matura deliberatione præhabita, ex gratia speciali, regiaque auctoritate nostra, præfatum D. Franciscum de Moncata, ipsiusque hæredes & successores Principes dictæ Terræ Paternionis facimus, constituimus, creamus, & perpetuò reputamus*. Et deinde subjungit. *Terramque ipsam Paternionis, atque illius membra & districtum in Principatùs titulum ereximus, insignivimus, & illustravimus*.

Profectò clarioribus verbis Rex suum conceptum exprimere non poterat, ut principalissimè personam Comitis D. Francisci respexisse demonstraret: atq; quòd propter personam Comitis D. Francisci Statum Paternionis Principatùs titulo illustraverat, si postquàm in proœmio de persona Principis D. Francisci loquutus erat, & desiderium, quod habebat, expresserat; in principali privilegii

gii dispositiva, & ubi suos consuluit eximios Senatores, Comitem D. Franciscum Principem fecit, ipsiusque hæredes & successores Principes Paternionis instituit, & subsequenter Terram Paternionis titulo Principatùs insignivit: hujusmodi enim Terræ Paternionis mentio in tituli concessione non ad alium finem facta est, nisi ut subjectum ostenderetur, super quo titulus imponebatur, non autem ad realitatem illam ostendendam, ex qua non hæredes Principis D. Francisci, sed in Statu successores succedere deberent: in omnibus equidem & per omnia persona Comitis D. Francisci considerata videtur.

Neve aliquod dubium fortè in privilegii explicatione intercederet, aut aliquis diceret quòd finaliter Rex tituli concessionem per erectionem Terræ Paternionis in Principatum explevit; post verba transcripta immediatè iterum Rex Comitem D. Franciscum, ejusq; hæredes & successores Principes Paternionis confirmavit hisce verbis, quæ pariter iterum repetam: *Et prædictum D. Franciscum de Moncata, ipsiusque hæredes & successores Principes dictæ Terræ Paternionis facimus, constituimus, creamus, & perpetuò reputamus.*

Atque subsequenter in omnibus privilegii partibus Rex Comitem D. Franciscum & suos hæredes & successores Principes Paternionis confirmare visus est: si enim in sensu Adversarii titulum Principis pro successoribus in Terra Paternionis Comes D. Franciscus acquirere intendebat; non ea forma, quæ hæreditaria est, sed sub diversa concessionem sibi fieri curasset: quod omnem prorsùs tollit difficultatem, ut inferiùs replicabimus.

Neque allegatis resistit circumstantia per Adversarium ponderata, quòd per verba præteriti temporis Status Paternionis titulum Principatùs adeptus fuit. Etenim promiscua esse solent in instrumentis, atque in privilegiis verba præteritum & præsens tempus denotantia, ac ea formula est, qua Cancellarii utuntur in privilegiorum expeditione: unde, si quid scrupuli in hujusmodi subtilissima reflexione intercederet, ab antedictis, quæ favore Dominæ Clientis dicta sunt, absorbetur.

Cessat igitur ex omnibus huc usque dictis conclusio ab Adversario allegata, quòd ex iis, quæ a nobis cumulata videntur, hujusmodi concessio mixta censeri valeat: & quòd proinde cùm realitas prævalere debeat personalitati, concessio realis habenda sit, non autem personalis. Etenim
9 † Doctores, qui in contrariùm allegantur, atque allegari possunt, non de ea realitate pertractant, super qua nostra quæstio cadit, sed de ea, per quam tituli concessio perpetua judicanda est, non autem temporalis (qnod non negamus, quinimò perpetuitatem sustinemus) ut in materia notabiliter advertit Ponte *cit. conf.* 1. *n.* 65.

Atque, inquam, conclusio cessat, quia † in Regno nostro titu- 10

lotum concessiones reales sunt, nempe perpetuæ ex verbis illis in privilegiis apponi solitis (quæ in nostro privilegio intercedunt) *Ità quòd præsentis tituli concessionis privilegium sit & esse debeat omni futuro tempore stabile, reale & firmum &c.* ut pariter advertit Mastrill. *de magistr. lib. 4. cap. 10. n. 42. to. 2.*

Quatenus autem in casu nostro de ea realitate tractandum esset, quæ prævalere deberet personalitate; extrema adapplicandam conclusionem non essent habilia: in nostro siquidem themate non æquè principaliter concurrunt realitas & personalitas, sed personalitas principaliter, & realitas secundariò & in consequentiam considerata videtur, atque ad rem propter personam respectus habitus est: quamobrem hujusmodi quæstionis examen aggredi non debemus, illud enim casus noster non admittit, dum personalitas clara est, indubitabilis, & quæ nulla potest mixtione realitatis obumbrari.

Sicuti etiam cessare videtur alia conclusio, quòd in dubio sit pro realitate judicandum: quoniam de ea realitate loquuntur Doctores, quæ perpetuitatem importat, ut supra dictum est, & cùm in claris versemur: nam principalissimum Principis D. Francisci votum id fuit, ut Princeps creatus esset, eaque dignitate gauderent sui hæredes & successores, & secundariò in consequentiam & propter personam ipsius Principis D. Francisci Terra Paternionis, super qua titulus imponi debebat, in Principatum erecta videretur; allegata Adversarii conclusio in casu nostro neque etiam debet examinari.

Cæterùm de nostri tituli personalitate, atque quòd potuerit unus possidere statum, & alter titulum, & quòd habitus fuerit respectus ad rem propter personam, & quòd totaliter a Rege fuerit persona Principis D. Francisci considerata, in dubium revocari non potest: cùm enim nullus alius magis quàm Rex & Princeps D. Franciscus scire potuissent quidnam petitum, quidnam concessum fuerit; & Rex & Princeps D. Franciscus personalitatem eodem numero modo, quo nos usque adhuc exposuimus, declararunt.

Profectò Princeps D. Franciscus obtento, ut dictum est, *anno* 1565. privilegio, quòd superius examinatum fuit, non curavit infra annum ad præscriptum nostrarum legum privilegii exequutorias: annoque jam elapso, ad Regem recursum habuit, & rescriptum obtinuit Regni Proregi directum, in quo mandatum est, quòd non obstante lapsu anni, privilegium exequutioni tradatur: eoque in rescripto declarat Rex, tituli concessionem id importasse, quòd Comes D. Franciscus Princeps Paternionis creatus erat, nempe quòd super Terra Paternionis titulus impositus erat, non autem quòd Status Paternionis in Principatum erectus fuerat: adeo ut implicitè declaratum ab ipsomet Rege videatur, quòd principaliter titulus Principis personæ

Co-

Comitis D. Francisci concessus fuerit, & quòd in consequentiam super Terra Paternionis titulus Principis appositus sit: verba sacrarum regiarum literarum hæc sunt. *Por parte del Conde de Adernò nos hà sido hecha relazion, que haviendole hecho gracia y merced* del titulo de Principe sobre la Tierra de釋釋Paternò, *ha dejado por algunos impedimientos de presentarle dentro del año: supplicando nos, que, no obstante el dicho defecto, fuessemos servidos proveer, que se le execute y cumpla. Y porque en consideerazion de lo que su persona, y buenos servizios merezen, lo havemos tenido por bien, y queremos, que la grazia suerta su devido efecto, y cumplimiento &c.*

Omnis tamen controversia cessabit, si, ut supra tetigimus, allegatis adjungatur, quòd in nova feudi acquisitione pretio mediante versamur, & forma, quæ a Rege data fuit, hæreditaria est: titulus enim Principis Paternionis Principi D. Francisco & suis hæredibus & successoribus concessus fuit, quod formam hæreditariam indicat, ac proinde demonstrat, quòd nedum persona Principis D. Francisci totaliter contemplata fuerit, & quòd non realis, sed personalis fuerit acquisitio, verùm etiam
11 quòd † Princeps D. Franciscus de titulo ad sui libitum tanquam de feudo novo & hæreditario disponere potuerit: ut in puncto firmavit Mastrill. *de magistr. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *per tot.* Profectò
12 † status possessor, qui titulum emit, eò ipsò quòd diversa est tituli, quàm status acquisitio, de titulo liberam habet disponendi facultatem. Luca *de feud. disc.* 45. *n.* 11.
Factaque † status & tituli separata 13
acquisitione, de titulo separatim a statu judicandum est. Boscol. *in controv. feud. impressa penès* Luca *de feud. artic.* 3. *ex n.* 110. Idem Eminentiss. Card. de Luca *de feud. disc.* 4. *&* 5. *& citato disc.* 45. *n.* 8.

Iterum tamen replicat Adversarius, quòd nihilominus acquisitio personalis non sit, atque quòd tituli realitas ex ipsamet forma succedendi in privilegio adnotata, confirmetur: non enim hæredes & successores Principis D. Francisci quicunque fuerint, quasi forma hæreditaria esset, sed tantùm in Statu successores ex concessione ad tituli successionem admittuntur, quia titulus Principis Paternionis Principi D. Francisco & ejus hæredibus & successoribus concessus est, adjuncta clausula *ordine successivo*, quæ primogenituram concludit, & proinde formam pactionatam, ac expressam realitatem, & Statui aggregationem.

Atque etiam quia (*prosequitur Adversarius*) in concessione clausula legitur, quòd, in parlamentis & aggregationibus titulatorum & Baronum Regni, Princeps D. Franciscus, ut Principatùs dignitas postulabat, tractari & reputari deberet: profectò in parlamentis merè titulati intervenire non possunt, sed eos capaces reddit ad interessendum feudi possessio: unde est, quòd si tituli concessio iis facta est, qui in parlamentis intervenire

venire debebant; de illis Principis D.Francisci hæredibus & successoribus Rex loquutus fuit, qui imposterùm etiam Terræ possessores existerent, non autem de puris Principis D. Francisci hæredibus & successoribus, qui etiam extranei esse poterant, & absque feudo: his enim, quamvis titulatis, sessio in parlamentis interdicta est.

Sed neque ex eis tituli personalitas immutabitur, quinimò, ut dictum est, personalitas confirmata remanebit: si enim clausulam consideramus, quòd hæredes & successores Principis D. Francisci *ordine successivo* Principes Paternionis esse debebant; asserta realitas & vocatio successorum in Statu non resultabit, ex eo quia in ea parte privilegii, ubi primùm de hæredibus & successoribus Principis D. Francisci mentio facta est, clausula hujusmodi apposita non legitur, sed in una tantùm privilegii parte scripta conspicitur, ubi jam Comes D. Franciscus Princeps creatus erat, & sui pariter hæredes & successores simpliciter Principes nominati fuerant, & subsequenter sub dictione *prædicti* vel *prædictis*, de iis efficitur sermo, quibus supra concessio facta fuerat, qui hæredes tantùm & successores esse poterant absque clausula, quòd id ordine successivo intelligendum esset.

Rursùs asserta concessionis realitas non resultabit, quoniam
14 † clausula, *ordine successivo*, nihil aliud importat, nisi quòd res hæredibus secundùm ordinem successionis, etiam ab intestato, incontrovertibiliter deferatur, & quod unus post alium succedere debeat: ex traditis a Fusar. *de substit. quæst.* 485. *a n.* 50. Rocca *disput. cap.* 9. *n.* 6. *to.* 1. & innumeri penès eum.

Quamobrem non ex eo, quòd in titulo unus post alium ex hæredibus & successoribus Principis D. Francisci ad successionem admitti debebat, tituli realitas inferri potest, ut desumi non valeret ex alio, nempe quòd aliquando clausula *ordine successivo*, adjunctis aliis clausulis, primogenituræ ordinem præseferre videatur: etenim etsì clausula ipsa etiam sola, ut credit Adversarius, primogenituram importaret; adhuc tamen nihil ad punctum: quod enim unicus esse debeat tituli successor, non negamus: quòd autem hujusmodi successor is necessariò esse debeat, qui in Statu successurus est, concedere non possumus: quinimò expressè concludimus, quòd cùm per clausulam *ordine successivo*, ut dictum est, etiam successio venientiùm ab intestato celebretur; nulli dubium, quin per eam personalitas acquisitionis evidentissima fiat: si enim realis esset tituli acquisitio, venientes ab intestato admissi non fuissent.

Si verò aliam clausulam attendimus, ex qua in consessu Titulatorum Regni, atque Baronum, Princeps D. Franciscus admitti debebat, & post eum, sui hæredes & successores, qui si Statum Paternionis non possiderent, in parla-

la-

lamentis intervenire non potuissent: adeout præsumendum sit, quòd de illis hæredibus & successoribus Rex loquutus fuerit, qui etiam in Statu succedere debebāt; & ex ea pariter tituli personalitas non removetur: siquidem per accidens se haberet, quòd tituli possessor cùm Statum non possideret, in Regni Comitiis non interveniret: semper enim Regis voluntas diceretur adimpleta, si tantùm, exceptis Regni comitiis, in aliis titulatorum functionibus successor Principis D. Francisci Statùs Paternionis non possessor interesset: hujusmodi equidem titulorum possessores absque feudo, comitiis exceptis, omnibus iis gaudent præheminentiis, quibus alii titulati cum feudo, juxta titulorum acquisitionis tempora, gaudere solent.

Casus autem hujusmodi rarissimus esset, cùm regulariter Princeps D. Franciscus si non in primogenito, in altero ex propriis filiis de titulo disponere debebat, cui, si Paternionum deficiebat, alius Status non deficeret, ex quo potuisset in parlamentis interesse.

Verùm Adversarii oppositio in facto non sustinetur: in ea enim clausula, ubi Rex de sessione in parlamentis loquutus fuit, soli Principi D. Francisco sessionem concessit, non autem ejus hæredibus & successoribus: quippe in omnibus concessionis clausulis de hæredibus & successoribus Principis D. Francisci Rex fecit mentionem; in hujusmodi verò, in qua de sessionibus in parlamentis sermo factus fuit, nihil penitùs de hæredibus & successoribus Principis D. Francisci dicere visus est.

Unde est, quòd ex hac discretiva loquutione mirificè, etiam juxta Adversarii argumentum, tituli personalitas, atque libera de titulo disponendi facultas in Principe D. Francisco confirmatur: siquidem ubi dictum fuit, quòd Comes D. Franciscus Princeps Paternionis creabatur; additum etiam videtur, quòd ejus hæredes & successores Principes Paternionis creabantur: ubi pariter repetitum fuit, quòd Comes D. Franciscus titulo Principis erat insignitus; etiam de ejus hæredibus & successoribus ordine successivo mentio facta est: ubi Rex decrevit, quòd Comes D. Franciscus omnibus prærogativis & privilegiis gaudere debebat, quibus omnes alii hujusmodi titulo decorati gaudere solent; pariter de hæredibus & successoribus sermo factus fuit: ubi verò de parlamentis & aliis titulatorum & Baronum aggregationibus Rex loquutus est; de solo tantùm Comite D. Francisco sermonem facere videtur, non autem de ejus hæredibus & successoribus.

Ex hac enim, inquam, discretiva loquutione manifestè demonstratur, quòd, quia hæredes Principis D. Francisci quicunque fuissent, titulo Principis in genere gaudere poterant; Rex de eis semper fecit mentionem: quia verò in parlamentis solus Princeps D. Franciscus interesse poterat, quia feudatarius erat, & poterat

esse

esse & abesse, quòd Princeps D. Franciscus titulum Principis filio suo primogenito reliquisset, vel illum alienasset; eamobrem in ea clausula Rex de solo Principe D. Francisco, non autem de suis hæredibus & successoribus fecit mentionem. Adeout si Princeps D. Franciscus de titulo in personam successoris in Statu disposuisset, útique illi sessio in parlamentis concedenda esset: si autem alter a Principe D. Francisco in titulo Principis institueretur, qui Statum Paternionis, vel aliud feudum non possideret; ex forma concessionis hujusmodi successor in parlamentis intervenire non posset. Verba privilegii hæc sunt. *Itaut in parlamentis & aggregationibus titulatorum & Baronum dicti Regni, & aliorum per nos aut successores & Proreges in dicto Regno pro tempore existentes faciendis, tanquam Princeps Terræ prædicta, vocari, tractari & bonorari debeat, & a nobis & ipsis suam dignitatem, gradum & locum observari, prout solitum est.*

Insuper, cùm subsequenter Rex concessionis perpetuitatem, atque ipsius perpetuam exequutionem demandaverit; iterum de hæredibus & successoribus Principis D. Francisci facit mentionem: adeout evidenter ostendat, quòd etsi in omnibus & per omnia Principis D. Francisci hæredes, quicunque fuerint, pro tituli successione respexerit; in ea tamen clausula, in qua voluit, quòd Princeps D. Franciscus in parlamentis interesse poterat, suos hæredes & successores non nominavit: ipsos equidem, ut Adversario placet, si Statum Paternionis non possiderent, sessionem in parlamentis admittere non intendebat. Postquàm igitur Rex pro sessionibus in parlamentis de solo Principe D. Francisco, ut visum est, loquutus fuerat, ità immediatè subjunxit. *Statuentes & declarantes expressè, quòd præsentis tituli concessionis privilegium sit & esse debeat eidem D. Francisco de Moncata, ejusque bæredibus & successoribus prædictis futuro tempore stabile, reale, validum & firmum, nullumque in judiciis aut extra sentiens dubietatis objectum, defectus, incommodum, aut noxa cujuslibet detrimentum, sed in suo semper robore & firmitate perseveret: fidelitate tamen nostra, nostrisque aliis & alterius cujusvis juribus semper salvis, Serenissimo propterea Carolo Principi Asturiarum & Gerundæ, filio primogenito nostro charissimo, ac post felices & longævos dies nostros in omnibus regnis & dominiis nostris, Deo propitio, immediato bæredi, & legitimo successori, intentum aperientes nostrum, sub paterna benedictionis obtentu, dicimus, eumque rogamus, spectabilibus verò, magnificis, dilectis Consiliariis & fidelibus nostris Proregi generali nostro, Magistro Justitiario, ejusque Locumtenenti, Judicibus M. R. C., Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Conservatori nostri Regii Patrimonii, Advocato quoque & Procuratoribus fiscalibus, & præsertim quibuscumque Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus & Baronibus*

nibus prænominatis nostri ulterioris Siciliæ Regni, cæterisque demum universis & singulis officialibus & subditis nostris majoribus & minoribus, quocunque nomine nuncupatis, officio, titulo, auctoritate & potestate fungentibus in eodem Regno constitutis & constituendis, dicimus, & districtè præcipiendo, mandamus, quatenus formâ præsentium per eos & eorum quemlibet diligenter inspectâ, illam eidem D. Francisco de Moncata, suisque hæredibus & successoribus prædictis tenentes firmiter & observantes ipsos tanquam Principes dictæ Terræ habeant, reputent, honorificent, atque tractent, & contrarium non faciant, aut fieri permittant ratione aliqua, sive causa, pro quanto dictus Illustris Princeps nobis morem gerere cupit: cæteri autem officiales & subditi nostri prædicti, præter iræ & indignationis nostræ incursum, pœnam unc. auri mille, nostris inferendarum ærariis, cupiunt evitare.

Quidquid sit de relatione ab Adversario facta, quòd litera clausulæ sessionis in parlamentis etiam hæredes & successores Principis D. Francisci comprehendat: quoniam nec in nostro codice, neq; in registro regiæ Cancellariæ, quod originaliter inspeximus, mentio hæredum & successorum reperta est.

Tandem verò, ut omnes prorsùs cessent amaritudines, atque manifestum appareat, quòd in titulo Principis Paternionis Domina Cliens independenter a Statu succedere debeat, præmissis omnibus addendum est, quòd quatenus per possibile dubitandum veniret, an forma, quæ in tituli concessione impressa videtur, pactionata esset; non per hoc Princeps D. Franciscus primus tituli acquisitor ex ea ligatus remansisset: juris etenim est indubitati, quòd primus feudi quæsitor forma non ligatur, adeout cùm deinde Princeps D. Franciscus in suo testamento de titulo liberè disposuerit, & Princeps D. Cæsar ejus filius ab intestato decesserit; Domina Cliens ad tituli successionem admittenda est, vel ex clausula juris francorum, a qua per mortem ab intestato Principis D. Cæsaris, titulus perpetuò informatus remansit, vel ex dispositione Principis D. Francisci II. qui in sæpiùs citatis tabulis nuptialibus, quæ in viridi stant observantia, apertè clausulam juris francorum esse servandam, cum expressa suorum effectuum declaratione, præcepit.

In hujusmodi autem nostra ultima propositione trepidandum non est: ipsa quidem in eo fundata videtur, quòd duplex censeri debeat, nempe una feudi, & altera tituli investitura, & quòd titulus novum feudum sit a feudo antiquo independens, quæ cùm superiùs ad hominem probata fuerint, atque pariter id affirmet litera nostri privilegii, in qua Vasalli fidelitas ac servitium reservata sunt; nullam penitùs subire valent contradictionem.

Rursùs de memorata propositione dubitandum non est, quia in eo pariter fundata videtur, quòd

quòd de titulo separatum juramentum exigitur, ut usque in hodiernum diem observatur: atque pretium tituli & expensæ ad ejusdem acquisitionem necessariæ, si fortè a Barone de proprio factæ sunt, veniunt favore secundogenitorum in collatione.

15 Quamvis autem † in Regno Neapolis, secundùm opinionem Andreæ, pretium tituli & expensæ, etiam quòd titulus Castro fuisset annexus, non veniant in collatione, cùm ille potiùs onus, quàm emolumentum reputetur;
16 in nostro tamen † Regno pretium & impensæ ad tituli acquisitionem erogatæ, tanquam pro acquisitione feudi novi, veniunt in collatione contra primogenitum, qui in titulo vel ex aggregatione, vel ex clausula juris francorum solus successit: etenim de feudo novo tractatur, & pretium & impensæ in arca patris existere dicuntur: ut decisiones Tribunalis Magnæ Regiæ Curiæ, & Tribunalis Consistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ pro titulo Principatùs Buteræ punctualissimè refert Pasqualinus *in different. inter Sicul. & Neapol. in differ. extravag. vers. in feudorum titulo n. 1. ad* 10. *f.* 428. his verbis.

In feudorum titulo, seu dignitate Ducatus &c. empto a patre, succedit filius primogenitus, nec tenetur contribuere partem pretii cæteris filiis, ut è l. §. nec castrense, §. sed an hic, de collat. bonor. *& ità hic observatur Rovit.* in prag. 1. de titul. abus. a n. 72. *quia hæ dignitates titulares plus habent oneris, quàm emolumenti, Capyc.latr.* consult. 23. n. 74. *& quòd pretium dignitatis feudo annexæ, primogenitus non teneatur communicare secundogenitis, probant de Marinis* in sua alleg. 148. *de Luca* de feud. disc. 9. a n. 17. disc. 46. n. 3. *Boscolus* in sua controver. 3. art. 5. n. 112. & 113. apud eundem *de Luca* vide *D. Cresp. de Valdaura* in sua celebri obser. 117. lib. 2. a n. 165. *& ibidem operosè differit de Titulorum & Grandium Hispaniarum dignitate.*

Verùm in illo Regno de anno 1638. sub die 16. Junii in causa Marchion. Licodiæ fuit decisum, quòd pretium tituli Principatùs Buteræ habeatur tanquam burgensaticum, ac proinde teneatur hæres feudi, & ejusdem tituli feudo annexi, id pretium solvere hæredi in allodialibus: & postmodum introducta causa via revisionis in S. R. C. & disceptato eo articulo; fuit consideratum, quòd titulus soleat concedi, etiam sub onere fidelitatis, & servitii, & habeat naturam feudi, cui adscribitur: ut Montan. de regal. in tit. quæ sint regalia quæst. 7. n. 36. *item quòd titulus quamvis qualificet & illustret Castrum, cui imponitur, tantæ tamen molis est præjudicialis, quòd inducat clausulam juris francorum. Mastril.* de magistrat. lib. 4. cap. 12. a n. 24. *quæ clausula apud Siculos quantæ virtutis & restrictionis respectu successoris sit; jam idcirco, nedum in successione collateralium, sed etiam in successione descendentium veniat ne in collatione pretium, dubitabatur: quia in omni casu ob excludendam collationem, juxta quam Andreas loquitur, semper est onerosus, ut per* Ca-

Capyc.latr. dicta consult. 23. n.15. *Mierez* de majorat. p. 4. q. 1. *Capan.* de vita & milit. q. 26. n. 22. *Amicangel.* de feud. q. 16. n. 15. *& adducebatur exemplum decisionis facta in causa Marchionatùs Cannicarai, & in titulo Ducatus Trium Mysteriorum, ob mortem ab intestato Regentis de Gregorio, pro removenda eadem pretii collatione. Sed his non obstantibus, per sententiam, ut fertur, dicti Consistorii die 22. Martii 1668. fuit confirmata sententia M.C. de dicto anno 1638. & condemnatus Princeps Buteræ D. Joseph, non tam solvere medietatem expensarum erogatarum in acquisitione dicti tituli Principatùs, quàm etiam in ejus exequutione.*

Non enim diversum juramentum injunctum esset, nec in diem a fideli exigeretur, neque pretii & expensarum collatio a nostris doctissimis Senatoribus demandata fuisset, si per tituli acquisitionem novum feudum acquisitum non esset, ac diversum quidem & a feudo antiquo separabile habitum non fuisset; adeout a primo ad ultimum concludere juremeritò licebit, quòd ubicumque se vertat Adversarius, libertatem disponendi de titulo Principis Paternionis in Principe D. Francisco, atque legitimam & indubitabilem Dominæ Clientis successionem controvertere non valeat: neque ex Justificantibus *in causa successionis Statùs & Comitatùs Sancti Marci*, in qua de realitate & personalitate tituli Principis Myrti disceptatum fuisse fertur, quid enim in causæ facto intercesserit, quid hinc inde allegatum fuerit, quinam fuerint Judices, ut eos consulerem, perquirere nolui, ex eo irrefragabili principio, quòd si ea, quæ in facto nostro concurrunt, in aliis causis intercessissent, certè pro personalitate acquisitionis judicatum foret: ità enim in tantis Judicibus ex evidentissima Dominæ Clientis justitia præsumendum esset.

Certissima verò omnia prorsùs, quæ a nobis hucusque dicta sunt, tam pro statùs, quàm pro tituli successione redduntur, si observantiam in familia consideremus. Mortuo enim Comite Guglielmo Raymundo IV. primo statùs Paternionis acquisitore, successit, ut dictum est, Comes Joannes Thomas, qui, uti primogenitus Comitis Guglielmi Raymundi ejus genitoris, statùs possessionem adeptus est, & juxta formam suorum privilegiorum. Eodemque modo rem administravit, & quod magis nullo penitùs facto verbo de testamento Comitis Joannis Thomæ ejus patris, Comes Guglielmus Raymundus V. ipse quidem juxta formam suorum privilegiorum pariter cœpit investituram. Idemque adimplerunt Comes Antonius II. Comitis Guglielmi Raymundi V. filius primogenitus, atque Comes Franciscus I. Comitis Antonii filius: ipsi enim, ac Princeps D. Cæsar Principis D. Francisci I. primogenitus, juxta formam suorum privilegiorum, etiam in juramento fidelitatis, propriam successionem agnoverunt. Quod tamen assumpto summoperè arri-

det, id est, quòd antiquam juris francorum clausulam quoad Statum Paternionis, & modernam quoad titulum Principis, amplexus est Princeps D. Franciscus II: ipse quidem, ut sæpiùs diximus, in ejus contractu matrimoniali per clausulam juris francorum, & in statu & in titulo succedendum esse confirmavit: quod pariter approbare non desiit Comes Antonius III. & Eminentissimus Cardinalis D. Aloysius, qui omnes vel cœperunt investituras, vel Statum possederunt utì indubitati suorum antecessorum successores, & juxta formam suorum privilegiorum, alternativâ titulorum & cognominum observatâ, quæ favore utriusque familiæ, nempe Aragonicæ & Montecatenæ indicta erat: cùm enim id ad contenta in contractu matrimoniali Principis D. Francisci referatur, in quo clausula juris francorum declarata & confirmata est; indubitabile præbet observantiæ documentum.

Atque demum id clarissimè observavit Princeps D. Ferdinandus ultimò defunctus, qui Dominam Clientem succeditricem declaravit ejus unicam filiam, & de Aragona & Dux Montisalti vocatus est. Quis ergo inficiabitur successionem Statùs & Principatùs Paternionis ad Dominam Clientem pertinere, si, ut probatum est, a priori per primas investituras, atque primorum acquisitorum dispositiones, & a posteriori, per interpretativam observantiam, clausula juris francorum, & in statùs, & in tituli successione, semper caput extulit? fateri proculdubio debemus, quòd si Princeps D. Ferdinandus ultimus moriens Regni & Hispaniarum Jureconsultos non consuluisset, utique cùm justissimus fuerit, Dominam Clientem ejus filiam in omnibus Statibus, quæ in Regno possidebat, hæredem non nominasset, quam in præsenti judicio possessorio a sui Statùs & Principatùs possessione removere non licet, si, ut visum est, Domini Ducis Sancti Joannis prætensio ex alio justificari non prætenditur, nisi ex eo, quòd Comes Joannes Thomas primus Statùs Paternionis acquisitor dici debeat ex jure luendi, quod ex jure hæreditario, atque de pecuniis emit hæreditariis Comitis Guglielmi Raymundi, & ex eo quòd assertum fideicommissum agnatitium habeatur in testamento Comitis Joannis Thomæ, super cujus legali existentia satis in præcedenti hujus discursùs parte scriptum fuit: cum aliunde ex hoc tantùm, quòd ipse se fundet in scripturis, de quarum originalitate dubitatur, & Domina Cliens in scripturis authenticis, ut in primo discursu, atque in ejus ultima parte dicebamus, Domini Ducis Sancti Joannis prætensio sit ad judicium petitorium remittenda, & Domina Cliens, quæ pariter hæres scripta est, debeat in possessione manuteneri.

17 Superest ergo † ut aliqua dicamus super successione Statùs & Baroniæ Hyblæ majoris, seu Melilli, quam ad Dominam Clientem sicuti & alios Statùs & Baronias per-

pertinere non dubitatur : cùm enim, ut in facto notatum est, eam acquisierit Comes Joannes Thomas, atque alienaverit in Donnam Beatricem Branciforti, sub reservatione juris luendi, & deinde, ut infra latiùs referemus, eam recuperaverit Comes Antonius hujus nominis Secundus, Comesve Franciscus hujus nominis Primus, ejus filius primogenitus, cum pecuniis & ad favorem D. Salvatoris & D. Ludovici de Mastro Antonio, ad tenorem pacti adjecti in tabulis nuptialibus olim scriptis inter Donnam Lucretiam de Montecateno filiam Comitis Antonii, & D. Ludovicum de Mastro Antonio Baronem Fontanæ muratæ, reservato pariter jure luendi : demum anno 1567. Princeps D. Cæsar filius primogenitus & successor Comitis D. Francisci I., ut Statum & Baroniam Melilli uniret & aggregaret suis aliis Statibus (licèt postea Baroniam, jure luendi pariter reservato, alienaverit;) eam reemit a posse D. Joannis Baptistæ Covello ipsius Baroniæ possessoris, *ad dandum, vendendum & alienandum, & de ea per eundem Principem D. Cæsarem disponendum, prout quilibet Dominus de re propria disponere potest tanquam justo titulo, & bona fide acquisita* : cùmque Principi D. Cæsari anno 1571. ab intestato successerit Princeps D. Franciscus II. qui, ut pluries dictum est, clausulam juris francorum confirmavit; nulli dubium, quòd ex ea, quam pariter sequentes successores usque ad Principem D. Ferdinandum ultimò defunctum approbarunt, Domina Cliens debeat ad Melilli successionem admitti.

Magis verò id locum habere meretur, quia Comes D. Antonius III. Principis D. Francisci successor, etsi Baroniam pariter ad dandum, vendendum & alienandum a manibus D. Bartholomæi Romeo Baroniæ possessoris, ex alienatione facta per Principem D. Cæsarem recuperaverit; *anno* 1626. per se & suos successores inperpetuùm refutavit Comiti D. Aloysio, tanquam ejus filio primogenito, & indubitato successori (qui postmodum fuit S. R. E. Cardinalis) Statùs omnes, Principatùs, Comitatùs, & alia pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, juxta formam suorum privilegiorum : atque *anno* 1631. per testamentum, sub quo decessit, suum scripsit hæredem Principem D. Aloysium: qui, postquàm Baroniam Melilli vendiderit, reservato jure luendi, ac *anno* 1645. eam recuperaverit ; *anno* 1672. hæredem sibi fecit Principem D. Ferdinandum ejus filium primogenitum, & indubitatum successorem, ultimò defunctum, cujus hæres Domina Cliens scripta est.

In contrarium tamen ex parte Domini Ducis Sancti Joannis opponitur, Principem D. Cæsarem sibi acquirere nomine proprio Baroniam non potuisse, nec ad dandum, vendendum & alienandum, ac de ea ad sui libitum disponendum : proindeque non a dispositione Principis D. Francisci II. in

ejus

ejus contractu matrimoniali, vel a dispositionibus aliorum post eum succefsorum, Baroniæ succefsionem metiendam esse, sed a fideicommisso Comitis Joannis Thomæ, qui Hyblam cum Comitatu Augustæ, de cujus pertinentiis Hybla est, acquisivit: & quamvis Princeps D. Cæsar eam recuperaverit; adhuc tamen id effecit ex jure luendi reservato, vel per ipsum Comitem Joannem Thomam, vel per ejus in fideicommisso (quod agnatitium creditur) successores: adeout semper dicatur res acquisita hæreditati Comitis Joannis Thomæ, non autem illorum, qui jus luendi hæreditarium exercuerunt, quidquid ipsi per clausulam ad dandum, vendendum & alienandum stipulati fuerint: ut nosmetipsi in acquisitione juris luendi Status Paternionis factæ per eundem Comitem Joannem Thomam ex jure hæreditario Comitis Guglielmi Raymundi IV. ejus patris in præcedenti parte dicebamus.

Verùm Melilli succeffio Dominæ Clienti proculdubio spectabit: quidquid enim sit de juris articulo, an scilicet primus rei redemptæ quæsitor dici debeat ille, qui jus luendi deduxit in exercitium, & nomine proprio rem acquisivit, & ad dandum, vendendum & alienandum; an verò ille, qui rem sub juris luendi reservatione alienavit, & in sua hæreditate jus luendi reliquit; & proinde an unius vel alterius standum sit dispositioni? in casu nostro, etiam quòd testamentaria voluntas venditoris, qui reservato jure luendi, alienationem perfecit, veniret observanda, in nihilo Domino Duci Sancti Joannis prodefset: Comes equidem Joannes Thomas, in cujus hæreditate jus luendi Melillum conservatum esset, si Dominam Clientem ad successionem non admisit, cùm filiam ultimi posfefsoris apertè non excluserit; Dominum Ducem Sancti Joannis per suum fideicommisum ad successionem non invitavit, sed masculum, ut dictum est, etiam quòd ex fœmina proveniret in linea ultimi posfefsoris existentem, cujusmodi est Dominus D. Federicus de Moncada & Toledo Dux Fernandinæ, Dominæ Clientis dilectissimus filius: adeout, cùm substitutio de Domino Duce Sancti Joannis non loquatur; vel Domina Cliens uti hæres scripta, vel Dominus Dux Fernandinæ, qui pariter eam ex masculinitate prætendit, successionem, ut superiùs dicebamus, obtinere deberet.

Sed punctus agnationis vel masculinitatis eo casu veniret examinandus, quo de testamento Comitis Joannis Thomæ authenticè constaret: cùm autem de eo minimè constet, nec constare possit, ut mox allegatum atque probatum est; successionem regulabunt sequentium posfefsorum dispositiones, quæ omnes Dominam Clientem, non autem Dominum Ducem Sancti Joannis apertè in casu præsenti ad successionem admittendam efse mandarunt.

Jam verò Comiti Joanni Thomæ ab intestato successit Comes Gu-

Guglielmus Raymundus hujus nominis Quintus, qui *anno* 1510. ut pluries dictum est, hæredem sibi scripsit Comitem D. Antonium suum primogenitum, qui *anno* 1549. decessit ab intestato: & cùm ei successerit Princeps D. Franciscus; hic *anno* 1566. suum scripsit hæredem Principem D. Cæsarem suum primogenitum, qui *anno* 1571. decessit ab intestato: adeout, cùm ei successerit Princeps D. Franciscus hujus nominis Secundus, quoniam iste suorum atavorum successor in tabulis nuptialibus initis cum D. Maria Aragona & la Cerda universalem suorum bonorum successionem cum clausula juris francorum ordinavit, & ità per Principem D. Antonium suum filium primogenitum, ac Principem D. Aloysium, & Principem D. Ferdinandum ultimum morientem, servatum fuisse jam vidimus; Domina Cliens ex clausula juris francorum, vel utì juris luendi Domina, vel utì Baroniæ succeditrix, sit ad præsentem successionem admissa.

Independenter tamen a præmissis, uti super aliorum statuum successionibus observatum est, etiamsi per possibile sub ea credulitate res examinanda veniret, quòd jus luendi per successores exercitum hæreditariũ fuerit Comitis Joannis Thomæ; adhuc tamen hujusmodi statùs successio semper ad Dominam Clientem pertineret.

Fingamus itaque quòd luitiones a Dominæ Clientis ascendentibus factæ de Statu & Baronia Melilli ex jure luendi reservato per Comitem Joannem Thomam processerint: fingamus etiam quòd testamentum C. Joannis Thomæ authenticum sit, atque legitimum: ac demum fingamus quòd ejus fideicommissum agnatitium fuerit; non per hoc Melilli successio foret Dominæ Clienti deneganda, cùm non a fideicommisso Comitis Joannis Thomæ regulanda successio esset, sed vel ex antiquis, aut recentioribus privilegiis & investituris, quæ a Serenissimis Regibus pro Comitatu Augustæ, & subsequenter pro Comitatu Caltanissettæ concessa sunt, vel a fideicommisso Comitis Matthæi II. quod in primo discursu a clausula juris francorum regulatum fuisse probavimus.

Titulus ergo, quo *anno* 1476. Comes Joannes Thomas contra hæredes Comitis Antonelli filii naturalis C. Guglielmi Raymundi IV. Comitis Caltanissettæ, se direxisse dicitur, hæreditarius fuit Comitis Matthæi II. & ita Comiti Joanni Thomæ ab hæredibus Comitis Antonelli Comitatus relaxatus est, nempe vel quia Comes Guglielmus Raymundus fideicommisso Comitis Matthæi II. patris sui contravenit, vel quia Comes ipse Guglielmus Raymundus debitor fuit omnium fructuum per totum suæ possessionis tempus e Comitatu Caltanissettæ perceptorum, & qui percipi poterant, atque etiam quia Comes Joannes Thomas in pretio Comitatùs Augustæ compensatas habuit ab hæredibus C. Antonelli unc. 1370.9.

ex

ex illis scutis 10600. de pretio Castrinovi, quæ Comes Guglielmus Raymundus Comiti Antonio fratri suo, quem pariter instituit in Comitatu Caltanisettæ, in superiori summa scutorum decem mille sexcentum reliquit, & per transactionem stipulatam cum C. Antonio I. Comite Caltanissettæ *anno* 1466. & ex fideicommisso C. Matthæi, C. Joanni Thomæ spectarunt: adeout jus luendi a Comite Joanne Thoma & sequentibus successoribus reservatum, hereditarium Comitis Matthæi II. dici debuerit, vel annexum Comitatui Caltanisettæ, cujus successionem ad Dominam Clientem pertinere jam in primo discursu probatum est.

18 Ut autem † propositio justificetur, nonnulla ex eis memoriæ revocanda sunt, quæ in discursu super successione Comitatùs Caltanisettæ dicta fuerunt, ac pariter nonnulla alia supponenda veniunt, quæ ad propositum in facto notabiliter occurrunt.

Comes igitur Matthæus, hujus nominis Secundus, per suum testamentum conditum *anno* 1421. & per ejus codicillos factos *anno* 1423. suum hæredem scripsit in Comitatu Caltanisettæ C. Guglielmum Raymundum IV. filium suum primogenitum, atque in Baronia Castrinovi hæredem particularem Gastonum ejus filium secundogenitum ordinavit: eam enim Baroniam Comes Matthæus a Rege Ferdinando concessam habuerat sub compensatione illorum florenorum quindecim mille de pretio Comitatùs Augustæ promisso per Regem Martinum juniorem *anno* 1407. in permutatione Comitatùs Augustæ cum Comitatu Caltanisettæ: factis ad invicem inter Gastonum & Comitem Guglielmum Raymundum, eorumque filios & filiorum filios in infinitùm reciprocis substitutionibus, sub declaratione, quòd in utroque feudo primi instituti, eorumque descendentes in infinitùm succedere deberent per clausulam juris francorum, quòd primogenitus & masculus fœminæ præferatur: eisque omnibus Comes Matthæus substituit Comitem Joannem de Montecateno ejus fratrem, Comitem Adernionis, patrem Comitis Joannis Thomæ, ejusque filios & descendentes in infinitùm, sub eadem clausula juris francorum: atque voluit, quòd si aliquis ex suis hæredibus aut substitutis suum testamentum & codicillos impugnaret; quòd incontinenti cadere deberet a sua successione & hæreditate, & quòd hæc pervenire deberet ad manus substitutorum non contravenientium.

Anno 1423. Comes Guglielmus Raymundus IV. paternum Comitis Matthæi testamentum & codicillos impugnavit, seque curavit absolvi per Reverendissimum Episcopum Agrigentinum a juramento, quod interposuerat in actis per eum gestis in paterni testamenti & codicillorum approbationem.

Anno 1466. præfatus Comes Guglielmus Raymundus IV. venditum habuit Comitatum Augu-

stæ,

stæ, reservato apud Regem jure luendi, atq; concessâ C. Guglielmo Raymundo prælatione pro eodem pretio, casu quo per Regem Comitatus Augustæ, ejusque jus luendi in alium transferretur.

Eodem anno 1466. Comes Guglielmus Raymundus IV. ab humanis decessit, sub testamento nuncupativo, quod condiderat præcedenti *anno* 1465. in quo hæredem suum scripsit universalem Antonellum filium suum naturalem: eique sine filiis masculis decedenti, substituit Comitem Antonium ejus fratrem, olim in Ordine Prædicatorum adscriptum, cui pariter substituit Antonium Perium de Moncada ejus consobrinum ex C. Joanne de Moncada Comite Adernionis & Domino Ferulæ fratre C. Matthæi patris sui: & sub codicillis, quos scripserat eodem *anno* 1466. in quibus eundem Antonellum particulariter instituit in Comitatu Augustæ, quem, ut visum est, noviter emerat, & Rex adhuc contractum venditionis non ratificaverat: in Comitatu verò Caltanissettæ hæredem particularem instituit dictum Comitem Antonium ejus fratrem, cui substituit Comitem Joannem Thomam Comitem Adernionis, ejusque descendentes, & successivè Antonium Perium Dominum Ferulæ, & omnes personas vocatas & substitutas in testamento & codicillis Comitis Matthæi II. ejus genitoris.

Instituit pariter Comes Guglielmus Raymundus testator hæredem particularem eundem Comitem Antonium ejus fratrem in ducatis decem mille sexcentis, seu florenis 11777. 4. 13. de summa florenorum quindecim mille, qui fuerunt Domini Gastoni fratris sui, vinculatorum per Comitem Matthæum ejus patrem, tanquam de pretio Augustæ, & quòd ultra petere non possit, juxta sententiam & declarationem divæ memoriæ Regis Alphonsi, sub vinculo & substitutionibus supra in dispositione Comitatùs Caltanissettę declaratis: cum hoc, quòd in concurrentem satisfactionem suprascriptorum ducatorum decem mille sexcentum Comes Antonius compensare teneretur uncias sexcentas circiter, salvo errore calculi, quas Comes Antonius habuerat de redditibus Caltanissettæ, vigore sententiæ favore Comitis Antonii latæ contra ipsum Comitem Guglielmum Raymundum per Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Panormitanum, & Dominum Jacobum de Perollo, quæ deinde fuit retractata per Dominos Antonium de Compagno, & Teresium de Crisafi, quibus ultimò locò causa per Regem commissa fuerat.

Voluit etiam Comes Guglielmus Raymundus, quòd Comes Antonellus ejus hæres universalis ad nihilum teneretur, casu quo Comitatus Caltanissettæ, scutave jam dicta decem mille sexcentum a posse Comitis Antonii ejus fratris quomodocunque evincerentur: mandavitque Comes Guglielmus memoratam pecuniarum quantitatem converti debere in em-

emptionem feudi, ad formam in testamento Comitis Matthæi patris sui pleniùs adnotatam.

Eodem anno 1466. die 2. Octobris. Quoniam Comes Antonius instabat contra Comitem Antonellum pro solutione scutorum decem mille sexcentum de pretio Castrinovi, & de legato Gastoni, quæ eidem Comiti Antonio, ut dictum est, legaverat Comes Guglielmus Raymundus ejus frater: & Comes Antonellus aliunde multas prætensiones contra Comitem Antonium habebat, & ultra solvere Regiæ Curiæ tenebatur supplementum pretii Comitatùs & Portùs Augustæ; eamobrem fuit inter eos ad transactionem deventum.

Per eam, inquam, transactionem Comes Antonius mutuavit Comiti Antonello flor. 10000. de summa ducatorum 10600. Comiti Antonio, per Comitem Guglielmum Raymundum legatorum: cum hoc, quòd si Comes Antonellus in possessione Comitatùs Augustæ non permaneret; teneretur eos restituere infra annos sex: si verò in ea continuaret; illorum restitutio a Comite Antonello fieri deberet infra annos decem.

Præterea concessit Comes Antonius Comiti Antonello facultatem compensandi unc. 500. per ipsum Comitem Antonium debitas pro pretio munitionum Castri Caltanissettæ, & nonnulla alia Comiti Antonello promisit.

Unde, quia subsequenter fuerunt a Comite Antonello solutæ Regiæ Curiæ unc. 6205. 19. 12., in eis supponuntur inclusi suprascripti floreni decem mille, seu unciæ bis mille de legato Gastoni, quas Comes Antonius eorundem legatarius, ut dictum est, Comiti Antonello mutuaverat.

Eodem anno 1466. die 11. Novembris. In celebri transactione inita inter Comitem Antonium & Comitem Joannem Thomam de Montecateno super successione Comitatùs Caltanissettæ, in qua celebrata fuerunt sponsalia inter Comitissam Contissellam filiam Comitis Antonii, & Comitem Guglielmum Raymundum V. filium Comitis Joannis Thomæ, postquàm universi Comitatùs successio sponsis jam dictis concessa est, atque Comitatus ad vitam Comiti Antonio, & inperpetuùm Comiti Joanni Thomæ & ejus descendentibus relaxatus fuit, ex testamento & codicillis Comitis Matthæi, cum admissione fœminarum in defectu masculorum ejusdem lineæ & gradùs; pacto conventum est, quòd illi flor. decem mille mutuati per Comitem Antonium Comiti Antonello de pretio Castrinovi, esse deberent Comitis Joannis Thomæ, sub obligatione illos restituendi, casu quo Comiti Antonio filius masculus nasceretur.

Anno 1469. die 20. Septembris. Comes Joannes Thomas, pro consequutione florenorum decem mille sibi in memorata proxima transactione assignatorum, se direxit contra Comitem Antonellum, ac sententiam favorabilem obtinuit, ut Comes Antonellus facere deberet

beret favore C. Joannis Thomæ actum obligatorium : ad cujus stipulationem, cùm Comes Antonellus devenire renuerit, a M. R. C. carceribus mancipatus, demum cum Comite Joanne Thoma ad transactionem devenit, in qua actum obligatorium favore Comitis Joannis Thomæ, sub nonnullis reservationibus pro compensationibus faciendis, Comes Antonellus stipulatus est.

Demum verò anno 1470. die 9. Junii, cùm inter Comitem Joannem Thomam & Comitem Antonellum, super compensationibus in præcedenti transactione reservatis, orta fuerit quæstio; per actum finalem favore Comitis Antonelli in summa unc. 500. sequuta est compensatio, pro aliis penès Comitem Antonium ex bonis Guglielmi Raymundi perventis: reliquas verò unc. 1500. Comes Antonellus Comiti Joanni Thomæ pro complemento floren. decem mille solvere se obligavit infra terminum annorum decem, juxta sententiam a M. R. C. pronunciatam.

Anno 1474. Rex vendidit Comiti Joanni Thomæ de Montecateno jus luendi, quod sibi reservaverat in venditione Comitatùs Augustæ, quam fecerat, ut dictum est, Comiti Guglielmo Raymundo IV. Comiti Caltanissettæ: & pro eo comparando, Comes Joannes Thomas summam erogavit unc. 2900.6., nempe unc. 2700.6. quæ fuerunt solutæ Regi, & unc. 200. pro expensis & scripturis.

Anno 1476. die 8. Octobris; Post nonnulla judicia instituta per Comitem Joannem Thomam contra Comitem Antonellum, ejusque hæredes; hos inter & Comitem Joannem Thomam, atque Comitem Guglielmum Raymundum V. ejus filium primogenitum ætatis annorum undecim, pro quo, adveniente majori ætate, per patrem fuit de rato promissum, ad transactionem deventum est. Ad cujus tenorem, enarrato prius, quòd Comes Matthæus II. possessor Comitatùs Caltanissettæ ex permutatione cum Comitatu Augustæ, veniens ad mortem; per testamentum & codicillos, sub quibus decessit, hæredem universalem instituit Comitem Guglielmum Raymundum IV. suum filium primogenitum, sub nonnullis substitutionibus, oneribus, legatis & fideicommissis in ejus testamento & codicillis adnotatis: & quòd mortuo Comite Matthæo, superstitibus sibi Comite Guglielmo Raymundo, Gastono & Antonio ejus filiis, possederat Comes Guglielmus Raymundus Comitatum Caltanissettæ per annos quadraginta quinque: atque, quòd Comes ipse Guglielmus Raymundus emerat Comitatum Augustæ, & eo vita functo, in hujusmodi Comitatu successerat, tanquam ejus hæres universalis, Comes Antonellus ejus filius, qui pariter defunctus fuerat, relictâ Beatricellâ alterâ ejus filiâ Comitissâ Augustæ, quæ nupserat Comiti Petro Cardona filio primogenito C. Artalis Comitis Collesani, quòdque pretium emptionis Comitatùs & Por-

tùs Augustæ factæ per Comitem Guglielmum Raymundum, & Comitem Antonellum ad summam ascenderat floren. quinquaginta mille.

Enarrato etiam, quòd Comes Guglielmus Raymundus contravenerat voluntati Comitis Matthæi ejus patris, ac quòd Comes Joannes Thomas prætendebat restitutionem fructuum perceptorum, & qui percipi poterant tempore possessionis Comitis Guglielmi Raymundi ex Comitatu Caltanissettæ,& ob id Comes ipse Joannes Thomas in judicio præsentaverat contra Comitem Antonellum & ejus hæredes binas cedulas condemnatorias, nempè unam in summa flor. triginta mille,& aliam in summa flor. quinquaginta mille, sicuti etiam Comes Joannes Thomas exequutionem contra Comitem Antonellum exercuerat in flor. septem mille, pluris petitione servata, ex ducatis decem mille sexcentum de pretio Castrinovi, & de legato per C. Matthæum facto Gastono ejus filio, atque, quòd Comes ipse Joannes Thomas, utì cessionarius Domini Ferulæ, petierat Comitatum Augustæ, & universam hæreditatem Comitis Guglielmi Raymundi.

Insuper enarrato, quòd insurrexerant nonnulli legatarii ex testamento & codicillis Comitis Matthæi, & ex testamento Comitis Guglielmi Raymundi, atque eorum creditores, qui contra Comitem Antonellum, ejusque hæredes jam se direxerant, aliasque lites movere minabantur.

Eamobrem, volentes partes ipsæ parcere litium sumptibus, & earum attenta dubietate, maximè quòd Comes Joannes Thomas facultatem habebat luendi Comitatum Augustæ, cujus vigore dicebat & allegabat illum velle redimere; cum interventu Illustrissimorum ea tempestate Siciliæ Proregum, atque causa cognita per M. R. C., Comes Joannes Thomas liticessit petitioni flor. triginta mille, & flor. quinquaginta mille, ac etiam petitioni, quam fecerat de Comitatu Augustæ, & aliis bonis cessionario nomine Domini Ferulæ, & aliis litibus motis & movendis, cognitis & incognitis ex causa testamentorum & codicillorum Comitis Matthæi, & Comitis Guglielmi Raymundi, & cessionis sibi factæ per Dominum Ferulæ, etiam si ascenderent ad summam flor. biscentum mille.

Ulteriùs promisit Comes Joannes Thomas non molestare hæredes Comitis Antonelli, ejusque hæredes & successores pro causis superiùs adnotatis, quinimò suscepit in se onus,periculum & expensas omnium litium & quæstionum contra ipsum Comitem Antonellum & ejus hæredes motarum & movendarum, super Comitatu Augustæ, ex testamento Comitis Matthæi & Comitis Guglielmi Raymundi, cum servatione indemnitatis, & pacto evictionis in forma, maximè si lis moveretur ab illis, qui possent esse vocati aut vocarentur, tam ex testamento & codicillis Comitis Matthæi, quàm ex testamento & codi-

dicillis Comitis Guglielmi Raymundi: ità tamen, quòd intelligerentur omnia jura prædicta contenta in processibus in M. C. compilatis, & quomodocunque Comiti Joanni Thomæ spectantia sui favore reservata, ad hoc ut eis uti possit contra quoscunque, præter tamen hæredes Comitis Antonelli, & habentes jus & causam ab eis.

Comes verò Artalis Cardona Comes Collesani repræsentans hæredes C. Antonelli, renunciavit omnibus juribus eis competentibus ex testamentis & codicillis Comitis Matthæi, & Comitis Guglielmi Raymundi, tam jure proprio, quàm cessionario nomine aliarum personarum, cum servatione indemnitatis, & pacto evictionis in forma.

Et attenta dubietate, sunt verba transactionis, *quæstionum motarum per dictum Illustrem Magistrum Justitiarium*, qui erat Comes Joannes Thomas, *ac attento cumulo quæstionum, ac litium motarum, & quæ moveri poterant contra dictas pupillas*, quæ erant hæredes Comitis Antonelli, *ut supra*, Comes ipse D. Artalis Cardona, tanquam ille, qui nomine hæredum C. Antonelli possidebat Comitatum & Portum Augustæ, promisit illum restituere Comiti Joanni Thomæ, solutis per eum hæredibus Comitis Antonelli, aut habentibus jus & causam ab eis, flor. quatraginta mille in unica solutione, data notitia Comiti D. Artali, vel Comiti D. Petro ejus filio, sive filiis nascituris ex Comite Petro & Comitissa Beatricella jugalibus per menses sex antequam solutio fieret dictorum flor. quatraginta mille, prout ex nunc pro tunc cessit omnia jura, quæ habebat super Terra, Castro, Comitatu & Portu Augustæ, sicuti empta fuerunt a Regia Curia, & cum omnibus titulo, causis, conditionibus, pactis, conventionibus & clausulis, ac facultate redimendi, aliisque oneribus in eisdem emptionibus contentis & adnotatis: ac etiam ex nunc pro tunc, facta solutione prædictorum flor. quatraginta mille, Comes Artalis tradidit Comiti Joanni Thomæ Terram, Castrum, Comitatum & Portum Augustæ, atque dixit illos ejus nomine tenere per constitutum, & quòd reliquum esset ultra pretium dictorum flor. quatraginta mille, etiam quòd ascenderet ad summam flor. decem vel quindecim mille, Comes ipse Collesani Comiti Joanni Thomæ ad ejusdem Comitis, suorumque hæredum & successorum cautelam, relaxavit.

Pacto, quòd hæredes Comitis Antonelli non teneantur de evictione, nisi facto & culpa propriis tantùm & dumtaxat.

Pacto etiam, quòd tempore solutionis dictorum flor. quatraginta mille, possit Comes Joannes Thomas summas infrascriptas, ad quas tenebatur Comes Antonellus, compensare, nempe unc. mille debitas Roderico de Paternione, unc. centum D. Francisco Gagliano, & unc. centum quadraginta hæredibus Andreæ Navarro: ità

ita quòd, si ante factum depositum prædictorum floren. quadraginta mille onera hujusmodi reempta essent pro summa unc.650., remaneat constitutus favore hæredum Comitis Antonelli census unc.65. ann. ad rationem de 10. pro 100. vel super Terra & Comitatu Augustæ, vel super bonis Comitis Joannis Thomæ.

Remanente indecisa in M. R. C. quæstione illorum flor. septem mille superiùs enarrata de pretio Castrinovi, & de legato Gastoni, quæ de mandato Illustrissimorum Regni Proregum remissa est magnifico Jacobo de Pilaja Protonotario & Judici M. R. C. ac magnifico Jacobo de Bonanno uni ex Magistris Rationalibus Tribunalis Regii Patrimonii, vel Domino Guidoni de Crapona, juxta quorum votum summa per eos declaranda deduci deberet a summa dictorum flor. quatraginta mille pro restitutione Comitatùs Augustæ hæredibus Comitis Antonelli, ut dictum est, solvendorum.

Insuper Comes D. Artalis, tam utì repræsentans hæredes Comitis Antonelli, quàm nomine proprio, volens se gerere amicabiliter cum Comite Joanne Thoma, & amore fraterno, atque intuitu transactionis; ipsi Comiti cessit omne jus, quod habebat & habere posset super jure luendi & prælatione Comitatùs & Portùs Augustæ, tam ratione pacti adjecti in contractu emptionis ipsius Comitatùs & Portùs, quàm alia quavis causa, ipsumq; Comitem Joannem Thomam posuit in locum suum.

Pacto, quòd si Comes Joannes Thomas, ex processu supradictarum quæstionum in M. C. vertentium, sententiam favorabilem obtenturus esset; posset hujusmodi sententiâ se tueri adversus quascunque personas aliquid prætendentes ex legatis & dispositionibus factis per Comitem Guglielmum Raymundum, ejusque testamento & codicillis, nunquam autem se dirigere posset contra hæredes Comitis Antonelli, ac sententia habeatur, ac si contra eos minimè prolata fuisset.

Et pacto demum, quòd eveniente casu substitutionis Antonini Villanova (qui erat frater uterinus Comitis Antonelli, & post mortem Beatricis & Joannæ filiarum Comitis Antonelli, fuerat a fratre in Comitatu Augustæ, & omnibus bonis suis substitutus) adeout ipse succederet in hæreditate Comitis Antonelli; universa transactio, quoad jura Comitis Joannis Thomæ, habeatur pro non facta, juraque prædicta intacta & illæsa favore ipsius Comitis Joannis Thomæ conserventur.

Anno 1478. die 6. Julii. Comes Joannes Thomas tam ejus nomine, quàm nomine & pro parte Comitis Guglielmi Raymundi V. ejus filii primogeniti ætatis annorum tresdecim, pro quo adveniente majori ætate, fuit de rato promissum, ad recuperandum Comitatum Augustæ a posse hæredum Comitis Antonelli, facta mentione de emptione Comitatùs facta per Comitem Guglielmum Raymundum, de successione Comitis

mitis Antonelli, & de acquisitione Portùs Augustæ, atque de transactione facta cum hæredibus Comitis Antonelli *anno* 1476. *die* 8. *Octobris*, quæ supra relata est; vendidit, reservato jure luendi, Donnæ Beatrici Branciforti eundem Comitatum & Portum, & eo modo & forma prout per relatam transactionem ipse C. Joannes Thomas cessum atque renunciatum habuit ab hæredibus C. Antonelli, illumque assignare promisit ex nunc pro tunc Donnæ Beatrici facta ejusdem recuperatione.

Pro pretio unc. 66000. seu flor. 330000. quos fassus fuit Comes Joannes Thomas per bancum Petri Alliata & sociorum, illosq; promisit convertere in Comitatùs recuperationem: onere injuncto emptrici solvendi unc. 100. ann. hæredibus Roderici de Paternione pro capitali unc. mille, unc. 14. ann. hæredibus Andreæ Navarro pro capitali unc. centum quadraginta, & unc. 10. ann. magnifico Christophoro de Benedictis Magistro Secreto pro capitali unc. centum, quæ debebantur a Comite Antonello, ut in transactione facta cum ejus hæredibus præventum fuerat.

Anno 1478. die 14. Julii. Comes Joannes Thomas giravit in eodem banco Petri Alliata & sociorum unc. 5589. 21. seu flor. 27948. 3. ad nomen hæredum Comitis Antonelli, pro pretio Comitatùs & Portùs Augustę, & Casalis Melilli, cum conditione, quòd summa prędicta solvi non deberet præfatis hæredibus, nisi præcedente, per acta publici Notarii, actu contentamenti Donnæ Beatricis Branciforti.

Quæ quidem unc. 5589. 21. seu flor. 27948. 3. respectu heredum Comitis Antonelli supponuntur ad complementum dictarum unc. 8000. seu flor. 40000. ipsi per Comitem Joannem Thomam in transactione promissorum: reliquæ enim unc. 2410. 9. seu flor. 12051. 3. compensati creduntur, nempe flor. 6200. seu unc. 1240. per obligationem solvendi capitalia superiùs accollata, & flor. 5851. 3. seu unc. 1170. 9. in compotum illorum flor. 7000. de pretio Castrinovi, juxta laudum fortè prolatum a magnificis Judicibus, quibus causa per Dominum Proregem in transactione cum hæredibus Comitis Antonelli remissa fuerat: quoniam hæredes Comitis Antonelli reliquum pretii exegisse non docetur, nec Comitem Joannem Thomam complementum flor. 7000. de legato Gastoni consequutum fuisse demonstratur, & respectu Donnæ Beatricis Branciforti fuerunt ad complementum unc. 6600. in contractu venditionis Comitis Joannis Thomæ promissarum: nam reliquæ unc. 1010. 9. a Comite Joanne Thoma supponuntur exactæ vel ante vel post prædictum depositum: nonnulla enim publica documenta testantur pretium ex integro per D. Beatricem Branciforti Comiti Joanni Thomæ fuisse solutum.

Eodem anno 1478. die 26. Julii. Donna Beatrix Branciforti se conten-

tentavit, quòd dictæ unc. 5589.21. solverentur hæredibus Comitis Antonelli pro redemptione Comitatùs & Portùs Augustæ.

Eodem anno 1478. die 31. Julii. In banco Petri Alliata, quia vigore relati actùs contentamenti sublatum fuerat impedimentum, pecuniæ remanserunt liberæ, pro effectu jam dicto, ad nomen hæredum Comitis Antonelli.

Eodem anno 1478. die 7. Septembris. Hæredes Comitis Antonelli girarunt in banco Petri Alliata ad nomen Francisci Perapertusa unc. 1840. pro totidem eidem de Perapertusa in dotem constitutis ab ejus uxore, quæ filia erat Joannæ Valguarnera tutricis filiarum & hæredum Comitis Antonelli.

Eodem anno 1478. die 25. Septembris. Memorati hæredes Comitis Antonelli girarunt in eodem banco ad nomen D. Emiliæ Capece olim Comitissæ Sancti Severini restantes unc. 3749. 21.

Anno 1479. die 19. Januarii. Donna Beatrix Branciforti cœpit investituram Comitatùs, Terræ & Portùs Augustæ cum Casale Melilli, vigore recitati contractùs venditionis ei factæ, sub pacto redimendi, per Comitem Joannem Thomam die sexto mensis Julii 1478.

Sciendum pariter est, quòd recuperato per D. Beatricem Branciforti ab hæredibus Comitis Antonelli universo Comitatu Augustæ, ut dictum est.

Anno 1492. die 5. Decembris. D. Nicolaus Melchior Branciforti filius Donnæ Beatricis compensavit favore Comitis Joannis Thomæ pro supplemento pretii ejusdem Comitatùs alias unc. 2913. quæ unitæ cum primo pretio unc. 6600. summam capiunt unc. 9513. seu flor. 47565. pro quibus dixerunt contrahentes Comitatum remanere pignoratum.

Quoniam verò Nicolaus Melchior Comes Mazareni exinde exegit pro pretio Portùs Augustæ unc. 2230. seu flor. 11150., proptereà remansit Comes ipse creditor ex suprascriptis binis partitis ascendentibus ad summam unc. 9513., in summa unc. 7283. seu flor. 36415.

Anno 1509. die 18. Junii. Comitissa Contissella filia Comitis Antonii, & uxor Comitis Guglielmi Raymundi V. per testamentum, sub quo decessit, inter alia dixit, quòd credebat posse disponere de Comitatu Caltanisettæ; quapropter illum cessit Comiri Guglielmo Raymundo ejus viro, cum hoc, quòd post ipsius mortem succedere deberet filius ille, qui reperiretur suus, dictique ejus viri primogenitus.

Et similiter voluit, quòd defuncto Comite Guglielmo Raymundo ejus viro, nedum in Comitatu Caltanissettæ, verùm etiam in juribus, quæ eidem Comitissæ testatrici competebant super Statu & Comitatu Augustæ, succedere pariter deberet suprascriptus filius primogenitus ex ea, dictoque ejus viro procreatus.

Anno 1510. die 14. Octobris. C. Guglielmus Raymundus V. per

per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem Comitem Antonium ejus filium primogenitum.

Eodem anno 1510. die 21. Octobris. Comes Antonius de Montecateno nepos C. Joannis Thomæ ex C. Guglielmo Raymundo V. C. Joannis Thomæ filio primogenito, vendidit, sub pacto redimendi, Donnæ Belladamæ Branciforti Comitissæ Mazareni jus luendi Comitatum Augustæ cum Casali Melilli, pro pretio unc. 1000.

Pacto, quòd Donna Belladama deberet cum propriis pecuniis redimere Comitatum Augustæ cum Terra Melilli a posse D. Joannis Branciforti primogeniti quondam D. Nicolai Melchioris, & ipsius Donnæ Belladamæ: factaque redemptione, Donna Belladama teneretur restituere Comiti Antonio Comitatum Augustæ, & tantùm sibi retinere posset Terram Melilli, super qua intelligantur impositæ & debitæ pecuniarum summæ per D. Belladamam solvendæ pro reluitione universi Comitatùs, ac etiam aliæ unc. 1000. solutæ pro pretio juris luendi.

Ut de facto, eodem anno Donna Belladama restitutum habuit a D. Joanne Branciforti Comitatum Augustæ & Terram Melilli, atque in exequutionem memorati pacti restituit Comiti Antonio Comitatum Augustæ, ac penès se Terram Melilli retinuit.

Anno 1516. die 23. Augusti. Contractum est matrimonium inter Dominam D. Franciscam de Moncada filiam primogenitam Comitis Antonii, & Dominum D. Joannem Merulla filium primogenitum Domini D. Thomæ Merulla Comitis Condojannis, sub certa dotis constitutione in instrumento dotali contenta: in quo pariter Comes Antonius vendidit Comiti D. Thomæ Merulla Comitatum Augustæ, pro pretio flor. quinquaginta mille, solvendorum, nempe flor. viginti mille in pecunia numerata de contanti, & reliquos flor. triginta mille promisit Comes D. Thomas solvere infra annos tres, ad rationem flor. decem mille quolibet anno, prout fuerunt soluti & conversi in reluitionem nonnullorum feudorum de Comitatu Caltanissettæ, & de Statu Paternionis per Comitem Joannem Thomam alienatorum: ut in venditione ipsa præventum erat, atque in dimissionem creditorum afficientium.

Anno 1527. die 15. Julii. Defunctâ Donna Belladamâ Branciforti, cœpit investituram Baroniæ Melilli D. Antonius Branciforti ejus filius.

Anno 1534. die 24. Novembris. Fuit contractum matrimonium inter Donnam Lucretiam de Montecateno filiam Comitis Antonii, & D. Ludovicum de Mastro Antonio Baronem Fontanæ Muratæ filium D. Salvatoris de Mastro Antonio Baronis Sambucæ.

Contemplatione cujus matrimonii, Comes Antonius sponso dotavit unc. 4400. seu flor. 22000. pro quibus Comes Antonius & D. Franciscus filius primogenitus

in solutum dederant sponso jus luendi Baroniam Melilli possessam per D. Antonium Branciforti.

Reservatâ dotanti facultate redimendi semper & quandocunque Baroniam recuperandam, solutis omnibus pecuniarum summis per sponsum, seu per ejus genitorem in ipsius recuperatione erogandis, & pariter flor. 22000. ut supra dotatis.

Anno 1535. die 9. Aprilis. D. Salvator & D. Ludovicus de Mastro Antonio pater & filius reemerunt a posse D. Antonii Branciforti, cum consensu Comitis Antonii, Baroniam Melilli pro pretio unc. 10800. 5. 10.

Anno 1539. die primo Januarii. Tutores D. Joseph de Mastro Antonio filii & hæredis D. Salvatoris vendiderunt D. Antonio de Covello Baroniam Melilli pro pretio unc. 15230. *6. 16.*, reservato jure luendi favore Comitis Antonii & Comitis D. Francisci I. ejusdem Comitis D. Antonii filii primogeniti, eorumque hæredum & successorum.

Anno 1566. Cùm Comitatus Augustæ possideretur per hæredes Federici Staiti jus & causam habentis a Comite Condojannis; fuit a R. C. prætensum & obtentum, quòd hæredes jam dicti tenerentur vendere pro servitio ejusdem R. C. Comitatum Augustæ, qui defacto venditus fuit pro pretio unc. 14111. 19. 12. quanti fuit æstimatus, & pretium fuit partim hæredibus de Staiti, partim hæredibus C. Condojannis, partim verò Principi D. Cæsari de Montecateno solutum.

Anno 1567. die 5. Januarii. D. Joannes Baptista Covello, uti hæres D. Antonini Covello ejus patris, revendidit Comiti D. Cæsari filio Comitis D. Francisci I. & nepoti Comitis Antonii, ejusque hæredibus & successoribus inperpetuùm, Statum & Baroniam Melilli *ad dandum, vendendum, alienandum, & de eis disponendum, prout quilibet Dominus de re propria disponere posset & potest, tanquam justo titulo acquisita*, pro eodem pretio unc. 15230. *6. 16.* quanti fuerat vendita quondam D. Antonino Covello, unà cum aliis unc. 1094. 5. pretii cujusdam molendini, quod construxerat in Baronia: adeò quòd pretium in totum ascendit ad summam unc. 16324. 11. 16.

Anno 1568. die 5. Octobris. Comes D. Cæsar cœpit Baroniæ investituram *pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, juxta formam sui privilegii, ob revenditionem de hujusmodi Terra & Baronia factam &c.*

Anno 1570. die 17. Martii. Comes D. Cæsar vendidit, sub pacto redimendi, D. Bartolomæo Romeo Baroniam Melilli pro pretio unc. 15200.

Anno 1600. die 24. Novembris. Comes Antonius III. filius Comitis D. Francisci primogeniti Comitis D. Cæsaris, reemit, pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, Baroniam Melilli a posse D. Bartholomæi Romeo junioris pro pretio unc. 26000. sub clausulis *ad habendum, tenendum,*

dum, *possidendum*, *utifruendum*, *gaudendum*, *dandum*, *vendendum & alienandum*.

Anno 1637. die 25. Octobris. Comes D. Aloysius postmodùm S. R. E. Cardinalis, filius & hæres C. Antonii III., pacto redimendi reservato, vendidit U.J.D. D.Antonino Parisi Statum & Baroniam Melilli pro pretio unc. 16000. prout idem D. Aloysius tenebat & possidebat, suique antecessores habuerunt, tenuerunt & possederunt, *ac melius*, *pinguius tenere & possidere voluerunt*, *volunt & volebunt quomodocunque in futurùm*, *virtute & auctoritate quorumcunque privilegiorum*, *sive instrumentorum &c.*

Anno 1662. die 8. Septembris. Comes D. Aloysius reemit, pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, a posse U. J. D. Canonici D. Antonii Parisi fratris & donatarii D. Antonini Parisi emptoris, Baroniam Melilli, pro eodem pretio unc. 16000. quas exoluit vel cum capitalibus censuum annualium accollatorum, vel cum pecuniis sibi ad hujusmodi effectum mutuatis, & pro quibus census super eodem Statu constituti sunt: sub clausulis *ad rehabendum &c. eamque exinde detinendum & possidendum*, *prout ante dictam venditionem & alienationem dictus Excell. Dominus Princeps illam tenebat & possidebat &c.*

Anno 1672. Decessit Comes D. Aloysius, instituto D. Ferdinando ejus primogenito.

Anno 1713. Comes D. Ferdinandus, in suo, sub quo decessit, testamento, hæredem sibi scripsit universalem Dominam D. Catharinam Marchionissam Villæfrancæ ejus unicam filiam, Clientem, etiam in Baronia Melilli, de qua tractatur.

Sciendum insuper est, quòd anno 1713. quo decessit Princeps D. Ferdinandus ultimus moriens, quoniam Statùs omnes Domini Ducis Montisalti reperiuntur sub administratione Illustris Judicis Deputati, Baronia Melilli ad annum ab Illustri Judice Deputato gabellata reperiebatur pro summa unc. 1700. licèt solitum esset gabellari pro summa unc. 1400. adeout excessus in hujusmodi gabellatione ex accidēti processerit.

Sicuti etiam sciendum est, quòd pro subjugationibus de tempore in tempus factis per Barones prædecessores occasione reluitionum supra memoratarum, atque pro earum pretio celebratis, cùm ipsi, usque a tempore possessionis Comitis Joannis Thomæ, nihil de suo in illis perficiendis apposuerint, sed census bullares pro pretio constituerint; ad annum solvuntur & debentur super Baronia Melilli unc. 2282. 18. 7.

Et demum sciendum est, quòd tempore mortis ejusdem Principis D. Ferdinandi creditoribus subjugatariis jam dictis pro decursis suarum subjugationum debebantur unc. 25928. 29. 11. ut in præsentiarum, & quidem in superiori quantitate debentur.

Quibus omnibus ad memoriam revocatis, atque in facto suppositis, jurememeritò dicendum est, quòd

quòd, etiamsì per possibile de testamento Comitis Joannis Thomæ legitimè constaret, & ejus fideicommissum agnatitium esset; adhuc tamen possessionis manutentio Dominæ Clienti concedenda est: nam jus luendi per Comitem Joannem Thomam in prima venditione facta sub *anno* 1478. Donnæ Beatrici Branciforti, & subsequenter in aliis venditionibus ab ejus successoribus reservatum & exercitum, de hæreditate fuit, & fideicommisso Comitis Matthęi II. quod a clausula juris francorum, tam qnoad Comitatum Caltanissettæ subrogatum locò Comitatùs Augustæ, quàm quoad Baroniam Castrinovi, quæ pariter locò Comitatùs Augustæ subrogata fuit, rectum fuisse, ex allegatis in primo discursu, jam constat.

Profectò, cùm transactio stipulata per Comitem Joannem Thomam *anno* 1476. cum hæredibus Comitis Antonelli ex fideicommisso Comitis Matthæi facta fuerit, nempe ob controventiones Comitis Guglielmi Raymundi voluntati paternæ, & ob debitum flor. octuaginta mille contentorum in cedulis, & aliorum flor. septem mille de legato Gastoni;
19 rectè sequitur, quòd † Comitatùs Augustæ, atque prælatio, quam habebant hæredes Comitis Antonelli in venditione juris luendi per Regem facta Comiti Joanni Thomæ, per hujusmodi transactionem a Comite Joanne Thoma acquisita, fideicommisso C. Matthæi debeat applicari: ipsa quidem ipsius Comitis Matthæi hæreditatem, ad commodum personarum in fideicommisso vocatarum, auxerunt. Cancer. *var. resol. p.3. cap.* 15. *n.* 211. Noguerol. *alleg.* 19. *n.* 31. Olea *de cess. jur. tit. 6. q.* 7. *n.* 2. Urceol. *de transact. q.* 82. *n.* 11. *& seq.*

Etiam enim † quòd Comes Jo- 20
annes Thomas sibi nomine proprio, & ad dandum, vendendum & alienandum acquisitionem stipulatus esset; utique non potuisset, cùm semper, non obstantibus clausulis antedictis, acquisitio favore fideicommissi Comitis Matthæi facta diceretur, ea ratione, quia in ea jus hæreditatium Comitis Matthæi exercitum fuit, *ex Urceolo, Rota Romana, & aliis* in præcedenti parte allegatis.

Atque inde resultat, quòd cùm titulus per Comitem Joannem Thomam expensus in actu venditionis factæ Donnæ Beatrici Branciforti, in qua jus luendi, de quo tractatur, reservatum est, fundatus expressè videatur in transactione prædicta stipulata sub *anno* 1476. cum hæredibus Comitis Antonelli; hujusmodi jus luendi de fideicommisso fuerit Comitis Matthæi, & favore suorum substitutorum reservatum, *ex Doctoribus superiùs allegatis*: atque, quòd Baronia Melilli quæsita per exercitium juris luendi, ut dictum est, in venditione reservati de eodem fideicommisso Comitis Matthæi facta sit. Siquidem per memoratam venditionem fuit a Comite Joanne Thoma venditus Donnæ Beatrici Branciforti Comitatus Augustæ, qui sibi per transactionem,

nem, ut in ipsa venditione enunciatur, ab hæredibus Comitis Antonelli relaxatus fuerat, & ad eum finem venditio facta est, ut hæredibus ipsis solverentur illi flor. quatraginta mille in transactione pro Comitatu defacto recuperando promissi, reservato jure luendi, quod fuit exercitum a Comitis Joannis Thomæ successoribus, iis vicibus, quibus Comitatus alienatus est, & reemptus.

Opponitur tamen in contrarium primò, quòd quatenus acquisitio ex causa fideicommissi Comitis Matthæi facta esset; adhuc tamen non ex causa solius fideicommissi Comitis Matthæi, sed ex aliis juribus, quæ Comiti Joanni Thomæ nomine proprio competebant, acquisitio facta dici deberet: eo scilicet quia Comes ipse Joannes Thomas omnes & quascunque lites in se suscepit, quas hæreditas Comitis Antonelli ex testamentis Comitis Guglielmi Raymundi, & hypothecis ipsius Comitis Antonelli, actu patiebatur & imposterum pati poterat: ac etiam quia Comes ipse Joannes Thomas liticessit prætensioni successionis Comitatùs Augustæ & aliorum bonorum Comitis Guglielmi Raymundi, quam habebat uti cessionarius Antonii Perii Ambrosii de Moncada Domini Ferulæ, quæ ad eum ex cessione prædicta nomine proprio pertinebat.

Sed oppositio assumpto nostro non nocebit: nam præscindendo ab eo, quòd hujusmodi aliæ causæ minimam acquisitionis partem absorberent, quæ a majori causæ principalis fideicommissi Comitis Matthæi victa esset; causa finalis, propter quam hæredes Comitis Joannis Thomæ Comitatum atq; prælationem, quam habebant in venditione juris luendi relaxarunt, ea fuit, ut se liberarent a litibus per C. Joannem Thomam introductis ex fideicommisso Comitis Matthæi, & attenta earum dubietate: ut apertè indicant verba ipsa transactionis in facti serie transcripta.

Quamvis autem causæ principali jam dictæ aliæ memoratæ causæ adjunctæ fuerint; finalis tamen, & quæ universum contractum regere visa est, ea fuit, quæ ex fideicommisso Comitis Matthæi, & ab expositis motivis contraventionis, & debitorum Comitis Guglielmi Raymundi ortum habuerat: adeout transactio ceciderit super prætensionibus ex fideicommisso Comitis Matthæi resultantibus, tanquam causa finali ipsius transactionis: quidquid sit de aliis causis, quæ adjunctæ sunt: istæ enim secundariæ fuerunt & remotæ, & super quibus non principaliter, sed secundariò transactio cecidit: transactio † enim facta 21
ex pluribus causis, quarum una sit principalis, alia verò secundaria & remota sustinetur, etiam quòd causa secundaria & remota deficeret, si causa principalis non deficiat, quia causa principalis est attendenda, non autem secundaria, vel remota: & ipsa sustinet transactionem, non autem reliquæ, quæ non principaliter fuerunt

runt in causa ut transactio perficeretur, ad tradita per Luca *de fideicom. disc. 33. n. 29.*

Eo fortiùs, quòd aliæ causæ, eâ fideicommissi Comitis Matthæi subsistente, cessare videbantur, & ad eum finem cumulatæ fuerunt, ut possidente Comite Joanne Thoma Comitatum & prælationem ex fideicommisso Comitis Matthæi, per eum titulus possessionis ex causa anteriori allegari potuisset, & aliæ causæ prædictæ cessarent: cùm enim bona omnia Comitis Antonelli hæreditaria fuerint Comitis Guglielmi Raymundi ejus patris debitoris Comitis Joannis Thomæ; prætensio creditorum procedentium ex testamento vel hypothæcis Comitis Guglielmi Raymundi, & Comitis Antonelli cessabat: nam hypothæca Comitis Joannis Thomæ ortum habebat ab *anno* 1423. quo decesserat Comes Matthæus, & Comes Guglielmus Raymundus illius adierat hæreditatem: ea verò aliorum creditorum tum Comitis Guglielmi Raymundi, tum Comitis Antonelli erat satis superque posterior.

Idemq; dicendum est de successione Comitatùs Augustæ & aliorum bonorum Comitis Guglielmi Raymundi prætensa per Comitem Joannem Thomam, utì cessionarium Domini Ferulæ: cùm enim Dominus Ferulæ prætendisset post mortem Comitis Antonelli absq; filiis masculis in Comitatu Augustæ successisse ex fideicommisso adjecto in testamento Comitis Guglielmi Raymundi; Comitatu Comiti Joanni Thomæ adjudicato, Dominus Ferulæ ab illo per titulum possessionis ex causa anteriori pariter repellebatur: siquidem hypothæca Comitis Joannis Thomæ incæperat, ut dictum est, a die quo Comes Guglielmus Raymundus adierat hæreditatem Comitis Matthæi ejus patris: hypothæca verò Domini Ferulæ, ejusque titulus ortum habebat a die testamenti Comitis Guglielmi Raymundi, proindeque eâ Comitis Joannis Thomæ pariter posterior erat.

Si dicere non licet, quòd hujusmodi Comitis Joannis Thomæ prætensio nullius ponderis erat, quia ante Dominum Ferulæ substitutus fuerat Comes Antonius I. Comitis Guglielmi Raymundi frater, ipsique Comiti Antonio, non autem Domino Ferulæ successio spectabat, &, quod omnem prorsùs tollebat difficultatem, in Comitatu Augustæ nulla Comiti Antonello facta fuerat substitutio: quoniam Comes Guglielmus Raymundus per suos codicillos liberè Comitem Antonellum in Comitatu instituerat.

Ut defactò Comes Joannes Thomas, ut titulum judicialem possessionis ex causa anteriori allegare potuisset, pacto se tutum reddere voluit, ut causam pendentem ex fideicommisso C. Matthæi prosequi valeret, & quòd sententiâ proferendâ uti posset contra quoscunque, præter hæredes Comitis Antonelli, contra quos voluit sententiam haberi pro non pronunciata.

Ultra

Ultra quàm quòd quarumcunque summarum accollus, ac quælibet indemnitatis servatio per Comitem Joannem Thomam stipulata, pro debitis Comitis Guglielmi Raymundi & Comitis Antonelli, apta non esset ad producendum effectum acquisitionis nomine proprio in Comite Joanne Thoma, qui ex fideicommisso Comitis Matthæi transactionem perfecit, sed tantùm ex eo quantitatis fortè solvendæ repetitio contra fideicommissum ad sui favorem qualificata remaneret, si aliquem ex creditoribus pecuniis propriis dimisisset.

Quod præsertim applicari potest ad servationem indemnitatis, quam pariter favore hæredum Comitis Antonelli Comes Joannes Thomas effecit in transactione pro legatariis Comitis Matthæi: cùm enim quoad istos Comiti Joanni Thomæ veluti creditori posteriori titulus possessionis ex causa anteriori suffragari non posset; ex ea nihil aliud resultare valebat, nisi quòd, ubi Comes Joannes Thomas illis aliquam quantitatem exoluisset, eam repetere potuisset a substitutis. Id autem defactò non evenit: quoniam ex hujusmodi servatione indemnitatis, neque in obulo, Comes Joannes Thomas molestatus apparet.

Demum verò allegata non removentur, ex eo quia in transactione pariter in considerationem habitum est, quòd Comes Joannes Thomas emerat a Rege jus luendi Comitatum Augustæ, & quòd illud exercere volebat, ut protestatus erat: nam præscindendo ab eo, quòd hæredes Comitis Antonelli potuissent in venditione præferri, ex facultate per Regem Comiti Guglielmo Raymundo in privilegio concessionis adjecta, ut inferiùs dicendum est; nihil hoc facit ad titulum acquisitionis: ipsum enim Comes Joannes Thomas eo modo, quo possidebat, conservavit, & non tanquam motivum principale transactionis, sed ad exuberantiam: & in narrativa transactionis de hujusmodi suo jure luendi mentio facta est, non autem in dispositiva, ubi motiva transactionis repetuntur: postquam enim in proœmio transactionis mentio judiciorum per Comitem Joannem Thomam ex fideicommisso Comitis Matthæi institutorum facta fuit: & quòd pro eis extinguendis, ad transactionem deveniendum erat, tanquam adjectum cumulatur, quòd Comes Joannes Thomas pariter facultatem habebat luendi Comitatum; at in dispositiva transactionis, & in cedula pro utilitate hæreditatis Comitis Antonelli in actis M. R. C. recepta, quæ in transactione inserta est, alia quàm motiva superiùs adnotata non recensentur; nullo penitùs facto amplius verbo de jure luendi a Comite Joanne Thoma possesso.

Opponitur in contrarium secundò, quòd quatenus acquisitio ex fideicommisso Comitis Matthæi prætendi posset; per sæpiùs enunciatam transactionem factam

per

per Comitem Joannem Thomam cum hæredibus Comitis Antonelli, atque per venditionem Comitatùs factam per Comitem Joannem Thomam Donnæ Beatrici Branciforti, jus luendi Comitatum a Comite Joanne Thoma, qui illud ex venditione per Regem sibi facta possidebat, exercitum fuit, & proinde Comitatus proprius evasit Comitis Joannis Thomæ: fingitur enim, quòd acquisito Comitatu, Comes Joannes Thomas ex jure luendi sibi spectante, Comitatum a semetipso reemerit, atque sibimetipsi utì successori Comitis Matthæi, ad cujus favorem acquisitio facta esset, pretium Comitatùs exolverit, eumque per tacitam luitionem a nexu fideicommissi Comitis Matthæi liberaverit, & deinde tanquam a se pleno jure possessum Donnæ Beatrici Branciforti vendiderit: adeout substituti in testamento Comitis Matthæi nonnisi pretii Comitatùs contra Comitem Joannem Thomam creditores remanserint: ii verò, qui in testamento Comitis Joannis Thomæ substituti sunt, jus luendi Comitatum in venditione facta Donnæ Beatrici Branciforti reservatum habuerint: & deinde sequutâ ex prædicto jure luendi reluitione, ipsius Comitatùs successionem consequuti fuerint, ex consiliis Casanat. *ab Adversario superiùs allegatis*.

Verùm, si factum ita esset, omnia ea applicarentur in dubii solutionem, & quidem potiori jure, quæ in præcedenti parte allegata sunt, ex Cutellio *& aliis ibidem recensitis*. Factum autem, quod hìc occurrit, ab illo diversissimum est: nam Comes Joannes Thomas nec expresè neque tacitè Comitatùs luitionem explevit vel explere valebat, neque id fecit aut facere poterat Donna Beatrix Branciforti, postquàm omnia Comitis Joannis Thomæ jura per venditionem acquisivit.

Profectò Comes Joannes Thomas post acquisitum, ex transactione stipulata cum hæredibus Comitis Antonelli, Comitatum Augustæ, haud unquam naturaliter illum possedit, sed tantùm per purum constitutum conditionale, nempè ex nunc pro tunc depositatis flor. quatraginta mille ad nomen hæredum Comitis Antonelli, illum habuit assignatum: atqui Comes Joannes Thomas, ante adeptam naturalem Comitatùs possessionem, illum vendidit Donnæ Beatrici Branciforti; consequens ergo, quòd nullam Comes Joannes Thomas fecerit, nec facere potuerit reluitionem: extrema quidem ad illam efficiendam nunquam fuerunt habilia. Prædictaque Donna Beatrix Branciforti contenta fuit cessione omnium jurium Comiti Joanni Thomæ spectantium, quæ, cùm in eo consisterent, quòd in ipsam Comitatus per Comitem Joannem Thomam ex transactione civiliter possessus, ac jus luendi a Rege illi venditum, absque eo quòd unquam exercitum videretur, translata fuerint; hinc jus luendi extinctum fuit, & nullo modo potuit per D. Beatricem exerceri.

Sed,

Sed, si per possibile jus luendi vel implicitè vel explicitè a Comite Joanne Thoma, vel a Donna Beatrice Branciforti exercitum fuisset; jus Dominæ Clientis substitutæ in fideicommisso Comitis Matthæi mirabiliter confirmatum remansisset.
22 Juris enim † est indubitati, quòd jus prælationis in pactum deduci possit & conveniri, per textum expressum in *L. qui Romæ* §. *coheredes ff. de verbo signif. L. ne cui C. locati.* Cenc. *de conf. qu.* 64. *n.* 17. Ciroce. *discept.* 69. *n.* 3. *lib.* 1. Donad. *de renunc. to.* 1. *cap.* 30. *n.* 89. Corradin. *de jure prælation. qu.* 7. *n.* 1. *& seq.*

23 Jurisque pariter † est absolutissimi, quòd ubi quis ex pacto prælationem concessam habuit, casu quo jus luendi in venditione reservatum venditor alienaverit, sequutâ juris luendi venditione, habetur acsi ab initio primus rei emptor, juris luendi venditi pariter principalis emptor extiterit, & acsi contractus venditionis cum eo ac nomine suo celebratus fuisset. Capic. Galeot. *respons. fiscal.* 29. *n.* 25. *vers. & quoniam*, *& seq.* Mangil. *de subhast. qu.* 119. *n.* 5. *& seq.* Gratian. *cap.* 876. *n.* 2. *& seq.* Ganaver. *cons.* 2. *n.* 87. Ponte *decis.* 11. *n.* 79. *& seq.* Giurba *decis.* 55. *n.* 1. *& seq. & n.* 6. *vers. etsi.* R. R. *p.* 18. *decis.* 395. *n.* 7. *&* 8. Corradin. *de jure prælation. qu.* 5. *n.* 1.

Ex quibus fit, quòd cùm in contractu venditionis Comitatùs Augustæ factæ per Regem Comiti Guglielmo Raymundo, reservato jure luendi, ac in venditione Portùs Comitatùs ejusdem facta Comiti Antonello, reservato pariter jure luendi, pactum adjectum fuerit, quòd rei emptores in venditione juris luendi deberent cuicunque præferri; statimac Rex jus luendi Comiti Joanni Thomæ vendiderit, hujusmodi venditio Comiti Guglielmo Raymundo, Comitive Antonello, ejusque hæredibus facta dici debuerit: adeout ab eis, soluto juris luendi pretio Comiti Joanni Thomæ, nihil esset, quòd isti contra illos competeret, *ex Doctoribus superiùs allegatis*.

Atque inde resultat, quòd cùm hujusmodi prælatio translativè in transactione per hæredes Comitis Antonelli Comiti Joanni Thomæ concessa videatur, atque id intuitu transactionis gestum fuerit, ac ex juribus & causis ibidem expressis, quæ in prætensionibus ex fideicommisso Comitis Matthæi resultantibus, ut dictum est, consistebant; jus luendi, ipso facto, de hæreditate Comitis Matthæi evaserit, & pactum redimendi Comitatum in venditione facta Donnæ Beatrici Branciforti reservatum, eò ipsò quòd tacita luitio sequuta erat, hæreditarium pariter Comitis Matthæi dici debuerit, ac in favorem suorum successorum conservatum, & subsequenter exercitum, & nihil aliud favore Comitis Joannis Thomæ remanserit, nisi pretium juris luendi, quod in venditione sibi a Rege facta, erogavit.

Pretium autem hujusmodi juris luendi Comes Joannes Tho-

mas iterum consequi non deberet ex eo, quòd per recitatas transactionem, atque Comitatùs venditionem, & per actùs subsequenter factos cum hæredibus Donnæ Beatricis Branciforti, C. Joannes Thomas de eo jam satisfactus est: ex his enim, quæ in relatione venditionis, atque pretii solutionis adnotavimus, compertum habetur, quòd C. Joannes Thomas de pretio venditionis hæredibus Comitis Antonelli persolverit de pecuniis Donnæ Beatricis Branciforti unc. 5589. 21. & quòd reliquum erat ad complementum unc. 6600. in venditione sibi per D. Beatricem promissarum, nempe unc. 1010. 9. a Donna Beatrice consequutus sit. Sicuti etiam manifestum apparet, quòd *anno* 1492. Comes Joannes Thomas pro supplemento pretii Comitatùs compensatas habuit a D. Nicolao Melchiore Branciforti unc. 2913. ultra alias unc. 6600. quas solverat Donna Beatrix Branciforti pro pretio venditionis, quæ quidem unc. 2913. unitæ cum dictis unc. 1010.9. summam capiunt unc. 3923.9. Unde est, quòd cùm Comes Joannes Thomas pro pretio juris luendi erogaverit unc. 2900. 6. nempe unc. 2700. 6. quæ fuerunt solutæ Regi, & unc. 200. quas solvit pro expensis & scripturis; de pretio juris luendi satis superque fuerit cum pretio retracto ex re hæreditaria Comitis Matthæi satisfactus, & quòd nihil ultra prætendere posset.

Et demum opponitur tertiò, quòd licèt fideicommissum Comitis Matthæi fuerit in causa acquisitionis Comitatùs Augustæ; nihilominus non per hoc acquisitio facta est fideicommisso, sed C. Joanni Thomę nomine proprio: quoniam casus substitutionis, ex quo Joannes Thomas ad transactionem cum hæredibus C. Antonelli devenit, verificatus fuit per contraventionem C. Guglielmi Raymundi voluntati paternæ Comitis Matthæi, ad cujus præscriptum Comitatus Caltanissettæ, commissa contraventione, incontinenti transivit in substitutum, qui fructus suos fecit: adeout, cùm floreni 80. mille contenti in cedulis condemnatoriis, pro quibus exolvendis transactio facta est, prætensi fuerint a Comite Joanne Thoma pro fructibus Comitatùs Caltanissettæ perceptis a Comite Guglielmo Raymundo tempore suæ possessionis, quia non ad Comitem Guglielmum Raymundum, sed ad substitutum nomine proprio pertinebant; consequens est, quòd etiam Comitatus, per hæredes Comitis Antonelli Comiti Joanni Thomæ in hujusmodi fructuum solutionem relaxatus, Comiti Joanni Thomæ nomine proprio spectavit, non autem fideicommisso.

Sed oppositio non obstabit primò, quia verum non est, quòd hujusmodi floreni 80. mille tantùm constabant ex fructibus perceptis a Comite Guglielmo Raymundo post contraventionem, sed pro omnibus prætensionibus ortum habentibus a fideicommisso Comitis Matthæi Comiti Antonello, ejus-

ejusque hæredibus, per Comitem Joannem Thomam cedulæ remissæ sunt, licèt inter eas illa restitutionis fructuum haberetur a Comite Guglielmo Raymundo perceptorum, ut dicitur in transactione per hæc verba. *Et vigore dicti testamenti Comitis Matthæi, dictus Illustris Dominus D. Joannes Thomas prætendens se proprio & hæreditario jure vocatum & comprehensum ex testamento & codicillis Comitis Matthæi, propter controventiones, quas asserit forè factas per dictum Comitem Guglielmum Raymundum voluntati paternæ, & prætendens omnes fructus dicti Comitatùs Caltanissettæ, quos percepit & percipere potuit dictus D. Guglielmus Raymundus a tempore, quo dictum Comitatum habuit & possedit sibi deberi; & propterea in vita Domini D. Antonelli causaverit sibi cedulam condemnatoriam contra eundem Dominum Antonellum, tanquam hæredem Domini Guglielmi Raymundi patris sui in flor. 30. millibus, salva petitione de pluri, & proinde aliam cedulam in flor. 50. millibus &c.*

Profectò contraventio Comitis Guglielmi Raymundi voluntati paternæ, ex qua universum creditum flor. 80. mille in Comite Joanne Thoma cousiderari valebat, etiam in pretio consistere poterat bonorum de Comitatu Caltanissettæ alienatorum, quorum reintegratio ad omnes substitutos in fideicommisso Comitis Matthæi perpetuò spectabat.

Secundò, fideicommisso Comitis Matthæi, non autem Comitis Joannis Thomæ, nomine proprio, acquisitio facta est, quia transactio æquè principaliter ab exequutione processit, quam Comes Joannes Thomas contra hæredes Comitis Antonelli causaverat in flor. 7. mille, pluris petitione servata, sibi debitis in compotum illorum flor. 10. mille de pretio Castrinovi, qui indubitabilissimè erant de fideicommisso Comitis Matthæi, ut Comes ipse Guglielmus Raymundus in ejus testamento declaraverat, & Comes Antonellus favore Comitis Joannis Thomæ se obligaverat: licèt enim per eandem transactionem exequutio prædicta suspensa fuerit, & remissa Judicibus compromissariis ab Illustrissimo Prorege destinatis; adhuc tamen suspensio ipsa in causa fuit transactionis, quod omninò fideicommisso Comitis Matthæi tribuendum est.

Tertiò, acquisitio fideicommisso Comitis Matthæi facta est, quia relaxatio Comitatùs Comiti Joanni Thomæ, nomine proprio, facta non fuit, nec ad dandum, vendendum & alienandum: & licèt clausula subjungatur, *pro se suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm*; ea tamen de hæredibus & succesoribus ex fideicommisso Comitis Matthæi intelligenda est: quoniam in transactione, nedum Comes ipse Joannes Thomas, verùm etiam Comes Guglielmus Raymundus V. ejus filius primogenitus intervenit: sicuti enim si ageretur de re libera Comitis Joannis Thomæ, necessarius non fuisset interventus Comitis Gu-

glielmi Raymundi, ità ex illius interventu, quòd agebatur de re fideicommisso subjecta, & quòd stipulatio pro successoribus in fideicommisso Comitis Matthæi per Comitem Joannem Thomam facta fuerit, declaratur.

Et quartò demum, acquisitio fideicommisso Comitis Matthæi, non autem Comiti Joanni Thomæ, nomine proprio, indubitanter facta est: quoniam Comes Joannes Thomas evictionem promisit, ac omne periculum in se suscepit omnium litium fortè movendarum contra hæredes Comitis Antonelli super Terra & Comitatu Augustæ, ex testamento & codicillis Comitis Matthæi, eos indemnes servando: si enim Comes Joannes Thomas nomine proprio actum facere intendebat; nihil erat, quòd ad substitutos Comitis Matthæi pertineret, nec ullam actionem exercere potuissent, si soli Comiti Joanni Thomæ transactio spectaret: verba transactionis hæc dicunt. *Maximè etiam si quæstio aut lis moveretur ab illis, qui possint esse vocati, aut vocarentur tam ex testamento & codicillis dicti Comitis Matthæi, quàm ex testamento & codicillis Comitis Guglielmi Raymundi &c.*

Sed si per possibile Comitatus Augustæ in satisfactionem tantùm fructuum Comitatùs Caltanissettę per Comitem Guglielmum Raymundum tempore ejus vitæ perceptorum, Comiti Joanni Thomæ relaxatus fuisset; non per hoc manutentio possessionis Dominæ Clienti denegari posset: quoniam transactio nomine C. Guglielmi Raymundi V. viri Comitissæ Contissellæ unicæ filiæ dotatariæ & hæredis Comitis Antonii I. facta diceretur, & proinde semper in Comitatùs possessione sive in ejus parte, ut Hybla est, Domina Cliens manutenenda esset: fructus enim prædicti Comiti Antonio spectabant, quia Comes Antonius, non autem Comes Joannes Thomas erat substitutus, per contraventionem Comitis Guglielmi Raymundi, utì descendens ex Comite Matthæo, & in suo fideicommisso comprehensus, quod confirmavit in suis codicillis, ubi omnes suos descendentes, inter quos Comes Antonius ad Comitatùs successionem esse invitatos, declaravit.

Objectum autem, quod ad id obtinendum necessaria esset sententia declaratoria in judicio reivindicatorio proferenda, resolvitur: nam vel id necessarium non erat ob interventum Comitis Guglielmi Raymundi V. in transactione, ut dictum est, vel jam executum quisque putabit ex eo, quòd mortuo Comite Antonio, relictâ tantùm Comitissâ Contissellâ ejus unicâ filiâ & hærede, hæc per testamentum, sub quo decessit, hæredem particularem sibi scripsit, præsertim super juribus Comitatùs Augustæ, Comitem Antonium II. ejus primogenitum, in quo & ejus successoribus primogenitis Comitatus perseveravit: juris † enim ministerio Comes Antonius vel reliqui successores absque ulla animi declaratione causam eorum possessionis 24

ad

ad eorum beneplacitum mutare
potuerunt, *ex Doctoribus allegatis
in parte secunda discursûs secundi
num.* 12.

Eo fortiùs, quòd in casu nostro
25 † hujusmodi animi declaratio non
deficit: in facto enim suppositum
est, quòd *anno 1637.* Princeps
D.Aloysius,in venditione Baroniæ
Melilli facta U. J. D. D. Antonino
Parisi, expressè declaravit Statum
& Baroniam Melilli eo meliori
modo, quò pinguiùs sibi providere
posset, possedisse, nempe
virtute & authoritate quorumcunque
privilegiorum, sive instrumentorum,
vigore quorum
ejus antecessores Statum Melilli
possederunt, & possidere potuerunt:
atq; etiam *anno 1662.* idem
Princeps D. Aloysius confirmavit:
nam in contractu reluitionis
Baroniæ Melilli, quam a manibus
Reverendi Canonici D. Antonii
Parisi Princeps D. Aloysius exequutus
est, iterum dixit, quòd
eum rehabere intendebat, prout
habuerat antequam Baroniam, reservato
jure luendi, in D. Antonium
Parisi alienasset.

Quatenus verò, absque veri
præjudicio, transactio per C. Guglielmum
Raymundum V. jus &
causam habentem a Comite Antonio
I. cui fructus, pro quibus assignatio
Comitatùs facta est, competebant,
facta dici non deberet,
nec titulus possessionis mutatus
fuisset; successores Comitis Antonii
I., cujusmodi est Domina
Cliens per intermediam personam
illius descendentium, qui successionem
suorum bonorum per clausulam
juris francorum regulandam
esse stabilierunt, fructus
jam dictos exigere potest, atque
illas unc. 1500. ad complementum
unc. 2000. seu flor. decem mille
de pretio Castrinovi, & de legato
Gastoni, juxta transactionem initam
anno 1466. inter Comitem
Joannem Thomam, & Comitem
Antonellum: imò & valet Domina
Cliens manutentionem possessionis
fideicommissi (si foret) Comitis
Joannis Thomæ prætendere.
Inconcussa enim est nostrorum Patrum
sententia, quòd † conceden- 26
da sit hæredibus hæredis gravati
etiam extraneis retentio fideicommissi
pro creditis & benefactis in
fideicommisso factis. Cavaler. *decis.
R.R. 130. per totam.* Altograd.
contr. 47. *n.* 25. Intrigliol. *de feudis
cent.* 1. *qu.* 59. *n.* 15. Tam si judicium,
† in quo id prætenditur, 27
petitorium sit, quàm si possessorium.
Rosental. *de feudis cap.* 10.
concl. 43. *a n.* 155. *ad* 120. Pacion.
de locato & conducto cap. 34. §. 3.
n. 51. Imò, etiam quòd † pro hu- 28
jusmodi creditis & melioramentis
competat filiæ fœminæ & hæredi
ultimi possessoris feudi immissio,
etiam adversùs agnatum, cui successio
competeret, firmarunt Argel.
de legitimo contradictore qu. 20.
art. 2. *per tot.* Rosental. *de feud.
cap.* 7. *concl.* 47. *n.* 10. & 11. Lanar.
consf. 80. *num.* 51. Luca *de feud. in
controv. Boscoli art.* 6. *n.* 61. & 62.
Prout in Regno nostro † fuisse 29
concessam manutentionem pro
creditis in judicio possessorio, refert
decisum Ill. Præses Gastone
discept. 28. *in fine.*

Ve-


Verumtamen eſt, quòd hujuſmodi retentio vel immiſſio hæredi ſcripto non aliter concedatur, quàm ut de benefactis vel creditis ſibi ſatisfiat, adeout pretio benefactorum vel creditorum cum fructibus fideicommiſſi perſoluto, res ad fideicommiſsarium pleno jure redire debeat: hoc autem in caſu noſtro verificari non poſset, ſed in proprietate Dominæ Clienti Baronia concedenda eſset, nam Baroniç fructus ad ſummam aſcendunt quolibet anno unc. 1400. onera verò ſeu cenſus, qui ſuper Baronia annuatim debentur, ſummam capiunt unc. 2282. 18. 7. proindeque nedum de ſuis creditis Domina Cliens haud unquam ſibi ſatisfieret, ſed ſatis de ſuo creditoribus reſtituere teneretur, qui ultrà cenſus annuos pro interuſuriis maturatis & non ſolutis, in ingentibus pecuniarum ſummis quantitatem unc. 25928. 29. 11. excedentibus, creditores reperiuntur.

Omnia verò ſuperiùs exarata adeò vera ſunt, ut aſserto fideicommiſso Comitis Joannis Thomæ omnes ejus ſucceſſores uſi non ſint: & quamvis aliquando, nempe *anno* 1568. occaſione litis exortæ inter Principem D. Cæſarem, & Comitem Condojannis, ſuper diſtributione pretii Comitatùs Auguſtæ venditi Regiæ Curiæ, fuerit factum quoddam compromiſsum in perſonam U.J.D. D. Joannis Jacobi Contarino & U.J.D. D. Hieronymi Graffeo, & in eo fuerit a Principe D. Cæſare prætenſum, quòd quædam ſummæ ſolutæ per D. Thomam Marullo Comitem Condojannis emptorem Comitatùs Auguſtæ, ex venditione ſibi facta per Comitem Antonium in contractu matrimoniali inito inter Dominam D. Franciſcam de Moncada filiam ipſius Comitis Antonii, & D. Joannem Marullo filium ipſius Comitis Thomæ Marullo, in pretio Comitatùs bonificari non debebant, quia cum eis dimiſſi non fuerant creditores afficientes in venditione compacti, & Comitatùs Auguſtæ vinculo Comitis Joannis Thomæ (abſque eo quòd teſtamentum cum die & conſule kalendaretur) prætendebatur obnoxius; Nihilominus Arbitri a declaratione fideicommiſſi C. Joannis Thomæ ſe abſtinuerunt, vel quia de ejus teſtamento legitimè non conſtabat, vel quia in C. Joanne Thoma poteſtatis defectum conſiderarunt.

Unde concludendum eſt, quòd ubicunque ſe vertat Adverſarius, deduci non poſſit in controverſiam, quòd manutentio poſſeſſionis de Statu & Baronia Melilli, inſimul cum aliis Statibus, Dominæ Clienti veniet concedenda.

Finis Diſcursùs Tertii.

DI-


C. Guglielmus Raymundus III.
C. Joannes Dominus Ferulæ, & Comes Adernionis, quæsivit redditum unc. 164. ann. super extractionibus, & granum.
C. Matthæus II. Comes Augustæ, & deinde Comes Caltanissettæ.
Antonius Perius Baro Ferulæ.
IV. C. Guglielmus Raymundus Comes Adernionis, quæsivit gabellam vini.
I. C. Antonius secundogenitus, olim frater Divi Dominici, & postea Comes Caltanissettæ.
IV. Guglielmus Raymundus primogenitus, Comes Caltanissettæ, & Comes Augustæ, obiit sine filiis legitimis.
C. Joannes Thomas Comes Adernionis, & Comes Caltanissettæ.
V. C. Guglielmus Raymundus Comes Adernionis, & Comes Caltanissettæ cum
C. Contissella.
II. C. Antonius primus quæsitor Mottæ Sanctæ Anastasiæ.
I. C. Franciscus.
I. C. Cæsar.
II. C. Franciscus.
III. C. Antonius.
I. C. Aloysius S. R. E. Cardinalis.
Ignatius.
I. C. Ferdinandus ultimus moriens.
Ferdinandus.
I. C. Catharina Cliens.
Aloysius Guglielmus Dux Sancti Joannis Contendens.
Federicus Dux Fernandinæ Contendens.


DISCURSUS QUARTUS

SUPER SUCCESSIONE

STATUS ET BARONIÆ MOTTÆ SANCTÆ ANASTASIÆ,

ATQUE

Gabellæ vini Civitatis Catinæ, redditus unciarum centum sexaginta quatuor anno quolibet debitarum super extractionibus frumentorum a Regno, & grani unius super qualibet salma frumentorum, quæ a Regno pariter extrahitur.



SUMMARIUM.

Facti series. *num.* 1.

Divisio discursus. *num.* 2.



Nihil penitùs super successione Statùs & Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ dicendum, scribendumve foret, sapientissimi Judices, etiamsì ea attendi deberent, quæ ab Adversario favore Domini Ducis Sancti Joannis proposita sunt: ipse enim sciens primum hujusmodi Statùs acquisitorem fuisse Comitem Antonium hujus nominis Secundum, ac proinde, quòd favore Dominæ Clientis a clausula juris francorum hujusmodi Baroniæ successio regulanda sit, vel ob mortem ab intestato ipsius Comitis Antonii, qui pater fuit Principis D. Francisci I. vel ex dispositione Principis D. Francisci II. qui Principi D. Cæsari Principis D. Francisci I. filio & hæredi, etiam ab intestato successit, & clausulam juris francorum in suis tabulis nuptialibus cum D. Maria Aragona & la Cerda plenissimè confirmavit; ex eo possessionis manutentionem pro Dño Duce Sancti Joannis agnato prætendit, quia pretium illius acquisitionis retractum supponit ex alienatione quorundam feudorum, quæ de membris erant, & pertinentiis Statùs & Baroniæ Paternionis, atque Comitatùs Caltanissettæ: affirmat equidem, quòd si Domino Duci Sancti Joannis manutentio possessionis in Comitatu Caltanissettæ, & in Statu & Principatu Paternionis ex agnatione concedenda est; ità ei manutentio possessionis Statùs & Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ denegari

negari non potest: Status enim Mottæ Sanctæ Anastasiæ, vel juris ministerio illorum vice subrogatus fuit, vel ex destinatione Comitis Antonii ipsius primi acquisitoris, ad Statum Paternionis aggregatus est.

Cùm autem successio Statùs & Principatùs Paternionis, atque Comitatùs Caltanissettæ, quidquid in contrarium allegatum sit, in Domina Cliente ex antecedentibus orationibus satis probata atque confirmata videatur; nihil, inquam, esset super hujusmodi successione disputandum: siquidem ex prætensa subrogatione vel aggregatione, etiam pro Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ, mandatum de manutenendo Dominæ Clienti pariter illorum succeditrici concedendum esset.

At quia non ex successione in Comitatu Caltanissettæ vel in Statu Paternionis, Statum & Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ ad Dominam Clientem pertinere dignoscitur, sed ex clausula juris francorum, quam dilexerunt, ut dictum est, vel Comes Antonius primus illius acquisitor, per ejus obitum ab intestato, vel sequentium post eum Baroniæ successores; eamobrem, ut id cognoscant perspicacissimi Judices, atque sciant Dominæ Clientis successores, quòd Status & Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ non ex eo Dominæ Clienti concessa est, quia Status & Principatus Paternionis, atque Comitatus Caltanissettæ legitima succeditrix in præsenti judicio declarata fuit, sed quod ex clausula juris francorum, etiam in hujusmodi Statùs successione considerata, ipsi manutentio possessionis indulta est. Nonnulla breviter dicam, ex quibus assumptum probatum evidentissimè remanebit.

Cùm itaque † Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ possideret nobilissimus vir D. Raymundus de Perellos Comes Galeani, qui recepta dote unc. 2200. nuptias contraxerat cum Violante de Mastro Antonio uxore primùm Spectabilis Petri la Grua Baronis Careni, ex quo filios habuerat Joannem-Vincentium, & Joannellam la Grua, quæ uxor erat Spectabilis & Excellentis Domini Jacobi Alliata Baronis Castri ad mare de Gulfo Locumtenentis in officio Magistri Justitiarii hujus Regni: atque Raymundus, soluto matrimonio ob mortem Violantis matris, dotem privignis restituere non curasset; servatis servandis, Baroniâ per judiciariam adjudicationem privatus est: fuit equidem Baronia liberata sub *anno 1614.* Spectabili D. Aloysio Sanchez Regni Protonotario pro pretio unc. 1210. cum quibus dimissa est Joannella altera ex filiis primi matrimonii Violantis. 1

Quia verò penès D. Raymundum de Perellos debitorem adjudicatum remanserat jus luendi Baroniam a manibus D. Aloysii Sanchez illius ex secundo decreto possessoris, atque obligatio solvendi reliquum dotis Joanni Vincentio la Grua alteri privigno, quæ adhuc per solutionem extincta

cta non erat; eamobrem ad instantiam Joanuis Vincentii la Grua fuit jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ, quod æstimatum fuerat in summa unc. 1300. *anno* 1522. servatis servandis, liberatum Comiti Antonio de Montecateno hujus nominis II. pro summa unc. 1400. quæ creditoribus D. Raymundi ad formam liberationis debebant exolvi.

Ut ergo summam harum unc. 1400. Comes Antonius pro pretio juris luendi persolveret, ad infrascriptas feudorum venditiones devenit.

Anno enim 1522. die 6. Januarii. Comes Antonius, facta narratione, quòd ad redimendam gabellam vini Civitatis Catanæ per Comitem Joannem Thomam, reservato jure luendi, alienatam, vel ut emeret jus luendi Baroniam Mottæ S. Anastasiæ, quod sibi distrahere intendebat Jacobus Alliata vir Joannellæ la Grua, quæ jus habebat a Joanne Vincentio fratre, a posse D. Raymundi de Perellos, opus habebat unc. 600; feuda vendidit de Vasadonna & lo Piraino, de membris & pertinentiis Statùs Paternionis, magnifico Guglielmo Raymundo de Randisio Baroni Armicci, reservato jure luendi, pro pretio unc. 600. quas promisit Comes Antonius se erogaturum, vel pro reluitione gabellæ vini Civitatis Catanæ, vel pro emptione juris luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ, ut in narrativa contractùs prænotatum erat.

Ea tamen feuda dixit Comes Antonius de suis propriis pecuniis recuperasse a posse magnifici Nicolai Sollima, a quo feuda ipsa redempta fuerant sub *anno* 1494. pro pretio unc. 450. a posse D. Blasii Platamone, cui Comes Joannes Thomas & Comes Guglielmus Raymundus V. pater & filius de Montecateno vendiderant pro pretio unc. 300. reservato jure luendi.

Eodem anno 1522. die primo Februarii. Comes Antonius vendidit magnifico Raymundo de Bonajuto feudum della Scala, etiam de membris Statùs Paternionis, pro pretio unc. 100. in emptionem juris luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ convertendo, etiam jure luendi reservato.

Eodem anno 1522. die 25. Februarii. Comes Antonius vendidit Rainaldo de Mursia feudum dictum Malcocinato, pariter de membris Statùs Paternionis, seu veriùs unc. 16. ann. de fructibus feudi jam dicti, pro pretio unc. 200. ad rationem de 8. pro 100. Pacto enim processit, quòd superfluum, ad quod feudi fructus anno quolibet ascenderent, acquiri deberet Comiti Antonio, cujus Secreto potestas data est anno quolibet feudum gabellandi, sub obligatione solvendi unc. 16. Rainaldo emptori, cui Comes Antonius obligatus remansit ad annuam redditus solutionem, tam si feudum gabellaretur, quàm si minori pentione unc. 16. ann. illud gabelloti conducerent.

Anno 1523. die 8. Februarii. Comes Antonius vendidit Nico-

lao Grimaldi feudum della Grotta dell'acqua, de membris Comitatùs Caltanissettæ, pro pretio unc. 700. ad hoc ut cum eis redimerentur, ut redempta fuerunt, feuda Vasadonnæ, Piraino & la Scala, quæ, ut superiùs visum est, fuerant sub reservatione juris luendi in Baronem Armicci, atque Raymundum Bonajuto alienata.

Anno 1524. die 28. Augusti. Volens Comes Antonius, ex jure luendi superiùs empto, Baroniam a posse D. Aloysii Sanchez recuperare: facto calculo de omnibus summis, quas Aloysius ante Baroniæ revenditionem a Comite Antonio consequi prætendebat; conventum est, quòd Comes Antonius D. Aloysio solvere deberet unc. 4653. 23. 11., nempe unc. 1210. quas Aloysius solverat pro pretio Baroniæ adjudicatæ a posse D. Raymundi de Perellos, unc. 3158. 14. 16. pro aliis totidem, quæ Aloysius erogaverat in reluitionem nonnullorum censuum bullarium, qui olim debebantur Ambrosio Leni, cujus pecuniis fuerat Baronia a posse Perruccii de Joenio recuperata, unc. 285.8.15. pro tot benefactis factis in Baronia & interesse monetæ,& unc. 50. pro totidem solutis nonnullis personis de Civitate Caltanissettæ.

Cùm autem Comes Antonius ascriptarum summarum solutionem ad obtinendam Baroniæ revenditionem facere teneretur; D. Aloysio Sanchez summas debitas hoc modo persolvit, nempe unc. 1210. in pecunia numerata, quas Aloysius fassus fuit per bancum de Xirotta & dell'Apostolo, unc. 3158. 14. quas Comes Antonius solvit in pretio censùs bullaris, quem favore Aloysii constituit in summa unc. 284. ann. ad rationem de 9. pro 100. & reliquas unc. 285. 8. 15. pro benefactis, ac unc. 50. solutas personis de Civitate Caltanissettæ Comes Antonius exolvit per contractum obligatorium, quem favore Aloysii in certis catamenis stipulatus fuit: teneri enim voluit Comes Antonius Aloysio se contentanti ad summæ solutionem infra annum unum & menses sex: eo pacto, quòd, non facta tempore promisso hujusmodi summæ debitæ solutione; eo casu intelligeretur constitutus census bullaris ad rationem de 7. pro 100.

Quibus ità peractis, effectum habuit revenditio, fuitque tradita Comiti Antonio possessio Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ, pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, & addandum, vendendum & alienandum, pro pretio, ut visum est, unc. 6053.23.11. etenim jus luendi fuit a Comite Antonio pro summa unc. 1400. comparatum, & unc. 4653. 23. 11. in redemptionem Baroniæ D. Aloysio Sanchez modo suprascripto ab eodem Comite Antonio solutæ sunt.

Anno 1549. Comes Antonius, ut sæpiùs dictum est, ab intestato decessit, eique in Baronia successit Princeps D. Franciscus hujus nominis Primus, ejus filius primogenitus.

Anno 1566. Princeps D. Franciscus

ciscus per testamentum, sub quo decessit, hæredem sibi scripsit universalem Principem D. Cæsarem filium suum primogenitum.

Anno 1571. decessit ab intestato Princeps D. Cæsar, eique successit Princeps D. Franciscus hujus nominis Secundus, ejus filius primogenitus.

Anno 1584. & 1585. in contractu matrimoniali Principis D. Frãcisci cum D. Maria la Cerda & Aragona perpetuò confirmata fuit clausula juris francorum, in individuo pro successione Statùs & Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ: atque fuit ordinata sæpiùs allegata alternativa inter familiam uxoris & viri, quæ, ut pariter in præcedentibus orationibus dictum fuit, usque in hodiernum diem servata est.

2 Meum ergo † hunc brevem discursum in duas dividam partes, in quarum prima probatum ibit jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ Comiti Antonio, nomine proprio, quæsitum fuisse, & quòd nulla intercesserit subrogatio, neque voluntas Comitis Antonii, quòd in jure luendi succederent Status Paternionis successores.

In altera verò conclusum videbitur, quòd Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ pariter a Comite Antonio, nomine proprio, fuerit acquisita, & quòd nulla considerari possit, neque subrogatio pro successoribus in Comitatu Caltanisettæ vel Comitatu Augustæ, neque aggregatio pro successoribus in Statu Paternionis. Atque nonnulla dicentur super successione gabellæ vini Civitatis Catinæ, redditus unc. 164. anno quolibet debitarum super extractionibus frumentorum, & gr. unius super iisdem pariter debiti.



DISCURSUS QUARTI
PARS PRIMA.

De acquisitione juris luendi Statum & Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ facta per Comitem Antonium de Montecateno, hujus nominis Secundum, nomine proprio, non autem pro successoribus in Statu & Baronia Paternionis.

SUMMARIUM.

Pretium succedit loco rei, & res empta cum pretio alterius rei alienatæ, in hujus locum subrogatur. n. 1. contrarium n. 3. & seq.

Bona empta ex pretio feudi vel fideicommissi a gravato alienati, non acquiruntur fideicommisso, sed eidem gravato, nomine proprio. n. 2.

Aliàs daretur duplex subrogatio contra notissimas juris regulas, nempe pretii loco rei alienatæ, & rei noviter emptæ, loco pretii ex re hæreditaria redacti. n. 4.

Fortiùs, ubi hæres gravatus nomine proprio acquisitionem stipulatus est, & ad dandum, vendendum & alienandum. n. 5.

Limita principalem conclusionem quoties acquisitio fuerit facta ab hærede gravato ex pecunia in hæreditate reperta: accedente præcepto testatoris de illa investienda in emptionem reddituum. n. 6.

Declaratur doctrina Rosæ, & Giurbæ in contrarium allegata pro subrogatione. n. 7.

Feudi acquisitio seu recuperatio facta ab hærede gravato, vigore juris luendi hæreditarii, efficitur hæreditaria. n. 8.

Compensatio benefacti cum consumptionibus procedit tempore restitutionis fideicommissi: adeout hæres gravatus dum vivit, neque creditor neque debitor dici possit. n. 9.

Velleitas, tanquam voluntas imperfecta, adhuc in via & non in termino, seu ad actum non redacta, nihil operatur. n. 10.

Aggregatio ut perfecta dicatur, requiritur expressa voluntas possessoris utriusque rei. n. 11.

Donatio ante acceptionem donatarii potest sive expressè sive tacitè per donantem revocari, ubi donatarius absens est, & nulla ejus favore intercessit stipulatio. n. 12.



Litera oblationis, quam pro emendo jure luendi Baroniam Mottæ Sanctę Anastasię anno 1522. fecit Comes Antonius, literaque adjudicationis, ad cujus tenorem jus luendi Comiti Antonio venditum est, manifestè concludunt, quòd

quòd Comes Antonius hujusmodi jus luendi sibi ipsi, nomine proprio, acquirere voluerit, & ad dandum, vendendum & alienandum: nullum enim penitùs in eis verbum nec de subrogatione neque de aggregatione ad Statum Paternionis factum est: adeout nulla pariter questio intrare deberet, an sibi ipsi, an verò suis descendentibus jure proprio ad Statùs Paternionis successionem admissis Comes Antonius acquirere intellexerit? sed in eo, atque in Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ, quæ postmodum per exercitium juris luendi penès Comitem Antonium pervenit, tanquam per Comitem ipsum nomine proprio acquisitis, absolutè manuteneri deberet ex clausula juris francorum Domina Cliens, ut in principio præsentis discursùs affirmavimus.

Adversarius autem jus luendi a Comite Antonio non favore sui ipsius liberè acquisitum fuisse prætendit, sed subrogatum esse loco Statùs & Principatùs Paternionis: in summa enim unc. 1400. ad quam ascendit pretium juris luendi, major quantitas summam capiens unc. 900. pretium fuit nonnullorum feudorum a Comite Antonio venditorum, quæ de membris erant Statùs & Baroniæ Paternionis: & proinde subjungit, quòd eandem naturam agnatitiam assumpserit jus luendi, quàm feuda vendita retinebant ex dispositione vel Comitis Guglielmi Raymundi IV. vel Comitis Joannis Thomæ priorum Statùs Paternionis acquisitorum, & exinde concludit, quòd jus luendi non Comiti Antonio, nomine proprio, spectaverit, & pro se suisque hæredibus & successoribus inperpetuùm, ut Comes Antonius stipulatus est, & ad dandum, vendendum & alienandum, sed quòd hæreditati fideicommittentium quæsitum fuerit: hæc etenim † est vis subrogationis a lege subintellectæ, ut pretium succedat loco rei, & alia res empta cum hujusmodi pretio pariter loco rei alienatæ succedat, ex doctrina Giurbæ *ad consuet. Mess. cap. 12. glos. 2.* & Rosæ *consult. 32.* 1

Hujusmodi tamen Adversarii subtilissima indagatio nec in jure nec in facto sustinetur: juris equidem est absolutissimi, quòd † bona empta ex pretio bonorum feudalium, vel fideicommisso subjectorum, quæ alienantur ab hærede gravato, non fideicommisso, sed hæredi gravato nomine proprio acquirantur: cùm enim hæres gravatus possit duas personas repræsentare, unam scilicet hæredis, & alteram sui ipsius; per alienationem bonorum fideicommisso subjectorum, utì hæres gravatus tenebitur in restitutione fideicommissi de pretio alienationis substitutis reddere rationem, & utì quilibet extraneus rem acquisitam nomine proprio retinebit: atque etiam, cùm † pretium non succedat loco rei, multò minus dari potest ea subrogatio, quam ex rei emptione hujusmodi pretio intercedente resultare prætenditur, ad textum expressum in *l. sed etsi* 2 3

etsi lege §. 1. *ff. de petitione hæreditatis.* Rot. Rom. *p.* 12. *decis.* 168. *n.* 11. *& seq.* Andreol. *controv.* 125. *n.* 9. & 10. Urceol. *consult.* 100. *n.* 35. *& seq.* Scoppa *ad Gratian. decis.* 95. *n.* 15. & 16. qui omnes loquuntur in terminis alienationis bonorum fideicommisso subjectorum, eisque addendi sunt Isern. *de feudis tit. quæ sint regalia* §. *sed & plaustrorum in fine.* Molin. *de primogen. lib.* 4. *cap. n.* 24. *& seq.* Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 32. *n.* 20. Marin. *ad revert. decis.* 202. *n.* 1. qui doctrinam in terminis alienationis bonorum feudalium expendunt.

Et ratio conclusionis est, quia si hujusmodi subrogatio concederetur, res comparata per circulum, & plurium specialium intercedente concursu, hæreditaria fieret, contra juris principia, † quæ
4 hujusmodi specialitates abhorrent: duplici enim subrogatione opus esset, nempe pretii loco rei hæreditariæ alienatæ, & rei noviter emptæ loco pretii ex re hæreditaria redacti: ut in puncto decisum testatur Faber *in Cod. lib.* 3. *tit.* 22. *defin.* 5. *vers. si tamen.*

5 Eaque conclusio † magis locum habere meretur, quando hæres acquisitionem, non quidem hæreditario nomine, neque sub verbis, quæ dubium continerent an id nomine proprio vel hæreditario nomine gestum fuerit, sed (ut in casu nostro) apertè acquisitionem, nomine proprio, stipulatus est, & ad dandum, vendendum & alienandum: eo siquidem casu, de acquisitione nomine proprio, nemo unquam dubitavit, ex Rot. Rom. Andreol. Urceol. *& aliis superiùs allegatis.*

Unico tamen casu conclusio † limitatur, nempe, cùm hæres 6
gravatus in hæreditate pecuniam reperiisset, eique præceptum a testatore datum esset, pecuniam investiendi in emptionem redditùum, vel stabilium nomine hæreditatis: aliis autem in casibus, res nunquam hæreditaria efficitur, sed semper hæredi nomine proprio acquisita censetur. *Doctores etiam supra citati.*

Allegatis autem conclusionibus non obstabit † eruditissimus 7
Giurba *ad consuet. cap.* 12. *glos.* 2. & sapientissimus Rosa *consult.* 32. quoniam Giurba in universalibus concedit subrogationem, non autem in particularibus, in quibus nos versari, nemo inficiabitur: atque idem confirmat Rosa, qui licet in suo casu, qui fuit transactione sopitus, contrarium etiam in particularibus sustineat; nihilominus ejus doctrina, sicuti & illa Giurbæ, si contrarius esset, casui nostro applicari non potest, nam expressè Comes Antonius dixit ad feudorum venditionem devenisse, quæ propriis pecuniis reemerat: adeout in eo, qui pro se & hæredibus & successoribus emit, atq; erogatam pecuniam repetere intendebat, animus subrogandi nullo pacto præsumi valeat.

Unde est, quòd etsì Comes Antonius feuda de membris & pertinentiis Statùs Paternionis alienaverit, & illorum pretium in emptionem juris luendi Baroniam

niam Mottæ Sanctæ Anastasiæ converterit; eò ipsò quòd emptionem, nomine proprio, pro se & hæredibus & successoribus inperpetuùm, & ad dandum, vendendum & alienandum stipulatus fuit; nulli dubium, quòd jus luendi proprium ipsius Comitis Antonii factum fuerit, ex *Doctoribus supra citatis*.

Hujusmodi verò feudorum venditiones de membris Statùs Paternionis, ex quorum pretio in majori parte jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ comparatum est, talem non sapiunt alienationem, quæ Comiti Antonio hæredi gravato interdicta esset, sed potiùs evidenter ostendunt, quòd acquisitio juris luendi de propriis pecuniis Comitis Antonii facta fuerit, & quòd proinde nulla subrogatio, nullave hæreditaria acquisitio considerari possit.

Memoriæ itaque recolendum venit, ut in facto notatum est, quòd anno 1522. Comes Antonius, facta narratione, quòd ad redimendam gabellam vini Civitatis Catanæ per Comitem Joannem Thomam, reservato jure luendi, alienatam, vel ut emeret jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ, quod sibi distrahere intendebat Jacobus Agliata a posse D. Raymundi de Perellos, opus habebat unc. 600; pro eo pretio feuda vendidit de Vasadonna & lo Piraino, de membris & pertinentiis Statùs Paternionis, magnifico Guglielmo Raymundo de Randisio Baroni Armicci, quæ dixit de suis propriis pecuniis recuperasse a posse magnifici Nicolai Sollima, penès quem feuda ipsa reperiebantur, uti redempta sub anno 1494. pro pretio unc. 450. a posse D. Blasii Platamone, cui Comes Joannes Thomas, & Comes Guglielmus Raymũdus V. pater & filius de Montecateno vendiderant pro pretio unc. 300. reservato jure luendi, & ad hoc ut cum suprascriptis unc. 600. Comes Antonius vel gabellam vini, vel jus luendi compararet, & idem ipse Comes Antonius observavit in venditione feudi della Scala facta magnifico Raymundo de Bonajuto pro pretio unc. 100. atque cum Raynaldo de Mursia in venditione feudi de Malcucinato pro pretio unc. 200.

Ex quibus fit, quòd cùm pretium juris luendi ad summam ascenderit unc. 1400. & ex hujusmodi venditionibus nihil aliud desumatur, nisi quòd summa unc. 300. pro qua factæ sunt alienationes feudorum della Scala & Malcocinato, fuerit redacta de Statu Paternionis, nam aliæ unc. 600. retractæ de pretio feudorum Vasadonnæ & Piraino, erant, ut visum est, propriæ ipsius Comitis Antonii; asserta subrogatio neque in facto sustineri valeat, quia unc. 1100. ad complementum unc. 1400. Comes Antonius de suis propriis pecuniis in emptionem juris luendi erogavit.

Replicat nihilominus Adversarius primò, quòd in pretio juris luendi intrare debeat partita unc. 600. retractarum a pretio feudorum de Vasadonna & Piraino, ea

ra-

ratione, quia de antecedenti eorum luitione facta per Comitem Antonium a manibus Nicolai Sollima, non aliter constat, quàm per assertionem ejusdem Comitis Antonii factam in contractu venditionis celebrato cum Barone Armicci.

Verùm replicatio non obstat, quoniam in antiquis versamur, pro quibus probandis enunciativæ sufficerent; hæc autem non uti enunciativa, sive uti assertio Comitis Antonii accipienda est, sed uti indubitabilis veritas, & probata probatio: quòd enim Comes Joannes Thomas feuda vendiderat primùm Blasio Platamone pro pretio unc. 300. & postmodum Nicolao Sollima Judici M. R. C. pro pretio cum eo conveniendo, testatur Regia Cancellaria in licentia, quæ Comiti Joanni Thomæ concessa est, feuda alienandi *die* 14. *Augusti* 1494. quod verò fuerint recuperata, revocari non potest in controversiam, quia defacto Comes Antonius de eorum alienatione per Adversarium redarguitur, proindeque, quòd principalis alienatio per Comitem Joannem Thomam facta fuerit, dubitandum non est.

Replicat secundò Adversarius, quòd non omnes unc. 600. in pretio juris luendi favore Comitis Antonii includi deberent, sed unc. 450. pro quibus idemmet Comes Antonius dixit Nicolaum Sollima feuda possedisse: tanti enim præsumendum est feuda Comitem Antonium redemisse.

Sed præscindendo ab eo, quòd summa unc. 150. quæ addenda esset supradictis unc. 300. Adversarii intento non proficeret: cùm idem dicendum esset, si non unc. 1100. sed unc. 950. ad quas facta deductione prætensarum unc. 150. ascenderet pecunia de proprio per Comitem Antonium erogata; summa assertarum unc. 150. semper favore Comitis Antonii calculanda est: quoniam, ut observatum vidimus in omnibus feudorum reluitionibus, ultra pretium antiquæ venditionis, semper qui feudum redimit, aliis pecuniis opus habet pro expensis ad reluitionem assequendam necessariis, ac pro aliis creditis & benefactis possessori ante revenditionem exolvendis; adeout omnes unc. 600. Comitem Antonium in reluitione feudorum expendisse proculdubio credendum est: eò magis, quòd Comes Antonius cùm præ oculis haberet summam unc. 450. debitam Nicolao Sollima; non dicit summam hujusmodi tantùm Nicolao Sollima persolvisse, sed de suis propriis pecuniis feuda recuperasse, quod satis superque demonstrat non solas unc. 450. sed aliam pariter quantitatem ad reluitionem obtinendam expendisse, quam ad summam unc. 150. ascendisse dicimus, atque satis credimus adæquatam.

Replicat tertiò Adversarius, quòd quamvis verum certumque foret, quòd Comes Antonius omnes unc. 600. in feudis recuperandis expendisset; non per hoc illa dici deberet propria pecunia, cum

cum qua affirmari posset Comitem Antonium emisse jus luendi, sed semper pervenisse de Statu Paternionis: constans enim est in jure (ut Adversarius pluries affir-
8 mavit) quòd † feudum recuperatum per hæredem gravatum ex jure luendi, quod existebat in hæreditate, fiat hæreditarium, non autem proprium hęredis gravati, cui tantùm datur actio ad pretium exburzatum tanquam pro benefacto: atqui Comes Antonius feuda recuperavit ex jure luendi, quod reperiit in successione Statùs Paternionis; consequens ergo est, quòd etsì Comes Antonius feuda recuperaverit, adhuc tamen feuda non quæsierit, sed Status Paternionis reintegratus fuit, & tempore venditionis factæ Baroni Armicci, nonnisi pretium in feudorum recuperatione erogatum tanquam melioramentum Comiti Antonio debebatur, quod satis ultra compensatum fuit cum tot consumptionibus ab eo factis in Statu Paternionis: & proinde concludit, quòd partita unc. 600. non favore Comitis Antonii, sed favore Statùs Paternionis calculanda sit.

Verùm neque hæc tertia Adversarii replicatio assumptum nostrum turbabit: quoniam, quidquid sit de veritate conclusionis, quam neque in causa successionis Statùs & Baroniæ Melilli examinare voluimus, dato quòd vera esset, adhuc tamen effectum ab Adversario volitum non produceret: quamvis enim feuda essent Statui Paternionis reintegrata; non per hoc, ut ipsemet Adversarius non negat, creditum unc. 600. nomine proprio Comes Antonius non haberet, pro quibus agere poterat contra feuda, tanquam pro credito satis superque afficienti: si ergo illa vendidit sub reservatione ejusdem juris luendi, quod exercuerat, & cum eorum pretio sibi de credito identificè satisfecit, quod in eorum recuperatione erogaverat, & pretiummet in emptionem juris luendi Mottam erogavit; id emisse de propriis pecuniis fatendum est: siquidem conclusio, quòd † bene- 9
factum debeat cum consumptionibus compensari, procedit in restitutione fideicommissi, nempe post mortem hæredis gravati: eo tamen vivente, etsì hæres gravatus plures fecerit comsumptiones, vel benefacta, & primùm fecerit benefacta, & postmodum consumptiones, vel è contra; ante fideicommissi restitutionem neque creditor dici poterit, neque debitor: ut ex innumeris firmavit Gutierrez *de compensat. lib. 3. q. 5. a n. 46. ad 52. Et alii passim.*

Assertæ tamen Comitis Antonii consumptiones gratis asseruntur, cùm tale distribuitivum a successoribus Comitis Antonii, cujusmodi est Domina Cliens, petitum non fuerit, & hujusmodi incidentis præsens judicium capax non sit.

Si tamen vera essent ea, quæ Adversarius super asserta subrogatione discurrit; non quidem locò Statùs Paternionis, sed locò

Kkk Co-

Comitatùs Caltanissettæ nostrum jus luendi subrogatum fuisse constaret. Etenim *anno* 1523. *die* 8. *Februarii*, & proinde ante diem 28. *Augusti* 1524., quo jus luendi Mottam exercuisset, Comes Antonius vendidit Nicolao Grimaldi feudum della Grutta dell'acqua de membris Comitatùs Caltanissettæ, ad hoc ut redimeret feuda de Vasadonna, lo Piraino & la Scala pro pretio unc. 700., ut desacto *anno* 1524. *die* 27. *Octobris* ipsorum feudorum sequuta est reluitio; adeout, etiam in sensu Adversarii, non remanerent de Statu Paternionis nisi unc. 200. de pretio venditionis feudi de Malcocinato, quod pariter a Comite Antonio Statui Paternionis restitutum fuit, ut in præsentiarum a Principe Paternionis possidetur, illæque unc. 16. ann. Rainaldo de Mursia ampliùs non exolvuntur.

Tandem verò ad probandam juris luendi acquisitionem favore vocatorum in Statu Paternionis, alio utitur medio Adversarius: affirmat enim, quòd Comes Antonius jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ ad Statum Paternionis aggregaverit, eo quia in venditione feudorum de membris Statùs Paternionis, pro emtione juris luendi alienatorum, de evictione favore emptorum Comes ipse teneri voluit, ac dedit pro illorum indemnitate fidejussores, casu quo sui successores emptoribus molestiam inferrent, sub prætextu, quòd Comes Antonius feuda vendere non poterat, & per consequens nollent stare emptioni juris luendi, sed potiùs habere feuda jus luendi refutando. Non enim eam facultatem, quòd sui successores potuissent habere feuda refutando jus luendi, Comes Antonius in eis considerasset, si antecedenter aggregationem non decrevisset, & quòd is esse deberet successor juris luendi, qui in feudis erat successurus. Atq; etiam idem Comes Antonius confirmavit in eadem venditione, ubi per eum Status Paternionis tantùm ad contractùs observantiam obligatus est: æquum enim & justum fuit, ut soli successores in Statu Paternionis, qui commodum successionis sentire debebant, incommodum pariter obligationis sentiissent.

Sed ex hoc altero medio transformatio Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ in Statum Paternionis non resultabit: etenim primò, hæc nonnisi meram saperent Comitis Antonii velleitatem, purumque suum desiderium, a quo recessum foret per acquisitionem subsequenter nomine proprio factam, & ad dandum, vendendum & alienandum: tanquam enim † voluntas imperfecta, & adhuc in via & non in termino, seu ad actum non redacta, nihil penitùs operari potuit. Carol. Anton. de Luca *de confident. hæred. instit. cap.* 51. *n.* 2. Cardinalis de Luca *de fideicom. disc.* 83. *n.* 2. Præsertim quia † ad hoc ut aggregatio perfecta dicatur, requiritur expresſa voluntas utriusq; rei posſesſoris, ad textum ex-

expressum in *l. si cui ædes ff. de legatis* 3. Luca *de jurisdict. disc.* 8. *sub n.* 7. *vers. ad effectum.*

Secundò, dato quòd in sæpiùs citata venditione feudorum Comes Antonius absolutè, purè & indubitabiliter jus luendi ad Statum Paternionis aggregare promisisset favore successorum in Statu Paternionis; adhuc actus revocatus diceretur: quoniam Comitem Antonium in actu acquisitionis pœnituit, eam enim nomine proprio fecit, & ad dandum, vendendum & alienandum; adeout aggregationi amplius locus esse non potuerit. Quod fieri legitimè posse Jurecconsulti non negabunt, quoniam in asserto desiderio aggregationis successores in Statu Paternionis non intervenerunt, nec Notarius pro eis stipulatus est: licitum est enim
12 † etiam perfectè donanti ante acceptationem donatarii donationem sive expressè sive tacitè revocare si donatarius absens est, & nulla ejus favore intercessit stipulatio. Altograd. *cons.* 28. *sub n.* 35. *lib.* 1. *& cons.* 38. *n.* 13. *& seq. lib.* 2. Sanfelic. *decis.* 192. Mansi *consult.* 20. *& seq. & consult.* 353. *n.* 123. *& seq. lib.* 4. *Et communiter omnes.*

Et tertiò demum aggregatio locum habere non potest, quoniam eam non ostendunt verba venditionis, quinimò contrarium manifestè demonstrant: quatenus enim pertinet ad facultatem, quã Comes Antonius supposuit in ejus successoribus potuisse vel jus luendi retinere, vel insistere in recuperatione feudorum, adeout unicus suppositus sit juris luendi & feudorum successor; propositio in facto non subsistit: nam casus in venditione figuratus, licèt supponat, quòd successores in Statu Paternionis emptorem pro reintegratione feudorum molestarent; non tamen ostendit, quòd iidem esse deberent juris luendi, quàm Status Paternionis successores: quoniam verba contractùs hujusmodi duplicem successionem in una eademque persona non concludunt: dicunt enim quòd hæredes & successores ipsius Comitis Antonii, nempe (ut insistit Adversarius) substituti in Statu Paternionis nollent stare emptioni juris luendi, quod non importat ipsosmet esse debere juris luendi successores: æquè enim stare potest, quòd ipsi venditionem feudorum factam per Comitem Antonium impugnarent, & nihilominus non essent neque successores, neque possessores juris luendi. Et quamvis immediatè subjungatur, quòd successores potiùs habere vellent feuda, refutando jus luendi, quasi quòd in eorum potestate esset vel unum vel alia retinere; adhuc tamen litera contractùs non dicit, quòd successores habere vellent feuda, & refutare jus luendi, sed refutare emptionem juris luendi, quod posset proculdubio verificari, etiamsì diversus esset possessor juris luendi, a Statùs Paternionis successoribus: verbum enim, *refutare*, idem hìc importare videtur quàm verbum, *impugnare*,

Kkk 2 quod

quod etiam ab eis fieri poterat, qui in Statu Paternionis succederent, & non essent in jure luendi honorati. En verba contractus. *Pacto tamen, quòd si dictus Illustris Dominus Comes elegerit, & dicta unc. 600. conversa fuerint in emptionem prædicti juris luendi præfatæ Terræ Mottæ, & aliquo futuro tempore esset mota lis, seu quæstio per hæredem, seu hæredes & successores ipsius Illustris Domini Comitis super dictis feudis venditis & alienatis, sub prætextu, quòd dictus Illustris Dominus Comes non poterat, nec possit dicta feuda vendere pro emptione juris luendi præfatæ Terræ Mottæ, & per consequens noluisset seu noluissent* stare dictæ emptioni juris luendi, *seu potiùs habere dicta feuda reluenda* refutando dictam emptionem juris luendi, *& quæstionem seu litem inferrent præfato magnifico, seu ejus hæredibus; quòd tunc & eo casu pro evictione dictarum unc. 600. intervenerunt fidejussores & principales pagatores magnifici Domini Hieronymus de Vigintimilliis &c.*

Quatenus verò pertinet ad id, quòd ad evictionem solus Status Paternionis fuerit obligatus, solutio clara est: nam venditio feudorum non ad eum solum finem per Comitem Antonium facta fuit, ut cum illorum pretio jus luendi Mottam Sanctæ Anastasiæ emeretur, sed principaliter, ut redimeretur gabella vini Civitatis Catinæ a Comite Joanne Thoma alienata, & in subsidium, ut emeretur jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ: quapropter si nullum mysterium intercederet in sola obligatione Paternionis, ubi redimeretur gabella vini, quia ejus successio non ab eadem investitura, qua Status Paternionis regebatur; ità nullum mysterium faciendum est in eo, quòd pro emendo jure luendi Mottam Sanctæ Anastasiæ solus Status Paternionis fuit obligatus. Atque etiam quia in venditione dictum non fuit, quòd solus Status Paternionis pro evictione obligatus remanere deberet, sed quòd omnia Comitis Antonii bona intelligerentur obligata, licèt individualiter Status Paternionis obligatus videatur, sub expressa tamen declaratione, quòd generalitas specialitati non deroget, per hæc verba. *Sub hypothæca, & obligatione omnium bonorum dicti Illustrissimi Domini Comitis mobilium & stabilium burgensaticorum, feudalium, habitorum & habendorum, & specialiter obligavit & obligat dictam Baroniam, & Castrum Terræ Paternionis, & dictam gabellam vini supra venditam, & modo redemptam, seu dictum jus luendi Terræ Mottæ emendum de supradictis pecuniis propriis Domini Baronis: ità quòd dicta specialis hypothæca non deroget generalitati, nec è converso; imò una per aliam confirmetur, & è contra.*

Quibus omnibus addendum est, quòd in eodem actu, in quo aggregatio prætenditur, nempe in venditione feudorum de membris Baroniæ Paternionis, verbis expressis protestatus est Comes Antonius, quòd jus luendi pro se, hæ-

hæredibus & successoribus inperpetuùm acquirere intendebat: si enim Comes Antonius pro substitutis in Statu Paternionis acquirere cogitabat, ut ex clausulis in contrariùm allegatis Adversarius desumere intendit; utique non eo modo, quo acquisitio nomine proprio perficiebatur, in ipsomet actu aggregationis actum perfecisset, ne una pars actus alteri contradiceret.

Et demum præmissis omnibus adjungendum est, quòd argumentum ab Adversario desumptum ex venditione feudorum, quæ de membris erant Statùs Paternionis, proculdubio cessare debet: nam antequam emptum esset jus luendi, ut superiùs dictum est, feuda vendita Statui Paternionis reintegrata fuerunt per alienationem feudi della Grutta dell'acqua de membris Comitatùs Caltanissettæ, & in hujusmodi nova venditione nihil penitùs super hoc puncto nec pro successoribus in Statu Paternionis, neque pro successoribus in Comitatu Caltanissettæ compactum legitur.

Verùm, allegatis in nihilo refragrantibus, Adversarius pro acquisitione juris luendi favore successorum in Statu Paternionis adhuc insistit: dicit enim, quòd, independenter a juribus per eum superiùs oppositis, de aggregatione Statùs & Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ ad Statum Paternionis dubitari non potest: nam in prænarrata feudorum venditione literalis aggregatio legitur facta per Comitem Antonium de Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ favore successorum in Statu Paternionis. At quia hujusmodi postrema oppositio nedum respicit jus luendi, verùm pariter ipsam Baroniam; hinc eam in sequenti parte, in qua de ipsius Baroniæ acquisitione sermo faciendus est, confutabimus.



DI-

DISCURSUS QUARTI
PARS SECUNDA & ULTIMA.

De acquisitione Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ factæ per Comitem Antonium II. ac de ejus prætensa subrogatione locò Comitatùs Caltanissettæ, vel Comitatùs Augustæ, vel aggregatione ad Statum Paternionis: ac de successione gabellæ vini Civitatis Catinæ, redditus unciarum centum sexaginta quatuor anno quolibet debitarum super extractionibus frumentorum a Regno, & grani unius super qualibet salma frumentorum, quæ a Regno pariter extrahitur.





Etecto jam, atque evidentissimè probato, quòd jus luendi Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ liberè fuerit per Comitem Antonium acquisitum, & quod non fuerit locò Statùs Paternionis subrogatum, neque ad ipsum aggregatum; disceptandum non esset, an ipsa Baronia, quam Comes Antonius per exercitium dicti juris luendi acquisivit, pariter nomine proprio acquisierit? quidquid enim subsequenter per Comitem Antonium gestum extiterit, ad revocandam jam radicatam nomine proprio juris luendi acquisitionem, aptum non judicaretur. At quia in instrumento reluitionis Comes Antonius, nomine proprio, Baroniam redemit, & ad dandum, vendendum & alienandum; eamobrem etiam ex hoc manutentionem possessionis Dominæ Clienti concedendam esse sustinemus: ipsa quidem Comitis Antonii primi Baroniæ acquisitoris descendens est, & per Comitem Antonium, qui ab intestato decessit, atque illius successores, ad Baroniæ successionem ex clausula juris francorum literaliter admissa videtur, proindeque de ipsius legitima successione dubitari non valet.

Adversarius tamen acquisitionem Baroniæ in Comite Antonio, nomine proprio, etiam impugnat: affirmat enim, quòd quidquid stipulatus sit Comes Antonius, acquisitio favore successorum in Comitatu Caltanissettæ judicanda est: nam pretium per Comitem Antonium in acquisitione Baroniæ erogatum, retractum fuit ex venditione feudorum Gratiani & li Comuni, quæ de membris erant

Co-

Comitatùs Caltanissettæ, & proinde favore successorum in Comitatu Caltanissettæ iterum concludit factam esse subrogationem.

Multipliciter tamen resolvitur objectio, & quidem primò, quia hujusmodi subrogatio pretii loco rei, & rei noviter emptæ loco pretii redacti ex venditione rei hæreditariæ non datur, ex his quæ in præcedenti parte super acquisitione juris luendi dicta sunt.

Secundò diluitur objectio, quia in facto non docetur Baroniæ acquisitionem, atque dimissionem D. Aloysii Sanchez illius possessoris cum pacto de retrovendendo, sortitam esse cum pecuniis retractis ex venditione feudorum Gratiani & li Comuni, quinimò, ut a nobis suppositum est, pretium reluitionis in totum de proprio a Comite Antonio solutum fuit: summa enim, ad quam illud ascendisse videtur, fuit unc. 4653. 23.11. in quarum solutione neque obulum intercessit, quod proprium non fuerit Comitis Antonii: nam unc. 1210. solvit Comes Antonius in pecunia de contanti, tanquam de suis propriis pecuniis, per bancum de Xirotta & dell'Apostolo; pro summa unc. 3158. 14. subjugavit Comes ipse unc. 284. 8. ann., reliquum verò in catamenis ab eo solutum est.

Negari tamen minimè potest, quòd Comes Antonius diebus præcedentibus vendiderat Nicolao Grimaldi feuda Gratiani & li Comuni pro pretio unc. 1210. adhoc ut cum eis solveret D. Aloysio Sanchez partem pretii reluitionis Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ: ex hoc autem nec subrogatio inferri potest, neque alienatio bonorum de Comitatu Caltanissettæ: quoniam illorum pretium liberum Comiti Antonio traditum fuit, & liberè atque nomine proprio ad eum pertinebat.

Profectò sciendum est, quòd *anno* 1502. Comes Guglielmus Raymundus V. vendidit inter alia Joanni Aloysio de Septimo feuda Gratiani & li Comuni pro emendo officio Magistri Justitiarii, sub pacto redimendi: atque etiam quòd *anno* 1516. Comes Antonius, in vim pacti prædicti de retrovendendo, feuda Gratiani & li Comuni a posse Joannis Aloysii de Septimo, soluto venditionis pretio, reemit. Quamobrem si postmodum, nempe *anno* 1523. Comes Antonius pretium, quod retraxit ex venditione eorundem feudorũ, sub pacto pariter redimendi alienatorum, in reluitionem Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ implicavit; de suo facta est implicatio, & nulla penitùs consumptio bonorum fideicommisso subjectorum Comiti Antonio imputari potest: idem enim jus luendi feuda in fideicommisso reliquit, quod invenerat: ut in prima hujus discursùs parte de feudis Vasadonnæ & Piraini scriptum est, atq; probatum.

Replicat nihilominus Adversarius, quòd ex hoc nihil aliud resultaret, nisi quòd Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ fuerit subrogata loco Comitatùs Augustæ, cùm reluitio, quam fecit feudorum Gratiani & li Comuni *anno* 1516.

1516. Comes Antonius facta sit de pretio Comitatùs Augustæ vendiri per eundem C. Antonium D. Thomæ Merullo Comiti Condojannis, atqui Comitatus Augustæ de bonis erat per Comitem Joannem Thomam acquisitis, & quæ suo agnatitio fideicommisso subjecta sunt; consequens ergo, quòd in Baronia, tanquam subrogata locò Comitatùs Augustæ, Dominus Dux Sancti Joannis, uti agnatus, ex hujusmodi subrogatione manuteneri debeat.

Sed replicatio non obstabit: nam præscindendo, quòd legitima succeditrix Comitatùs Augustæ sit Domina Cliens, ex his, quæ diximus in successione Statùs & Baroniæ Melilli: opposita subrogatio feudorum Gratiani & li Comuni locò Comitatùs Augustæ, atque ea Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ locò feudorum Gratiani & li Comuni, nec in jure nec in facto sustineri potest. Et quidem non sustinetur in jure: nam, ex his, quæ in præsenti discursu dicta sunt, hujusmodi iterata subrogatio non datur; neque sustinetur in facto: nam in venditione Comitatùs Augustæ facta Comiti Condojannis, ad eum finem demandata est reluitio, ut reintegrarentur Status, de cujus pertinentiis essent feuda alienata, quod nullo pacto ad subrogationem locò Comitatùs Augustæ referri posset, atque etiam in venditione feudorum Gratiani & li Comuni facta pro reemptione Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ nullum quidem verbum efficitur de subrogatione neque locò Comitatùs Augustæ, ut non poterat, neque locò Comitatùs Caltanissettæ, ut dictum non est.

Tertiò diluitur objectio, quia etiamsi Comes Antonius in reluitione feudi Gratiani & li Comuni pecuniam hæreditariam Comitis Joannis Thomæ, non autem propriam erogasset; nihil aliud concluderet Adversarius, nisi, quòd in Baroniæ recuperatione Comes Antonius mutuas accepisset ab hæreditate Comitis Joannis Thomæ unc. 1210. atqui universum Baroniæ pretium ad summam ascendit, ut visum est, unc. 4653. 23. 11. ultra alias unc. 2400. quas proprias erogavit in emptionem juris luendi, & sic in totum, ut pariter dictum fuit, consummavit in acquisitione juris luendi & Baroniæ unc. 6053. 23. 11.; summa unc. 1210. talis non esset, quòd posset assertam subrogationem sustinere, etiamsi vera essent omnia ea, quæ ab Adversario proposita sunt, & per nos clarissimè confutata.

Verùm adversùs hanc nostram postremam assertionem replicat Adversarius, quòd summa unc. 3158. 14. propria non erat Comitis Antonii, sed pariter feudalis, quia pro eis census bullaris super omnibus statibus constitutus est. Quia verò quòd id ad subrogationem resultandam sufficiens sit, nobis ab Adversario concessum non fuit, ubi diximus tanquam pro solo adminiculo, quòd Comes Joannes Thomas pro acquisitione juris luendi Statum & Baroniam

Pa-

Paternionis bona feudalia vendidit, & quamplures census imposuit; quapropter, quòd possim ego id in sui favorem affirmare non decet: & si deceret, præsens suum objectum, ex aliis quæ supra dicta sunt, resolutum foret, & successio Statùs & Baroniæ Paternionis etiam ex hac Adversarii oppositione pro Domina Cliente indubitabilissima redderetur, quia Comes Joannes Thomas pro emendo jure luendi Statum Paternionis id exequutus est, quod nunc in Comite Antonio impugnatur.

Et demum quartò resolvitur objectio, quia, ut dicebat Adversarius tam pro successione Statùs & Baroniæ Melilli, quàm in præcedenti parte ad excludendam, nomine proprio, in Comite Antonio juris luendi Statum Mottæ Sanctæ Anastasiæ acquisitionem, res per exercitium juris luendi recuperata illius fit, cujus erat jus luendi, etsì pretium in rei recuperatione erogatum illius non esset, ad quem jus luendi pertinebat: acquisitio enim juri luendi tanquam nobiliori refertur, & tantùm rei recuperatæ possessor ad pretium, quòd inferius est, favore creditoris illud solventis omninò tenebitur.

Independenter autem ab omnibus iis, quæ hactenus dicta sunt, tandem prætendit Adversarius, quòd antequam fuerit a Comite Antonio jus luendi, atque Baronia ipsa acquisita, Comes ipse Antonius, ut in fine præcedentis discursùs tetigimus, Baroniam ad Statum Paternionis aggregaverit: proindeq; concludit, illius successionem ab eadem lege metiendam esse, qua successio Statùs Paternionis regulatur: dicit enim, quòd in venditione feudorum de membris Statùs Paternionis pro emptione juris luendi alienatorum, C. Antonius affirmavit, quòd jus luendi Mottam emere intendebat pro Baronia ipsa acquirenda, quæ Terræ Paternionis contermina est, & ad hoc, ut eam ad Terram Paternionis aggregaret: omnia siquidem ea, quæ postmodum per C. Antonium gesta sunt, ad aggregationem ipsam referuntur, quamvis de ea amplius mentio facta non fuerit.

Verùm neque hoc postremum Adversarii refugium Dñum Contendentem in sua prætensione juvabit: præscindendo enim ab iis, quæ in prima præsentis discursùs parte dicta sunt, in eo quòd esset ista Comitis Antonii mera velleitas ac voluntas imperfecta: atque etiam præscindendo, quòd si perfectam donationem importaret, jam donatio revocata esset, quia nulla intercessit favore donatarii stipulatio; assumptum in facto non sustinetur, nam nedum hoc non dicunt verba venditionis, verùm etiam contrarium ostendunt.

Profectò dixit in sæpiùs citata venditione C. Antonius, quòd utile negotium pro se gerebat, si Baroniam Mottæ Baroniæ Paternionis conterminam acquireret, non ut Baroniam acquirendam Terræ & Baroniæ Paternionis, sed suo universo Statui uniret, nempe Comitatui Adernionis, Caltanissettæ, Augustæ, & Terræ Paternionis, eosque omnes integrum suum

Statum appellat, non illum folius Paternionis, quod Terram, non verò Statum denominat; atque etiam de ea aggregatione materiali loquutus est C. Antonius, quæ ampliorem reddebat propriũ Statum, seu Status omnes, quos possidebat, non autem de ea aggregatione formali, per quam resultare debebat, quòd unicus esse deberet successor Paternionis & Mottæ, & utriusq; Baroniæ successio esset ab unica investitura regulanda. Verba venditionis hæc sunt. *Et perveniens hoc ad aures Ill. Domini D. Antonii de Montecateno Comitis Comitatuum Adernionis, Caltanissettæ, Augustæ, Terræque Paternionis Domini & Baronis, & ab eo experto cognoscens, quantum sit utile & profiguum habere dictum jus luendi dictæ Terræ Mottæ Sanctæ Anastasiæ, & congruitate & vicinitate dictæ Terræ Paternionis aggregare dictam Baroniam* suo integro Statui & Terræ Paternionis, *deliberavit & deliberat*, pro majori augumento Statùs domùs suæ, *dictum jus luendi emere, & ad se habere & capere, ut vulgariter dicitur*, a tutti passati, *pro se, hæredibus & successoribus suis inperpetuùm, pro eodem pretio, quod debetur eidem Spectabili Domino Jacobo Alliata maritali nomine &c.*

Adeòque vera sunt omnia ea, quæ favore Dñæ Clientis per universum discursum allegavimus, ut, tanquam de bonis liberis C. Antonii, Baronia Mottæ Sanctæ Anastasiæ a sequentibus successoribus reputata fuerit: *anno* equidem 1574. *die* 12. *Octobris* Tutores Principis D. Francisci hujus nominis Secundi, filii P. D. Cæsaris, atque nepotis P. D. Francisci hujus nominis Primi, enarrato, quòd vita functis P. D. Francisco I. ac P. D. Cæsare avo & patre P. D. Francisci II. ingenti ære alieno gravatis, & præsertim P. D. Cæsare, qui pro sola dotis restitutione facienda Principissæ D. Aloysiæ de Luna uxori suæ, & respectivè matri ipsius Principis D. Francisci II. debitor repertus est in summa unc. 14880. pro quibus exolvendis nonnulla feuda vendita fuerant de Comitatu Caltanissettæ: ac pariter enarrato, quòd ob dimissionem hujusmodi creditorum Princeps D. Frãciscus II. reperiebatur creditor hæreditatum avi & patris sui in maxima pecuniarum quantitate, ut constabat per ratiocinia ad hujusmodi finem præsentata: sicuti etiam, quòd pro solutione dotium de paragio sororum & filiarum Principis D. Francisci I. alienata fuerant alia feuda pariter de Comitatu Caltanissettæ.

Tutores jam dicti, cùm in hæreditatibus Principis D. Francisci I. & Principis D. Cæsaris reperiissent plura feuda & bona, inter quæ Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ, quæ allodialia erant, de quibus Princeps D. Franciscus I. filius Comitis D. Antonii, qui, ut sæpiùs dictum est, Baroniam Mottæ acquisivit, & ab intestato decessit, ac Princeps D. Cæsar disponere poterant mutando titulum possessionis dictæ Baroniæ, & aliorum bonorum in actu declarationis individualiter expressorum; de-

declararunt ea velle tanquam creditores possidere.

Profectò ex relato actu declaratorio nedum assumptum a priori & a posteriori cōvincitur, quòd Comes Antonius, nomine proprio, & tanquam liberum jus luendi & Baroniam Mottæ Sanctæ Anastasiæ acquisierit; verùm etiam id allegari potest, quòd in præsenti judicio possessorio, in quo ultimus status attendi debet, non aliter regulanda successio sit, quàm ex prædicto actu declaratorio, ad cujus tenorem Princeps D. Franciscus II. cùm potuerit de Baronia ad sui libitum disponere, in ejus tabulis nuptialibus per clausulam juris francorum esse Baroniç successionem regulandam mandavit, a qua omnes penitùs sequentes successores, ipseque Princeps D. Ferdinandus ultimus moriens non recesserunt, imò eam confirmarunt: adeout etiam ex hoc de Dominæ Clientis manutentione possessionis in Baronia Mottæ dubitari minimè possit.

Hæc quoad successionem Statùs & Baroniæ Mottæ Sanctæ Anastasiæ. Sed in sequelam eorum, quæ super successione Statùs Paternionis in præcedenti discursu scripta sunt, advertendum venit, quòd in possessione gabellæ vini Civitatis Catinæ Domina Cliens pariter manutenenda sit: nam ipsius gabellæ successio a testamento Comitis Guglielmi Raymundi IV. condito sub *anno* 1465. regulanda est, in quo fideicommissum legitur, quòd, in casu deficientiæ masculorum in eadem linea & gradu, fœminæ per clausulam juris francorum ad successionem admittantur: ideoque ad ea nos remittimus, quæ in examine memorati fideicommissi enucleavimus.

Profectò anno 1443. die 2. Aprilis Rex Alphonsus Comiti Guglielmo Raymundo concessit in francum & purum allodium gabellam, de qua tractatur, pro se suisque hæredibus & successoribus, & quibus voluerit inperpetuùm: quamobrem, cùm favore fœminarum C. Guglielmus Raymundus, ut dictum est, disposuerit, nulla cadere potest controversia, quin in possessione gabellç vini veniat Dña Cliens manutenenda, quidquid in contrariùm ab Adversario favore agnationis prætensum fuerit, siquidem in prçcedenti discursu edito pro successione Statùs Paternionis omnes penitùs contrariæ objectiones resolutæ sunt.

Si autem necessitas postularet, nedum eo medio manutentio possessionis Dominæ Clienti tribuenda esset, verùm etiam alio, qui in eo consisteret, quòd Dñæ Clienti competeret retentio gabellæ vini, uti redemptæ cum pecuniis propriis C. Antonii hujus nominis Secundi: ex his enim, quæ superiùs dicta sunt occasione successionis Statùs & Baroniæ Melilli, satis superque compertum est, quòd hæredi scripto pro benefactis fideicommissi retentio concedenda sit, satisq; etiam constat, quòd C. Antonius per clausulam juris francorum a Dña Cliente repræsentatur.

Alienatio verò gabellæ, ejusque redemptio satis probata con-

vincitur ex eo, quòd *anno* 1501. *die* 14. *Octobris* C. Joannes Thomas eam vẽdidit Joanni de Guerrerio, reservato jure luendi, eamq; per exercitium juris luendi *anno* 1525. soluto venditionis pretio, recuperavit C. Antonius: qui quamvis eodem ipso tempore feuda de membris & pertinentiis Comitatùs Caltanisettæ, vel alterius Statùs alienasset; non per hoc pro hujusmodi benefacto suum creditum liquidum non haberet: & in redditione rationum, ad quam teneretur Comes Antonius ob benefacta, quæ fecit in Statibus, a Domina Cliente creditor evidentissimè demonstraretur. Ut defacto Tutores *anno* 1574. *die* 2. *Octobris* cùm titulum possessionis mutare voluerint, dixerunt, quòd eam Princeps D. Frãciscus liberè possidebat, quod latiùs supra in successione Baroniæ Mottæ S. Anastasiæ scriptum est.

In sequelam pariter eorum, quæ probata fuerunt in secundo discursu super successione Statùs & Comitatùs Adernionis, advertendum venit, quòd manutentio possessionis illarum unc. 164. ann. debitarum super extractionibus frumentorum, quæ fiunt a Regno, Dominæ Clienti concedenda sit: cùm enim hujusmodi redditus a C. Joanne Comite Adernionis filio C. Guglielmi Raymundi III. in superiori summa unc. 200. annuarum *anno* 1423. *die* 27. *Aprilis* ex largitione Regis Alphonsi quæsitus fuerit, ac pro se, suisque hæredibus & successoribus in perpetuùm: adeout dispositio C. Joannis veluti primi acquisitoris attendenda sit; non potest de Dominæ Clientis successione dubitari: ipse quidem per suum testamentum conditum *anno* 1420. ac per suos codicillos scriptos *anno* 1421. favore fœminarum disposuit, ut in memorato discursu super successione Comitatùs Adernionis apertissimè manifestavimus.

Atque idem de grano debito super qualibet salma frumentorum, que a Regno extrahitur, præveniendum est: siquidem redditus iste ab eodem Comite Joanne *anno* 1421. *die* 27. *Martii*, pro se, suisque hæredibus de suo corpore legitimè descendentibus in perpetuùm, ex concessione Regis Alphonsi, quæsitus est, ipseque, ut dictum fuit, favore fœminarum in suo testamento & codicillis disposuit, proindeque super successione Dominæ Clientis ex clausula juris francorum hæsitari non debet, atque a capite ad calcem concludendum est, quòd in omnibus statibus, feudis, titulis & aliis aggregatis, quæ a Montecatenis vel nomine proprio, vel uxorio nomine quæsita sunt, usque ad tempora possessionis statuum, super quibus usque adhuc scriptum est, ipsa debeat manuteneri.

Finis Discursùs Quarti.

PRO COMITATU CALTABILLOTTÆ, ATQUE DUCATU BISBONÆ.

C. Raymundus de Peralta primus Comes Caltabillottæ.

C. Guglielmus.

C. Guglielmonus.

C. Nicolaus primus Bisbonæ quæsitor.

C. Margarita uxor C. Artalis de Luna.

C. Antonellus.

C. Carolus primogenitus obiit sine filiis.

C. Sigismundus senior secundogenitus, & ejus uxor

C. Joannes Vincentius.

C. Sigismundus junior.

C. Petrus.

C. Joannes obiit sine filiis.

C. Aloysia uxor P. D. Cæsaris de Moncada.

PRO COMITATU SCLAFANI CALTAVUTU ET SCILLATI

C. Enricus Ruffo Comes Sclafani, Caltavuturi, & Scillati.

C. Antonius Spatafora nepos C. Enrici ex sorore.

C. Thomas præmortuus patri.

. Beatrix.

PRO COMITATU COLLESANI.

C. Petrus Cardona primus acquisitor Comitatùs Collesani.

C. Artalis.

C. Petrus.

C. D. Antonia nupsit D. Antonio de Aragona Duci Montisalti.

Artalis obiit sine filiis.

I. D. Antonius secundogenitus.

III. D. Petrus primogenitus obiit sine filiis.

.P. D. Franciscus cum quæsivit Palatium de Ajutamicristo. — C. D. Maria.

P. D. Antonius uti patris heres habuit redditum debitum super Statu Hyeracis.

P. D. Aloysius S. R. E. Cardinalis, quæsivit gabellam olei Paternionis.

P. D. Ferdinandus ultimus moriens, quæsivit redditum debitum per illos de Asaro.

P. D. Catharina Cliens.

Federicus Dux Fernandinæ Contendens.

Ignatius.

Ferdinandus.

Aloysius Guglielmus Dux Sancti Joannis Contendens.



DISCURSUS QUINTUS ET ULTIMUS

SUPER SUCCESSIONE

STATÛS ET COMITATÛS CALTABILLOTTÆ, Statùs & Ducatùs BISBONÆ, Statùs & Comitatùs SCLAFANI, CALTAVUTURI & SCILLATI, Statùs & Comitatùs COLLESANI, Palatii vulgò dicti de Ajutamicristo, redditùs unciarum 81. 8. 12. anno quolibet debitorum super Statu & Marchionatu Hyeracis, Gabellæ olei Statùs Paternionis, redditùs unc. 61. 18. 15. anno quolibet debitorum per nonnullos de Asaro, atque aliorum bonorum cùm feudalium tum allodialium Statibus ascriptis adhærentium atque aggregatorum, vel quæ ab Illustri Deputato administrantur.





Ujusnam sint, ac esse debeant status & bona, de quibus venit in præsenti discursu edisserendum, non examen quæstionum legalium: ipsæ quidem in materia non intercedunt, sed sola facti narratio demonstrabit: eâ siquidem attentâ, ac perpenso, quòd de casu agatur favore fœminarum hactenus jam deciso, omnia contraria ratiocinatio locum non habebit.

Status ergo memorati, allodialibus exceptis, de quibus inferiùs sermo efficiendus erit, in Montecatenos advenerunt ex nuptiis celebratis vel *anno* 1568. inter Dominam Comitissam D. Aloysiam de Luna, & Principem D. Cæsarem de Moncada, vel *anno* 1585. inter Dñam Comitissam D. Mariam Aragona & la Cerda cum Principe D. Francisco hujus nominis Secundo. Profectò Status & Comitatus Caltabillottæ, Status & Ducatus Bisbonæ, & Status & Comitatus Sclafani, Caltavuturi & Scillati ex Domina Comitissa D. Aloysia proveniunt, Comitatus verò Collesani ex Comitissa D. Maria.

Quia tamen Statuum omnium prædictorum origo & concessiones diversæ sunt; eamobrem primùm de Statu & Comitatu Caltabillottæ, dein verò de cæteris Statibus loquuturi erimus.

Quatenus igitur pertinet ad successionem Statùs & Comitatùs Cal-

Caltabillottæ, ut in arbore prænotatum est, primus illius quæsitor fuit Comes Raymundus Peralta cum clausula juris francorum. Comiti Raymundo successit Comes Guglielmus, cui Comes Guglielmonus, istique Comes Nicolaus: quo absque prole masculina defuncto, ex clausula juris francorum succesit Comitissa Margarita, quæ uxor fuit Comitis Artalis de Luna, cui successit Comes Antonellus, eique Comes Sigismundus senior, cui Comes Joannes Vincentius, eique Comes Sigismundus junior, & demum Comes Petrus Comitis Sigismundi primogenitus, atque Comes Joannes Comitis Petri unicus masculus.

Cùm ergo antiquam clausulam juris francorum confirmaverint tum Comes Petrus per suum testamentum conditum *anno* 1575. tum Comes Joannes per suam investituram captam *anno* 1576. atque per donationem Comitissæ D. Aloysiæ ejus sorori factam *anno* 1584. quia Comes Joannes pariter absque prole masculina decessit; *anno* 1592. Comitatùs possessionem ex clausula juris francorum adepta est Comitissa D. Aloysia, ex qua per rectam lineam descendit Domina Cliens: adeout super ejus successione ex clausula juris francorum nulla penitùs quæstio cadere possit: non enim semel, sed pluries ob defectum masculorum ejusdem lineæ & gradùs fœminæ, nempe Comitissa Margarita & Comitissa D. Maria ad successionem admissæ sunt.

Idem etiam de Statu & Ducatu Bisbonæ dicendum est: etenim primus ipsius acquisitor cum clausula juris francorum fuit Comes Nicolaus Peralta, cui, ut dictum est, successit Comitissa Margarita nuptui tradita Comiti Artali de Luna, ex qua ortum habuit Comitissa D. Maria, a qua, ut dictum est, procedit Domina Cliens: adeout sicuti successio Statùs & Comitatùs Caltabillottæ, ita Statùs & Ducatùs Bisbonæ nullam admittere potest controversiam.

Eodem pariter jure de Comitatu Sclafani, Caltavuturi & Scillati judicandum est: quoniam primus illius acquisitor cum clausula juris francorum fuit Comes Enricus Ruffus, cui successit Comes Antonius Spatafora ejus nepos, & Comiti Antonio Comitissa Beatrix ejus neptis ex Comite Thoma ejus primogenito præmortuo, quæ uxor fuit Comitis Sigismundi de Luna senioris, a quo, ut superiùs relatum fuit, medio Comitissæ D. Aloysiæ procedit Domina Cliens. Hinc pariter Dominæ Clienti ex clausula juris francorum manutentio possessionis concedenda est: siquidem ex clausula juris francorum ultra successionem Comitissæ D. Aloysiæ cumulantur successiones Comitis Antonii Spatafora cognati, & Comitissæ Beatricis filiæ fœminæ Comitis Thomæ: quapropter neque de hujusmodi Comitatùs legitima successione pro Domina Cliente dubitandum est.

Quatenus pertinet ad successionem Status & Comitatùs Collesani,

ni, satis esset, ut dictum est, quòd Comitissa D. Maria in eo ex clausula juris francorum successerit: cùm enim ex ea proveniat Domina Cliens, & in linea primogeniti constituta sit; agnatus remotior nil penitùs prætendere potest, si rem tamen altius repetamus, clausula juris francorum confirmabitur. Porrò primus hujus Comitatùs acquisitor cum clausula juris francorum fuit Comes Petrus Cardona, cui successit Comes Artalis, eique Comes Petrus hujus nominis Secundus, qui *anno* 1478. in sua, quam cœpit, investitura, clausulam juris francorum confirmavit: atque idem effecit Comitissa Antonia uxor Comitis Antonii Aragona Ducis Montisalti in investitura de *anno* 1536. quæ ei ob mortem Comitis Artalis ejus fratris, qui *anno* 1522. cum clausula juris francorum cœperat investituram, concessa est, atque confirmavit Comes Antonius *anno* 1553. ubi successit ob mortem Comitis Petri ejus fratris primogeniti, qui *anno* 1545. cum clausula juris francorum pariter cœperat investituram: dictoque Comiti Antonio cùm successisset Comitissa D. Maria *anno* 1585. & in sua investitura, atque in capitulis matrimonialibus, ubi pluries repetita alternativa inter unam & aliam familiam mandata est, clausulam juris francorum confirmasset; clarè patet, quòd hujusmodi successio ad Dominam Clientem omni jure pertineat.

Et quatenus tandem pertinet ad alia bona superiùs descripta, sciendum est, quòd Palatium vulgò dictum de Ajutamicristo per Principem D. Franciscum, hujus nominis Secundum, quæsitum est: *anno* enim 1584. illud in emphyteusim habuit a Margarita de Ajutamicristo pro annuo censu unc. 390. Sicuti etiam *anno* 1588. idem Princeps D. Franciscus quoddam viridarium Palatio aggregavit, quod in emphyteusim recepit a Gerardo Alliata pro annuo canone unc. 12.15. atque aliud viridarium pariter a Principe D. Aloysio aggregatum est, quod in emphyteusim accepit a D. Joseph del Voglia pro annuo censu unc. 13. ultra unc. centum, quas in pecunia numerata concedenti persolvit.

Sciendum pariter est, quòd redditus debitus super Statu & Marchionatu Hyeracis, hæreditati Principis D. Francisci II. pariter ascribitur: *anno* enim 1594. a Deputatis Banci de Buzzone in solutionem unc. 903. debitarum Principi D. Francisco, Principi D. Antonio ejus filio assignatus est.

Ulteriùs sciendum venit, quòd *anno* 1648. gabellam olei Paternionis Princeps D. Aloysius acquisivit pro pretio unc. 1537. 16.

Et demum sciendum est, quòd redditus debitus per illos de Asaro *anno* 1682. ab Illustri Deputato quæsitus fuit in satisfactionem cujusdam gabellæ illis factæ Statùs Paternionis, quam non exolverant.

Ex quibus omnibus fit, quòd in Palatio, gabella olei, atque redditibus memoratis, sicuti etiam

in

in omnibus aliis bonis fortè vel per alios Dominæ Clientis prædecessores, vel per Illustrem Deputatum nomine Deputationis acquisitis, ac pariter in omnibus bonis feudalibus & allodialibus aggregatis, Domina Cliens manutenenda sit: quò enim ad bona supra individualiter ascripta, cùm post Principem D. Franciscum, & Principem D. Aloysium, omnes illorum descendentes ad bonorum successionem, vel liberè, vel ex clausula juris francorum admissi sint; jus Dominæ Clientis clarum est.

Quò verò ad alia bona, si fortè adessent, clarissimum jus suum dijudicari debet: in contrarium enim nihil propositum fuit, ac Domina Cliens hæres scripta est.

Exhaustis tandem tenuissimis ingenii mei viribus vestrum erit, præclarissimi Senatores, hosce meos steriles discursùs benigniter excipere, meosque defectùs eximiâ, qua polletis, jurisprudentiâ supplere: ità enim munus vestrum favore Dominæ Clientis, cujus jura in successione Statuum paternorum clarissima sunt, exercebitis, vestramque manifestabitis humanitatem erga me, quem semper benignissimè accepistis. Verumtamen me minus prudentem credere non licebit, si aliquando legales meas assertiones Doctorum auctoritate roboratas, non vidistis: incivile enim mihi visum est, & in aliis, si qui sunt, semper abhorrui coram tantis Judicibus super qualibet assertione doctrinam expendere, recordatus, quòd legem scientibus essem loquuturus.

Causa pendet adhuc indecisa.

LAUS DEO,

Beatæque Mariæ semper Virgini Liberatrici a pœnis Inferni.



INDEX

Materiarum & Conclusionum, quæ in opere continentur.

Agnatio.

Appellativa significatio.

Archivium.

Ba-

Clausula juris francorum.

Exemplum.

F

Facultas.

Fœmina.

Affe-

Feudum.

Fideicommissum.

For-

G

Genealogia.

H

Habitatio.

Historici.

I

Immissio.

Instrumentum.

Insulæ.

Jus francorum.

Jus luendi.

L

Liberi.

Limitatio.

Lucas Barberius.

Luchina.

M

Magnates.

Manutentio.

Masculus.

Montecateni.

Affe-

Textus

Co-

Ultimus status.

Vocatio.

FINIS.

12





